A
V37
175
1

CURSUS

THEOLOGICUS

SPECULATIVUS, SIVE SCHOLASTICUS, selectarum Quæstionum Compendio traditus.

AD USUM ADOLESCENTIUM, QUI SCHOLAS SOCIETATIS JESU FREQUENTANT.

AUCTORE

BERNARDO DE VARGAS,

Soc. Jes. Sacerdote Theologo,

Bætico Malacitano.

TRACTATUS I.

DE DEO IN ESSENTIA UNO, ET IN PERSONIS TRINO

In 1. Partem D. Thomę Doct. Angelici.

Prodit in lucē studio, & sumptibus.

D. Doct. D. MARCI DE TORRIJOS, ET VARGAS METROPOLITANÆ ECCL. GRANAT. THESAURARIJ, CANONICI DIGNITATIS.

Granatæ: Typis Josephi de la Puerta.
Ann. Dñi. MDCCLI.

MALACAE

615

MILITANTIS ECCLESIÆ
SOCIO AGMINI,
CUI
inviolabili obſtringitur Sacramento:
ſive illius promptiſsimam manum appelles,
DEXTERUM SEU *BRACHIUM*;
ut Oraculum edidit Pontificium.

* * *

AGMINI SOCIO,
CUI
JESU NOMEN
MILITARIS EST TESSERA,
Evangelica Tuba dat ſignum,
UT JESU, ET FIDEI,
NOMEN, ET SIGNA
portet coram Gentibus
in repoſtas terras,
alioque ſub Sydere poſitas.

* * *

AD BELLA SACRA
inferenda, gerenda, conficienda

ORDINE COELESTI DISPOSITO;
ad miraculum validiſsimo;
JESU SUB DUCE
STIPENDIA FACIENTI;
ſub auſpice eodem
ejuſdem prælia prælianti:
UT REPUGNET, IMMOTO;
UT OPPUGNET, INTREPIDO;
UT EXPUGNET, FOTTISSIMO
& Acies Tartareas, & Turbas Hæreticas,
& denſiſsimos Idololatriæ Cuneos,
& fontes, infandaſque,
QUA PATET ORBIS,
copias vitiorum.
* * *
VIS CONCIPERE ANIMO,
quænam, quanta, qualis extiterit
ipſis vel à Cunabulis hæc Bellatrix
JESU SOCIETAS?
NUMERA STELLAS, SI POTES,
tum te cenſuiſſe crediderim
parta Tropæa, reportatas Victorias,
actos Cœlorum plauſu Triumphos
de Erebo, Erebique peſtibus,
IDOLORUM SERVITUTE,
à Fidei Vexillis, & Caſtris
PER-

PERTINACI DEFECTIONE,
Morum effrænatà licentià.

* * *

AD TANTÆ MOLIS OPUS
MOVENDUM,
continuandumque auſpicatò,
& ſucceſu abſolvendum
VELUT INSTRUMENTO, ET PANOPLIA
cataphracta, & inſtructa
LABORE, ET CONSTANTIA,
SANCTITATE, ET DOCTRINA,
HUMANITATE, ET MODESTIA;
Labore (inquam) ſemper, & ubique
Aſsiduitate indefeſſo,
IRRIGUO SUDORIBUS,
Bonæ frugis fœcundo proventibus,
SANGUINE PURPUREO,
Animæ prodigo, Animarum avido,
CLARO VIRTUTIBUS,
Virtutum mercede clariſsimo.

* * *

C U I
UNUS EST LIMES NULLUM HABERE,
nec coerceri repagulis:
U B I
MAJOR DEI GLORIA
unica meta eſt, &

PROXIMORUM UTILITAS
perennatura.
AT QUA SANCTITUDINE PRÆDITA?
QUIBUS ORNATA CHARISMATIS?
Undeundique perſpexeris,
EA MILITIA
conſpicua eſt.
* * *
CUJUS
SOCIETAS SIT?
mente concipe, & rem habebis:
NEC ENIM JESU SOCIETAS
ESSET, NI JESUS
vicem mutuam retaliaret,
UT SOCIETATIS PATER
itidem diceretur, &
ESSET.
* * *
DOCTRINAM COGITES,
imò vix poteris cogitare:
tanta eſt, talis eſt
VARIETATE PULCHERRIMA,
ſubtilitate acutiſsima, quadam
ANTIQUISSIMA NOVITATE,
immobili ſoliditate firmiſsima,
MAXIMO
IN MAXIMUM AQUINATEM
STUDIO DIA

DIA TOTA, ET ANGELICA.

TESTEM ADVOCO

HEROUM QUADRIGAM

(innumeros alios aut graphicè

SIMILES, AUT CERTE SUPPARES

qui possem censere?)

SOARIUM, VASCHIUM, MOLINAM,

VALENTIAM,

Magna rei Theologicæ Nomina,

quibus

res ipsa Theologica obnoxia est Nominibus

tum multis, cum magnis.

* * *

SED ENIM

non partu effœta multiplici,

at longà annorum serie usque, & usque

FOECUNDA

Germanam Sapientiæ Sobolem

nec umquam, nec usquam degenerem

MINERVA HÆC MASCULA

Virgineo quodam puerperio

identidem procreat.

* * *

QUARE

HAS DISSERTATIONES THEOLOGICAS

dignas *Matre*, dignas *Authore*,

Luce dignissimas

PRÆLO COMMITTIT

tamquam ultrotributum, relatam Gratiam,
Obſequij, & pignus Amoris
DICIT, DICATQUE
ALMÆ HUIC
SOCIETATI
OMNI LAUDE CUMULATISSIMÆ,
ſupra omnem commendabili,
auſpicatiſsimè
COMITIA GENERALIA
CELEBRANTI
pro deligendo ſupremo
PRÆPOSITO
digno, qui Sanctiſsimo Legislatori
IGNATIO
SUCCEDAT,
AUTHORIS EX SORORE NEPOS
ejuſdem inclytæ Societatis
JESU,
Servus, Cliens, Alumnus, Filius
Doct. D. MARCUS TORRIJOS,
ET VARGAS
S. METROPOL. ECCL. GRANAT.
CANONICUS DIGNITAS,
THESAURARIUS.

FEE DE ERRATAS.

PAg.8.linea 13. *volitionem* lege *voluntatem*. Pag.12. lin. 12. *effundere* lege *offundere*. Pag. 28 lin. 25. *conſpicua* lege *conſona*. Pag. 160. lin. 27. *Patrem non eſſe, quia* lege *Patrem non eſſe Verbum, quia*. Pag. 165. lin 8 *& quæ non ſit ſummè una, nego maj.* adde, *& quæ ſit ſummè una, conc. maj.* Pag 166 lin ult. *non diſtinguitur* dele *non*. Pag.202.lin.10 *an excludenda* lege *an admittenda*. Pag.232.lin.20 *deſtructivam* lege *indeſtructibilem*. Pag 254. lin. 10. *de eſſentia Dei* lege *de exiſtentia Dei* Ibid lin.11. *funthmentales pro dicendis Notiones* lege *fundamentales pro dicendis Notationes*. Pag.271. lin. 18. *eſſe ſolitarium* lege *eſſe ſolitarium*. Pag. 294 lin. 27. *excludi* lege *concludi*. Pag.305 lin 28 *coniugatur* lege *conjungatur*. Pag. 328. lin. 12. *ad verificanda* lege *ad non verificanda*. Pag. 333 lin.3. *Deus creaturarum* lege *Dominus creaturarum*. Ibid. lin 4. *ſed eſt Deus* lege *ſed eſt Dominus*. Pag. 334 lin. 12. *ſint relationes* lege *ſint reales*. Pag.509 lin.27. *accipere* adde *vide dicta c. 2. à n 86*. Pag.519. *à ſe ipſo...producere* lege *produci* Pag 535. lin. 10. *de Perſonis producentibus* lege *de Perſonis precedentibus*. Pag 584. lin.16 *Legnæ* lege *Legna*. Pag. 595. lin. 16 *Relatio* lege *Relationem* Pag.642. lin.18. *in anima, præſtat* adde *in anima, hoc idem præſtat*.

He viſto el Curſo Theologico Eſcolaſtico, ſu Autor el P.Bernardo de Vargas de la Compañia de Jeſus, el qual eſtà bien impreſſo, y correſponde con eſtas Erratas à ſu original. Madrid, y Abril 22.de 1751.

Lic. Manuel Licardo de Rivera.
Correct. Gen. por S.M.

SUMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Consejo à seis maravedis cada Pliego, como consta de su original. Dado en Madrid à 26. de Abril de 1751.

D. Joseph Antonio de Yarza,
Secret.

MAR-

MARTINUS GARCIA PRÆPOSITUS Provincialis Societatis Jesu in Provincia Bœticà, potestate ad id mihi factà à R. admodum P. Nostro Francisco Retz Præposito Generali Societatis Jesu, facultatem concedo, ut liber inscriptus, *Cursus Theologicus speculativus, sive Scholasticus, compendiarijs disputationibus traditus, in decem tractatus divisus*, à Patre Bernardo de Vargas Societatis nostræ compositus, ejusdem Societatis gravium, doctorumque virorum judicio examinatus, & approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostrà subscriptas, & sigillo officij nostri, ac testimonio Secretarij Nostri munitas dedimus. In nostro Collegio Astigitano Societatis Jesu die octava Augusti anni millesimi septingentesimi quinquagesimi.

✠

Martinus Garcia.

✠

Gundissalvus Lozano.
Secr.

CEN-

THeologiam ſpeculativam in auream, imò & gemmeam Angelici Doctoris Summam juxta immobilia Scholæ Jeſuiticæ principia à Rmo. P. M. Bernardo de Vargas S. J. Presbytero, in hoc celeberrimo Collegio Divi Pauli ejuſdem Soc. laudatiſsimo Theologiæ Scholaſticæ Profeſſore, Archiepiſcopatus Hiſpalenſis Synodali Examinatore, & Supremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Cenſore, affabre, adamuſsim, & ſolidè elaboratam, ac noſtro, Ordinaria Auctoritate, examini ſubjectam magnâ animorum voluptate, & conſenſione vidimus, perpendimus, probavimus, & approbamus. Nihil in eâ incongruum, nihil à Fide devium, nihil bonis moribus diſſonum, nihil Sacris, aut Regijs luribus, aut Placitis contrarium internovimus. Sana omnia, ac ſolida, apta inſuper, & cohærentia, ingenioſa etiam, atque ſubtilia, decora denique, & nitida, & quibus res ipſa Theologica, atque etiam Jeſuitica, tot jam dudum decorata ornamentis, pulchrior adhuc, & locupletior, & certè clarior appareat; & quę ſint verè utique *ſuper murum propugnacula argentea.* Speramus igitur fore, ut quibus hìc olim, ubi Authoris ſapientia, & doctrina Theologica, atque omnigena eruditio nonnullos ex nobis ipſis, & Majoribus noſtris Auditores habuit, & omnes quidem

dem teſtes, & admiratores, ſapientum plauſibus excepta eſt, ijſdem modò hæc ejuſdem præclari Authoris, notiſsimi, non apud Hiſpanos modò, ſed & apud aliquas exteras Nationes, quas luſtravit (quidni dicamus, illuſtravit?) Theologia amplioribus adhuc incrementis, & novâ luce reſperſa, & omnium oculis typorum operâ patefacta, eorumdem, atque omnium inſuper Theologorum ſuffragijs, ac probè ambitioſo Theologicæ, præſertim Jeſuiticæ juventutis diſcipulatu excipiatur.

Et hęc eſt noſtra, tùm pro Operis, etiam vultu legis inſpecti, merito, & dignitate, tùm pro noſtra omnium erga Authoris clariſsimi Perſonam, doctrinam, ac cæteras egregias dotes exiſtimatione ſententia lata, ſive data in noſtrâ Aulâ Capitulari quinto idùs Martias anno Dni. milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo primo.

Lic. D. Didacus Merino & Zevallos. *Doct. D. Joſephus de Franquis Laſſo de Caſtilla.*

D. D. Dominicus Antonius de Rivero & Angulo. *D. D. Antonius Gomez & Jaraveitia.*

Ex Decreto Illmi. D. D. Decani, & Capituli hujus Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ Apoſtolicæ Granatenſis.

D. Emmanuel Rubio à Fonte.

Sec.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Lic.D. Juan Antonio de los Tueros, Colegial en el Mayor, y Viejo de S. Bartholomè de la Univerſidad de Salamanca, Canonigo Doctoral de la Sta. Igleſia Apoſtolica, y Metropolitana deſta Ciudad, Chanciller Mayor de ſu Imperial Univerſidad, Governador, Proviſor, y Vicario General de eſte Arzobiſpado por el Illmo Sr. D. Phelipe de los Tueros y Huerta mi Señor, Arzobiſpo de Granada, del Conſejo de S. M. &c. Por la preſente damos licencia, para que ſe pueda imprimir el Curſo Theologico, Eſpeculativo, ò Eſcolaſtico, ſu Autor el M. Rdo. P. Mro. Bernardo de Vargas de la Compañia de Jeſus: por quanto de la Cenſura puеſta por el Illmo. Señor Deau, y Cabildo de dicha Sta. Igleſia, à quien fue remitido, reſulta no contener coſa alguna contra nueſtra Santa Fee Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en la Ciudad de Granada en onze de Marzo de mil ſetecientos cincuenta y vn años.

D Juan Antonio de los Tueros.

Por mandado del Sr. Governador.

Pedro Phelipe Monreal.
Not.

CEN-

CENSURA R.P.M. Fr.DIDACI DE CASTILLA Sacri Ordinis B.Mariæ de Monte Carmeli, de Obſervantiâ ſuæ Provinciæ Ex-Provincialis, & in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi Examinatoris Synodalis, emeriti Sacræ Theologiæ Profeſſoris Primarij, Studiorum generalis Regentis &c.

SUpremi, Regijque Caſtellę Senatûs authoritate, & mandato mihi commiſſa eſt reviſio, cenſura, & approbatio Cursûs Theologici Scholaſtici, quem apprimè elucubratum, elaboratum, & compoſitum video per R. P. M. Bernardum de Vargas, Sacrę Societatis Jeſu alumnum, & emeritum Primarium Magiſtrum Qualificatorem Supremę, ac Generalis Hiſpaniarum inquiſitionis, nec non hujus Archiepiſcopatûs Hiſpalenſis Synodalem Examinatorem. Opus certè perlucidum, & inter innumerabilia hujus Fœcundiſsimę, & Doctiſsimæ Familię numerabile; & (me hercle) Adoleſcentibus, qui Scholas Jeſuiticas frequentant, apprimè utile, eorumque in addiſcendâ Sacrâ Theologiâ laboribus accõmodatiſsimum. Exivit homo iſte ad opus ſuum, veluti ſi ad laborem natus dignoſceretur; ſic ab ortu penè, & ſuæ lucis primordijs, & ad occaſum uſque, ac ſuæ vitæ veſperam, ab opere ceſſare non patitur. In Vineam Domini Sabaoth indeſinenter ſudare non deſijt Manè, hora Tertiâ, Sextâ, & in ſuæ vitę Nonâ ſtatione; manu

ad

ad ſtivam ſemper applicatâ, numquam retrò aſpexit, mittens ad aratrum manum; dignus, qui & in litterario principatu, & inter Theologos primarios hujus ætatis collocari mereatur. Hæc pro delitijs referre habeo, & mihimet gratulor in tanti Viri laudibus, & encomijs; quidni refloreſcet, ac fortaſsis renovabitur juventus noſtra, vel quaſi rediviva conſurget? Quadraginta ab hinc annis humanitas affabilis Rmi. Authoris dignum me ſuâ conſuetudine conſtituit, qua conſuetudine frequenter uſi fuimus, non modò ut Paleſtritæ hujus Venerabilis Hiſpalenſis Licæi, ſed ſpecialiori amicitię vinculo, novo nunc benevolentiæ fœdere mirabili iſtius Theologici Cursùs commercium nos conſtrinxit. Nil equidem fortiùs deſiderat anima, quàm veritatem; veritatem (inquam) Dominicam: *ego ſum veritas*: veritas ergo eloquiorum ſacrorum infallibilis, ineffabilis; veritas, de qua illa ſumma, ſuprema, altiſsima Divinarum ſedium Aſsiſtrix Theologorum Sapientia, omnibus mobilibus mobilior, Sole ſpecioſior, & ſuper omnem ſtellarum fulgorem luci comparata, prior inventa. Hanc amavit, & à juventute ſuâ exquiſivit Rmus. P. M. Bernardus, factuſque illius generoſitatis compos, ferè ad agonem, iſtam, tanquam formam, amplexus eſt ſapientiam, & quam, ſicut ſine fictione didicerat, ſine invidiâ in frequentiſſimis Gymnaſijs communicavit.

Hæc

Hæc divina verba apud se facta concludens, abscondi non sustinens sapientiam istam, quę in disputationibus vivæ vocis frequentissimè apparet, sicut claritas in communicatione sermonum, proposuit nobis Scriptis ad commune legentium commodum; nihil enim est eà utilius vitâ in hominibus; sic vitam hominis in his explendis, ni fallor, absumpserat. Quæ est ergo hominis vita? et qui terminus ejus? *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, respondet Regius Psaltes. Ecce vita hominis in hoc mirabili Theologico Cursu omnibus suis numeris completa; in cujus rei avidâ reflexione, nec mirari debemus præsentis operis præstantiam, nec singulariter magnitudinem extollere, sed constantiam imitari, perseverantiam venerari, talibus sudoribus, & angustijs implicatam. Opus hoc, si fortè ad lucem perveniat (o utinam!) omnium oculis mirabile erit; in Orbe litterario pretiosissimum; ad Ecclesiæ honorem, cujus doctrinis firmiter adhæret, valde conducens. Imprimi potest propter hæc, & quia consonat moribus sanctis, & nil de Regijs juribus derogare videtur. Ita sentio: salvo &c. in hoc Divi Alberti Collegio Carmelitarum Hispalensi die 13. mensis Novembris anni 1750.

Fr. Didacus de Castilla.

EL REY.

POR QUANTO POR PARTE DEL Mro. Bernardo de Vargas de la Compañia de Jesus Calificador de la Suprema, se representò en el mi Consejo tenia compuesto, y deseaba imprimir el Curso Theologico Escolastico dividido en varios Tomos; y para poderlo executar sin incurrir en pena alguna, se suplicò à los de èl, se le concediesse licencia, y Privilegio por tiempo de diez años para su impression, remitiendo dicha Obra à la censura en la forma regular. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que por la Pragmatica ultimamente promulgada sobre la impression de los Libros se dispone, se acordò expedir esta mi Cedula: por la qual concedo licencia, y facultad al expressado Mro. Bernardo de Vargas, para que sin incurrir en pena alguna por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de ella, el susodicho, ù la Persona, que su poder tuviere, y no otra alguna pueda imprimir, y vender dichos Tomos por el Original, que en el mi Consejo se viò, que vàn rubricados, y firmados al fin, de D. Joseph Antonio de Yarza mi Secretario, Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de èl, con que antes que se vendan se traygan ante ellos jun-

juntamente con los Originales, para que se vea si la impresion està conforme à èl, trayendo assimismo fee en publica forma, como por Corrector por mi nombrado se viò, y corrigiò dicha impression por los Originales, para que se taſſe el precio, à que se han de vender. Y mando al Impreſſor, que imprimiere los referidos Tomos, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que uno solo de cada uno con los Originales, à cuya costa se imprimen para efecto de dicha correccion, hasta que primero estèn corregidos, y taſſados los citados Tomos por los del mi Consejo. Y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir los principios, y primeros pliegos, en los quales seguidamente se ponga esta licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas, pena de caer, èincurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello tratan, y disponen. Y mando, que ninguna Persona, sin licencia del expreſſado Mro. Bernardo de Vargas pueda imprimir, ni vender los citados Tomos, pena, que el que los imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, moldes, y pertrechos, que dichos Tomos tuviere, y mas incurra en la de cincuenta mil mrs. y sea la tercia parte de ellos para la mi Camara, otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el Denunciador. Y cumplidos los mencionados diez años, el referido Mro. Bernardo de

Vargas, ni otra Persona en su nombre quiero no use de esta mi Cedula, ni prosiga en la impression de los citados Tomos, sin tener para ello nueva licencia mia sò las penas, en que incurren los Concejos, y Personas que lo hazen sin tenerla. Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oydores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Asistentes, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Justicias, Ministros, y Personas de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorìos, y à cada uno, y qualquier de ellos en su distrito, y jurisdiccion, vean, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cincuenta mil mrs. para la mi Camara. Dada en Buen-Retiro à veinte y cinco de Septiembre de mil setecientos y cincuenta.

YO EL REY.

Por mandado del Rey N.Señor.

D. Agustin de Montiano y Luyando.

Sec. PRÆ-

PRÆFATIO.



Pus aggredior *periculoſæ plenum aleę*, non mea ſponte, motuque proprio, ſed rogatus ab aliquibus in doctrina Theologica conſpicuis Viris, & incitatus à meis Superioribus, ſi non præceptis, certè voluntatis ſignificatione. Curſum Theologicum Speculativum, ſeu Scholaſticum, olim à me compoſitum, & in publicis Scholis ad normam, qua in Univerſitate Gregorianæ Collegij Romani, & in pleriſque Societatis Jeſu Academijs traditur, Diſcipulis dictatum non paucis retrò annis, nunc in ſenili ætate, & in litterato otio maturè revidere, expolire, ornare, & in lucem parare eſt animus. Quòd ſi in tenebris lateat, id mihi periucundum erit; ſin verò in publicum prodeat, non quidem meo iudicio id accidet, ſed illorum, in quorum obſequium captivare intellectum virtutis officium eſt.

Cùm audis *Curſum Theologicum*, ne cogites, quæſo, me daturum omnem Theologiam Diſputatricem paucis tractatibus, quos elaborare meditor. *Magni Artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo*; & hanc laudem nec affectare audeo, nec mihi ſpondere poſſum. Illum eumdem Curſum, quem olim dedi, paucis detractis,

& non multis admodum adjectis, Discipulis exhibebo. *Discipulis* inquam: mihi enim propono studentibus viam complanare ad usque radices celsissimi illius montis, in cujus culmine Dia Theologia thronum habet. Docere Adolescentes adlaboro, natare in exiguo lacu, placidoque flumine, ut postea in interminabili, ac procelloso Sacræ Theologię Oceano sine periculo demergantur, ac cum divite inæstimabilium unionum prædà emergant facilè. Satis instructi erunt Studiosi adolescentes si duo non contemnendi pretij commoda ex hisce meis elucubrationibus percipiant. Primum, ut in disputationibus Theologicis, quæ in Scholis frequentiùs instituuntur, illarum quæstionum, de quibus hinc inde concertatur, eam notitiam habeant, qua intelligant, quę audiunt, probare possint sententias proprias, dissolvere contrariarum argumenta, si ipsis defendendi, aut impugnandi daretur facultas. Secundum, ut ex datis, & disputatis in hoc opere tanquam ex non sterili agro conclusiones selectas veluti spicas grandiores colligant ad actum, ut dicunt, *parvum*, seu particularis Theologici tractatùs, & sub finem suorum studiorum ad actum, ut appellant, *magnum*, sive de universa Theologia.

Hos fines ut assequar, quos mihi proposui, in hoc Theologico Cursu claritatem cum brevitate, brevitatem cum doctrinæ copia, doc-

trinam

trinam cùm ſoliditate coniungerè contendam, quàm maxime poſsim.

Ad claritatem quod attinet, eo utar dicendi genere, quod Didaſcalicum dicitur: quod genus, tametſi infimum, non patitur ſtylum eſſe incomptum, & concinnatum averſatur. Ea propter Latinam locutionem, facilem, ſuoque nativo decore nitidam ſervabo; nec ab illius candore, proprietateque deflectam, niſi cum opus ſit vocibus facultatis propriis, & in Schola uſitatis, res ipſas explicare. At, ut opinor, hæc claritas, quæ in orationis facilitate, & perſpicuitate conſiſtit, non illa eſt, quę præcipuè in docendo deſideratur; ſed illa, qua res per ſe ſe obſcuræ in luce ponantur, & nucleus latentis ſensùs, fracto cortice, eruatur. Quid intereſt, ſi voces, dictionemque ipſam Oraculorum optimè intelligas, internum, latentemque ſenſum non capias? Ad hanc claritatem, qua evolvuntur ſenſus, & explicantur, maximè conducit, ut argumentis notioribus, & quodammodo per ſe notis, ignotiora, & per alia nota exponantur. Conducit præterea, ut rei diſcutiendæ propoſitio, quę *ſtatus* quæſtionis appellari conſuevit, dilucidiſsima ſit, & totius rei diviſiones, ſi quas patitur, percurrantur accuratè. Conducit demum, ut optimus ordo ſervetur, ne præmittantur, quę ab alijs præintellectis pendent, nec iſtis illa poſtponantur; ut connexa non ſeparentur;

ad idem pertinentia non dividantur; ut in transitionibus doctrinæ filum ſervetur, & quæ ab alijs jam ſtabilitis vocantur, ſponte ſua veniant. His claritatis regulis docendi methodum conformabo.

Sed quoniam verum eſt Horatianum illud: *dum brevis eſſe laboro, obſcurus fio*, conandum eſt, ut eam in hoc opere brevitatem conſervẽ, quæ nullum detrimentum afferat doctrinæ claritati. Igitur memor muneris Theologi Scholaſtici, & Speculativi, diſputationes dogmaticas, & polemicas, ſive contra Ethnicos, ſive contra Heterodoxos omittam, & dogmata ipſa, quæ ſubſtruuntur diſputationibus ſcholaſticis, breviter attingam; ſic tamen ut nihil deſideretur in hac parte, quod ſcitu ad rem propoſitam neceſſarium ſit, indicatis interim Authoribus, qui dogmata, de quibus ſermo inciderit, ex profeſſo, & cum dignitate illuſtrarunt. Præterea, cum Scholaſticæ concluſiones, nec vel ipſum nomen Theologicarum mereantur, ſi non probationibus ex Scriptura, Patribus, & Concilijs firmentur, hæc à ſacra authoritate argumenta petita ferè ubique proferam: teſtimonijs paucis, ijſque, quantum fieri poſsit, breviſsimis rem conficiam deſumptis ex ipſis fontibus, & ratò ex claſsicis Authoribus rivos deducentibus. Quòd ſi alicubi etiam ad Eccleſiaſticam hiſtoriam recurrere neceſſum ſit, parcà manu dabo no-

notitias inde desumptas, & velis, remisque à criticis disceptationibus fugiam. Denique: cum nulla sit conclusio Theologiæ Speculativæ, quæ non variè à varijs probetur, & multis argumentis ferè à singulis stabiliatur, ego paucis probationibus contentus ero, ijsque utar, quæ urgentiores mihi videbuntur, & communi sapientum plausu commendantur; illasque omittam semper, quas robore carere iudicabo, & illas ferè semper, quæ unius, vel paucorum Doctorum iudicio muniuntur. Quod dixi de probationibus conclusionum, dictum esto de objectionibus, quibus impugnantur: ea siquidem argumenta dissolvam, quibus maximè fidunt Authores contrarij; cætera, quæ facilem solutionem admittunt, prætermittam. Quis enim tam hebes sit, qui ex conclusionis probationibus, & ex solutionibus ad validissima adversæ partis argumenta datis, objectiones cæteras nullius vigoris, aut modicissimi dissipare non valeat? Si hęc, quę de brevitate sectanda proposui, in opere teneam, satis me illam docendi pręclaram dotem obtinuisse confidam; & fortè illud Martialis decantare possim:

Hei mihi, quòd multis sic quoque longus ero.

Jam verò quoad doctrinæ copiam id spondeo, me in selectis ex singulis tractatibus universæ Theologiæ, prout in Scholis per quadriennium explicari consuevit, quæstionibus ea da-

daturum, ut nihil, quod alicujus momenti sit, desideretur. Abundantiam, & copiam amo; superfluitatem, & redundantiam vitare juvat. Quid, inquies, doctrinę abundantiam, & copiam ostentas, cùm numero plures, & in his non paucas gravissimas, quęstiones prætermissas facias? Sic monenti respondebo, & ipsum rogabo, ut mei propositi meminerit. An quòd plures sint indiscussæ quęstiones, quàm quæ in disputationem venient, & quòd non paucæ ex prętermissis sint gravissimæ, id faciet, ut non sint benè multæ, eæque gravissimæ, quas in medium afferam? An id non satis erit ad duos illos fines, quos initio mihi præfixi; nempe ut clientes Sacræ Theologiæ in Scholarum publicis disputationibus, quæ audiunt, intelligant, & quę intellexerunt, aut defendere, aut impugnare valeant ad utrumque parati; atque ut ex hoc meo opere conclusiones numero multas, genere selectas, elucidatas habeant ad suos Actus publicarum concertationum? Omittam quidem multas quæstiones; diligenter tamen curabo, ut alias, cum quibus aliquam connexionem habeant illæ, de quibus disputaturus sum, non omnino intactas relinquam; sed illas percurram per notationes doctrinales, & quid tenendum sit indicabo brevibus assertionibus robusto aliquo argumento firmatis, & facta remissione ad gravem Authorem, qui rem pro dignitate tractarit.

De-

Denique prę omnibus mihi procurandа eſt *doctrinæ* ſoliditas. Ut hunc ſcopum teneam, illas ſententias ſequar, quas communiter Doctores amplectuntur, nullamque ſine bonæ notæ Patronis, qui ſi aliquibus in locis ſint numero pauci, magni nominis ſint ingenio, judicio, doctrinà, cæterisque dotibus, quibus non vulgaris authoritas conciliatur. Hoc ipſum de probationibus concluſionum, ac de argumentorum ſolutionibus dictum eſto. Ut verò his, quę de ſoliditate doctrinę promiſi, ſtem, optimos omnium Scholarum Authores indefeſsè conſulam; ſed præcipuè Doctores Societatis adibo, & ex his Theologos primi ſubſellij, Suarium, Vaſquium, Valentiam, Molinam, Leſſium, Ruizium, & alios ſuppares: Recentiores autem melioris notę Scriptores evolvere non omittam, quoniam multa, & bona ſive ad explicationem, ſive ad probationem addidere. Dicat aliquis: ſi nihil aliud, quàm quod in hoc opere promittis, præſtes, otioſum, inutilemque laborem te ſuſcepiſſe, neceſſe eſt, fatearis. Quid enim novi afferes; quid, quod ab alijs, qui Curſus Theologicos ſcripſere, centies, & ampliùs decantatum non ſit? Audio, & repono ſcientiſſimum illud magni Auguſtini dictum in ſe ſummi momenti, & appoſitiſsimum ad rem meam: *res eadem uno modo dicta non movet, alio modo dicta movet.* Et cur non ſperem ex modo dicen-

cendi, & docendi, quo uti ſtatui, res ab alijs jam pertractatas, luce quadam non profecto uberiore, ſed benigniore, & temperatiore clariùs apparituras, & ſtudioſorum mentes, ut illis aſſentiantur, permoturas? Hoc ſperaſſe ſufficit, ut oleum, & operam non perdam otioſo, inutilique labore. Non tamen ita vetera de theſauro effundam, ut nova non proferam. Vetera erunt concluſiones, earum præcipuę probationes, & argumentorum ſolidiſsimæ ſolutiones. Nova erunt, quæ ſæpiſsimè addam ad probationes urgendas, ad ſolutiones confirmandas, ad inſtandas contrariæ partis reſponſiones, quæ poſſent dari; ac demum ad enervandas inſtantias, quæ poſſent fieri contra proprias ſententias. Et quidem fateor, quòd iſta, quę mihi videntur nova, forſan ab alijs præoccupata erunt; ſed habeo, quo me defendam: quis ille enim eſt, qui omnes Scriptores, & omnia, quę ſcripſerunt, ſe vidiſſe glorietur? Paucorum hæc ſors eſt. Eo temperamento ſequendi vetera, & addendi nova, videor mihi ad unguem ſervaſſe præclarum illud monitum Vincentij Lirinenſis communi Sapientum acclamatione comprobatum: *eadem, quę didiciſti, ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova. Creſcat igitur... intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſed in ſuo dumtaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia.* Hoc, quod de dogmatibus Fidei edixit

Vin-

Vincentius, ſua proportione ſervatâ, tenendum eſt in concluſionibus Speculativæ Theologię, quę hinc inde diſputantur.

Quoniam verò in longa, & ſalebroſſa via fidiſsimum, & ſcientiſsimum ducem habere oportet, præſto mihi adeſt Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, quo in rebus Speculativæ Theologiæ *non præſtantior alter*: quem ſummâ veneratione ſuſpicio, & cujus non tam humano ſtudio comparatam, quàm divinitùs infuſſam doctrinam, in pręcordijs habeo. Itaque à perſpicua, & indubitata D. Thomę ſententia, maximè ex ijs, quæ in aurea, & gemmea Summa Theologiæ continentur, rarò diſcedam. Quòd ſi aliquando diſcedam, vellim, mihi accommodes, quod de laudatiſsimo Magiſtro Victoria ſcripſit doctiſsimus Magiſter Cano lib. 12. de Locis: *aliquando à D. Thoma diſſentiebat, majoremque laudem diſſentiendo, quàm conſentiendo aſſequebatur: tanta erat in diſſentiendo reverentia.* Sciunt omnes inter Diſcipulos D. Angelici alios eſſe profeſsione, & nomine Thomiſtas, alios non quidem nomine, ſed profeſsione. Hi ſunt Societatis Jeſu Doctores, ſed non ſoli. Utri meliùs Angelicum exponant, & præſsiùs, proximiùsque ſequantur, imò & aſſequantur, adhuc ſub judice lis eſt. Illam non componere, ſed decidere voluit Illuſtriſsimus quidam dignitate, acutiſsimus ingenio, & magnæ eruditionis

nis Vir, adiudicatâ causâ Thomistis, & pronunciato contra Jesuitas edicto. Sententiæ latæ momenta hæc illi fuere. 1: qui Thomistarum nomine gloriantur præcipui sunt, qui eamdem, quam Angelicus, Religionem profitentur. Quid inde? An D. Thomas Doctor est unius tantùm religiosę Familiæ; an potiùs totius Ecclesię, quam mira eruditione clarificat? 2: Thomistarum interest, ut suus Doctor emineat, & veluti Sol extra teli jactum positus effulgeat: ideoque majus studium adhibeant, oportet, ut illius sensum exquirant, & inventum comprobent, comprobatumque ab oppositis defendant. Quo hęc spectant? Nihilne Jesuitarum interest, ut Angelici gloria stet, quem prę omnibus Doctoribus Scholasticis sequendum sibi proposuere omnes Societatis Theologi, quotquot sua scripta in lucem dederunt, & quotquot Cathedras ascendunt. Quòd si obligatione, quam agnoscunt, aut si mavis tanta animorum consensione Jesuitę Ducem sequuntur Angelicum, nullus dixerit, quòd minùs studium ponant, quàm qui maximè, ad investigandas, & defendendas illius sententias. Lege sis nitidissimum Scriptorem P. Jacobum Granado in Prefatione ad suos in D. Thomam Commentarios cap. 3. Invitus hinc discedo; sed discedere oportet, ut quod pręcipuum in causa est, brevissimè exponam.

Duo

Duo ſunt Doctrinæ capita, quæ diviſerunt Scholas Thomiſticam, & Jeſuiticam, nempe Efficacia divinæ gratiæ, & Prædeſtinatio ad gloriam: hęc autem Doctrinæ Theologicę puncta cum aliquibus alijs inſeparabilem connexionem habent; cætera verò communia utrique Scholæ ſunt, & in ipſis Thomiſtæ à Thomiſtis, & Jeſuitæ à Jeſuitis diſcedunt. De his multùm curandum non eſt; at in alijs, quæ Scholam ab Schola diviſerunt maximâ animorum contentione (ut res ipſa poſtulat) quæretur: utra factio Angelicum pro ſe habeat? Hęc lis, quæ de re maximi momenti eſt, decidenda non eſt, deſumpto argumento ex nomine, quo altera ex duabus Scholis inſignitur. Agenda cauſa eſt Angelici teſtimonijs, ſolidiſsimis interpretationibus, expoſitionibus aptiſsimis, & collectis undique efficaciſsimis argumentis; id quod fœliciter (abſit verbo invidia) præſtitere, & præſtare pergunt Doctores Societatis; qui etiam appellant à Thomiſtis poſt exortum diſsidium ſcribentibus ad antiquiores Angelici Interpretes, & Commentatores.

His præmiſsis, de quibus præfando diſerui, præſentis operis diviſionem propono. Curſus iſte Theologicus decem Tractatibus dividetur. 1. de Deo in Eſſentia Uno, & in Perſonis Trino. 2. de Deo Sciente. 3. de Deo Volente. 4. de Beatitudine, & Actibus humanis. 5. de utra-

utraque divina Gratia, Auxiliante, & Sanctificante. 6. de Virtutibus Theologicis. 7. de Virtutibus Cardinalibus. 8. de Divini Verbi Incarnatione. 9. de Sacramentis in communi, & de Eucharistia in particulari. 10. de Pœnitentia Virtute, & Sacramento. Faxit Deus, ut meus hic labor in ejus gloriam cedat, & in studiosæ Juventutis profectum.

DISPUTATIO PRIMA.

DE DEO IN ESSENTIA UNO, ET DE EJUS ATTRIBUTIS.

THEOLOGIAM SACRAM ESSE similem parvo lacui, in quem si quis ingrediatur in immensum crescit oceanum, habetur certum ex Divo Nazianzeno, cujus est præclarum illud de Divinitate: *Tantum recedit, quantum capitur.* (Apud Causin. lib. 1. Symbolorum, quinquagesimo secundo.) Lacum hunc ingredior, acturus de Dei unius essentiâ, & ejus attributis; sed quem Primores, & hoc nomine digni, Theologi fecerunt exundasse, intra angustos limites coercere debeo. Curabo tamen, ut quæ necessaria sunt, & maximam vtilitatem afferre possunt, hâc Elucubratione includantur, & ut quam minimas in angusto patiatur angustias tractandarum rerum magnitudo.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA DEI.

Sectio prima.

FUNDAMENTALES PRO DICENDIS Notationes.

1 Notatio prima. Deus est ens optimum omnium, quę esse,& excogitari possunt. Hęc est Idęa characteristica Dei, quam non solùm Patres, sed & Philosophi, naturę lumine, affecuti sunt. Divus Augustinus primo de Doctrina Christiana, cap.*6* : *ut auditur hoc nomen Deus, movet ad cogitandum excellentissimam, immortalemque naturam.* Tullius de natura Deorum : *ea est Dei vita, qua nihil beatius, nihil bonis omnibus affluentius cogitari potest.* Est igitur nota, & firma Idęa Dei, sub ratione entis summi, excellentissimi, atque optimi omnium, quæ possiunt esse, & excogitari. Videri ea possunt, quę ex Scriptura, Patribus, & Philosophis in hanc rem eruditè congerit Noster Gillius libro primo, tractatu ultimo, capite primo.

2 Opponi posset primò : complexum ex Deo, & creaturis est quid perfectius Deo: comprehendit enim Dei perfectiones, & addit perfectiones creaturarum: ergo Deus non est omnium existentium perfectissimum, &

sum-

ſummum. Secundò: multò minùs eſt omnium excogitabilium excellentiſsimum, atque optimum: tùm quia poteſt excogitari Deus habens formaliter perfectiones creaturarum, qualiter illas Deus non continet: tùm quia quidquid chymęricum eſt, poteſt excogitari; ac proinde excogitari poteſt aliquid melius Deo.

3 Ad primum: quidquid perfectionis eſt in creaturis, quod ab imperfectione depurari poſsit, eſt formaliter in Deo; quidquid verò in illis eſt perfectionis, quæ eſſentialiter ab imperfectione præſcindi non poteſt, eſt eminenter in ipſo. Non itaque complexum ex Deo, & creaturis Deo ipſo perfectius eſt. Ad ſecundum: negatur aſſumptum. Ad primam probationem: Deus continens formaliter perfectiones creaturarum ab imperfectione indepurabiles, non eſſet Deus, ſed quid multis modis imperfectum; habens autem formaliter per identitatem perfectiones ſimplices creaturarum, eſſet quoque quid imperfectum. Illæ enim perfectiones creaturarum ſunt pariter creatæ; ac proinde ſi illas Deus per identitatem haberet, eſſet quid creatum. Ad ſecundam probationem: quidquid fingendo excogitetur melius Deo, eſt quid impoſsibile; quod autem impoſsibile eſt, imperfectius quocumque ente poſsibili eſt. Erit ita-

que illud impoſsibile infinitè diſtans à perfectione Dei, entis à ſe, ſummè neceſſarij, atque infiniti in omni reali perfectione. Manet igitur inconcuſſa idæa Dei ſub ratione entis ſummi, excellentiſsimi, atque optimi omniũ, quæ eſſe, & excogitari poſſunt.

4 Notatio ſecunda. Deum eſſe Unum, eſt ratione naturali demonſtrabile. Primò ſic: nam Deus eſt ens à ſe, & ſummè neceſſarium: ergo & ſibi ſufficiens, & non indigens alio à ſe. Indigeret alio à ſe, ſi alius eſſet Deus: ſine iſto enim alio Deo non poſſet exiſtere; cùm de ratione Dei ſit, non poſſe non eſſe: ergo Deus eſt unus, unicus, & excludens eſſentialiter conſortium alterius Dei. Secundò ſic demonſtratur unitas Dei: nam ſi præter unum Deum, alterum cogites, iſte vel erit ſuperior, vel inferior, vel æqualis. Si ſuperior; erit iſte ſolus Deus verus. Si inferior; iſte alter, quem cogitas, non erit Deus. Si cogitetur æqualis.

5 Contra eſt. Ambo erunt producti; vel unus improductus, & alter productus; vel ambo erunt producti? Si primum: ab alio erunt producti; quod propterea erit illorum Deus: neque enim excogitari poteſt, alterum ab altero viciſsim, & mutuò produci: nam evidentiſsimè implicat mutua cauſalitas effectiva quoad primum eſſe, ſive per primas actiones. Si ſecundum; Deus improductus, & à

ſe

se existens erit solus verus Deus; ille autem alter erit vera creatura, indigens, & dependens à Deo vero. Si tertium: qui istud cogitet, admittere, cogetur, infinitos Deos; cùm non sit potior ratio, ut duo, vel tres improducti existant, & non existant infiniti improducti. Hoc est delirium impossibilitate plenum; ut jam jam ostendam à numero octavo. Manet igitur evidenter probatum, Deum esse unum, qui *sic præstat alijs, ut nec par habeat, nec præstantius*: ut verbis Divi Anselmi utar, de Incarnatione, cap. 4.

6 Obscurare aliquis conetur datas demonstrationes. Objiciatur contra primam: ex tribus Personis Divinis nulla existere potest sine alijs; & tamen nulla indiget, aut dependet ab alijs: ergo quamvis unus Deus non posset existere sine alio, non propterea isto indigeret, aut ab ipso dependeret. Objiciatur contra secundam demonstrationem: infinitum categorematicū in numero ex suà ratione vel est impossibile, vel possibile? Si prius: quamvis existant duo, aut plures Dij improducti, non ideo aut erunt, aut esse poterunt infiniti. Si posterius: ostendi non potest impossibilitas infinitatis entium improductorum, cùm non sit in infinitate entium productorum.

7 Ad primum: nulla Divina Persona potest existere sine alijs ejusdem individuę

naturę, & inexiſtentibus per realem identitatem cum eàdem naturà: & ideò quamvis Divinę Perſonæ mutuò connectantur, nulla alijs indiget, aut ab alijs dependet. At, datà pluralitate Deorum, unus quilibet ab alijs dependeret, ijſque indigeret: quoniam ſine illis exiſtentibus non poſſet eſſe, omnes eſſent diſtinctæ realiter naturæ, nullusque alijs per identitatem realem cum eàdem individuà naturà inexiſteret. Paucis: una Divina Perſona connectitur cum alia, quæ non eſt extra ſe, & in hoc non eſt indigentia, neque dependentia. At unus Deus, non poſſet eſſe ſine alio extra ſe; illoque propterea indigeret, & ab illo dependeret.

8 Ad ſecundum admitto priorem diſjuncti partem, quam in Philoſophia docui. Attende modo: Infiniti categorematici in numero impoſsibilitas inſeparabilis eſt à poſsibilitate infiniti ſyncategorematici: nam ſi unum ens non excludit eſſentialiter aliud; neque iſtud excludet aliud; & ſic in infinitum. Ergo, admiſſa pluralitate Deorum, ſunt poſſibiles infiniti. Progredior: vel omnes ab æterno exiſtunt, vel non? Si primum: ergo habetur infinitum categorematicum Deorum; & dabitur id, quod impoſsibile ex ſua ratione ſupponitur. Si ſecundum: ergo Dij, qui non exiſtunt ab æterno, non ſunt Dij. Oſtenditur: im-

impoſsibile eſt, quod de non eſſe ad eſſe traducantur, niſi ab alio præexiſtente producantur: ergo non erunt producti, atque adeo non ſunt Dij; indeque non erit poſsibile infinitum ſyncategorematicum Deorum. Hujus autem poſsibilitas evidenter pullulat ex dualitate Deorum. Ergo.

9 Accedo ad poſteriorem disjuncti partem, & omitto poſsibilitatem infiniti categorematici in numero, & oſtendo, iſtud infinitum Deorum eſſe impoſsibile. Rectè ex communi ſenſu dixit Granado, hoc Deorum infinitum eſſe abſurdiſsimum. Rectè addidit Iſquierdo, neminem tale quid ſomniaſſe eo, quod ex ipſis terminis ſit ſatis evidens, talem multitudinem eſſe planè impoſsibilem. Arguo ſic: infinitum categorematicum entium productorum eſt quid ſuperfluum ex ſe, & intrinſecè; neque enim habet finem, ad quem ex ſe, & intrinſecè ordinetur; & ſi in re poneretur, acciperet ab agente deſtinationem ad aliquem finem. Ergo infinitum entium productorum eſt quid ſuperfluum ex ſe, & intrinſecè; neque enim, niſi ſomniando excogitari poteſt finis intrinſecus, ad quem dicat ordinem. Atqui illud infinitum neceſſariò exiſteret: ergo neceſſariò exiſteret aliquid, quod ex ſe, & intrinſecè eſſet ſuperfluum, quod eſt egregia implicatio. Hinc manifeſta,

palpabilisque est disparitas infiniti categorematici entium productorum ab infinito categorematico entium improductorum. Argumentum, quo propositi assumpti posteriorem partem probavi, mihi videtur demonstrativum: post multam enim considerationem nulla apparet propositio, quę probabiliter negari, aut de qua jure dubitari possit. Rem istam unusquisque examinet, & in suo sensu abundet.

10 Instabis: ex pluralitate Personarum Divinarum non arguitur, infinitas esse: ergo nec ex pluralitate Deorum arguitur, esse infinitos. Nihil hic est dificultatis: conceditur namque antecedens, & negatur consequentia. Divinæ processiones non possunt esse, nisi per intellectionem, & per volitionem; termini autem procedentes sunt infinitæ perfectionis, & excludunt essentialiter alios terminos: qua propter tota fœcunditas Divinæ Naturæ sistit in Trinitate Personarum, una producta, altera producta per intellectum, & tertia producta per volitionem. Hoc docet Fides, & non cogimur, id demonstrare contra Ethnicos, & Hæreticos, sed sufficit ostendere, quod illorum argumenta contrarium non evincant. At, admissa pluralitate Deorum, non est assignabilis ratio, cur tot sint, & non plures in infinitum, non modò syncatego

tegorematicè, ſed & categorematicè; & utrũque evidentèr implicat, ut probatum eſt.

11 Dicat aliquis. Nulla creatura in particulari, quę re ipſa exiſtit, eſt intrinſecè ſuperflua: ergo neque ulla multitudo hominum v. g. eſt intrinſecè ſuperflua: ergo nec eſſet intrinſecè ſuperflua infinita in numero categorematica multitudo: ergo demùm nec eſſet intrinſecè ſuperflua categorematicè infinita Deorum multitudo. Antecedens conſtare debet: aliter Deus, producendo creaturam, fruſtra operaretur.

12 Concedo antecedens: neque enim ullam creaturam Deus producit, quę non habeat finem intrinſecum, ad quem ſuà naturà, aut per exigentiam, aut per aptitudinem ordinetur. Concedo deinde primam conſequentiam: multitudo hominum, ſed & omnium viventium corruptibilium, ex ſe ordinatur ad propagationem, ac ſubinde ad conſervationem ſpeciei; quanta autem debeat eſſe multitudo, cum poſsit eſſe major, & major, hoc ad ſummam Dei ſapientiam ſpectat, qui omnia operatur *in numero, pondere, & menſura.* Nego ſecundam conſequentiam: nullus namque intrinſecus finis excogitari poteſt, qui non obtineatur per multitudines individuorum majores, & majores, quin ad infinitum categorematicum perveniatur: unde infinito

ca-

categorematico in numero Deus assignaret finem extrinsecum; qualis esset ostensio Omnipotentię, & infinitæ suæ Bonitatis. Nego tandem tertiam consequentiam: quoniam infinito Deorum in actu nec finis intrinsecus, nec extrinsecus assignari potest; ac proindè manet, quod necessariò existeret infinitum essentialitèr superfluum: quod est implicatorium.

13 Insurgeret hic Manichęus aliquis, & diceret, duos tantum esse Deos, bonum unum, alterum malum, ut ille bonorum, iste malorum esset author; alios autem forè superfluos, ac proindè impossibiles. Deliria Manichæismi nota suppono; & contra stultissimam datam responsionem argumentum instauro. Si Deus bonus non excludit essentialiter Deum malum, & sibi inimicum; cur essentialiter excludat alium Deum bonum, & sibi amicum? Et si Deus malus non excludit essentialiter Deum bonum, & sibi contrarium; cur essentialiter excludat alium Deum malum, & sibi fœderatum? Erunt ergo Dij infiniti, tùm boni, tùm mali; quod utrumque implicat.

14 Notatio tertia. Evidenter lumine naturali constat, Deum esse infinitum in perfectione. Ostenditur. Cogita infinitam seriem entium productorum perfectiorum, & perfec-

fectiorum, non solùm potentium existere ab æterno, sed existentium successivè, aut etiam, si vis, simùl. In totà hàc serie invenies essentialem indigentiam, ut sint ab alio, quod propterea sit à se, & necessariò existens. Hoc jam jam demonstrabitur. Tunc sic: omnes perfectiones illorum entium sunt ab illo ente à se, & necessario: ergo istud ens habet in se formalitèr, aut eminentèr omnes illorum perfectiones; evidentissimum enim est philosophicum illud: *nemo dat, quod in se non habet.* Vlteriùs: illud ens à se, & necessarium habet à se, & necessariò illas perfectiones; & iste habendi modus perfectio est. Ergo illud ens à se, & necessariò excedit in suà perfectione totam illam collectionem, aut seriem; & omnia, & singula entia producta, ex quibus constare cogitatur. Quod si dicas, alias, & alias infinitas collectiones, præter illam, quæ omittitur ab æterno existere, perfectiores, & perfectiores in infinitum potuisse existere, nullam vim derogas argumento. Ratio: nam istę aliæ infinitæ collectiones, cùm sint entium producibilium, non possunt esse, quin supponant essentialiter, à quo sint, & accipiant suas perfectiones; quod proindè sit à se; necessariò existens; ac demùm à quo in perfectione excedantur. Istud autem ens, principium, & causa dans cæteris esse, & perfectionem, Deus est. Hoc

15 Hoc discursu præsuppositò, argue sic: ens excedens in propria perfectione omnem perfectionem finitam, infinitum in propriâ perfectione est. Constat ex terminis: nam si finitum est, cùm non possit excedere se ipsum, non poterit excedere omne finitum, quin sequatur implicatio in terminis. Sed ens in propriâ perfectione excedens omnem perfectionem finitam, Deus ipse est: ergo Deus infinitus est in suâ perfectione.

16 Si quis hàc in re vellet tenebras luci offendere, & delirium delirijs involvere, diceret. Primò: superet Deus perfectionem omnium omninò entium finitorum: non autem demonstratur in Deo non esse ullam imperfectionem; seu positivam, ut materialitas, sive negativâ, ut ignorantia. Si in Deo sit ulla imperfectio, non est infinitus in sua perfectione: ergo hæc infinitas Dei non demonstratur. Secundò: supra perfectiones entium finitorum, perfectiones, quę in Deo demonstrantur, sunt, esse necessariò, & esse à se; sed non est evidens, quod istæ Dei perfectiones sint infinitæ: ergo non demonstratur, Deum esse infinitæ perfectionis. Tertiò: non distat Deus infinitè ab ente finito: nam est major alia distantia; nempè illa, qua ens finitum distat à nihilo. Sed si Deus non distat infinitè ab ente finito, non est infinitus; ergo, siquidem non

est

est evidens hęc distantia, Deus non est infinitus. Quartò: non ostenditur impossibilitas entis finiti omnium possibilium maximi; sed ut Deus hujus entis finiti, ac per consequens omnium possibilium finitorum perfectionem excedat, non requiritur infinita perfectio: satis namque erit excessus in minimo aliquo gradu perfectionis: ergo non ostenditur: ergo nec ostenditur, Deum esse infinitum.

17 Vrgeri hæc possunt: nam demonstratum non est, non extitisse necessariò ab æterno materiam improductam, coęvam primo agenti, hoc est, Deo. Sed ea materia non esset infinitæ perfectionis: ergo quod Deus à se, & necessariò existat, non est satis, ut demonstretur, esse perfectionis infinitæ.

18 Ad primum: nego majorem. Evidens enim est, non esse possibilem in tota latitudine entis imperfectionem, quæ per oppositam perfectionem removeri non possit. Imperfectio non essendi removetur per esse; imperfectio desinendi removetur per permanentiam in esse; & sic de alijs, aut numero infinitis, aut ferè. Et quidem imperfectiones entis creati unius, quæ non oriantur ex eo, quod sit ex nihilo, & ab alio, removeri possunt in alio ente creato per oppositas perfectiones; & à fortiori in Deo. Rursus: imperfectio ab alietatis, & contingentię, removeri possunt per

per oppositas perfectiones in Deo: demonstrabile namque est, Deum esse à se, & necessariò. Si itaque istæ maximæ imperfectiones abalietatis, & contingentiæ excluduntur à Deo intra latitudinem entis, à fortiori excludi possunt cæterę omnes, sin minùs in ente creato, abs dubio in increato. Quamlibet imperfectionem, sive positivam, sive negativam, cogites, illa per oppositam perfectionē intra latitudinem entis removeri potest; siquidem abalietas, & contingentia, quæ omnium maximæ sunt, à Deo per aseitatem, & essendi necessitatem removentur.

19 Ad secundum. Admitto majorem de perfectionibus, quæ sunt radix cæterarum, & nego minorem. Perfectiones, quæ excludunt omnem entis limitationem, sunt in suâ ratione infinitæ. Omne ens distinctum à Deo dicit essentialiter limitationem; nempè abalietatis, & defectibilitatis; hæ autem excluduntur in Deo per aseitatem, & necessitatem essendi: ac proinde istæ perfectiones excludunt limitationem, seu finitudinem. Ergo in sua ratione sunt illimitatæ, & infinitę.

20 Ad tertium. Nego majorem. Ad probationem adjunctam, nego assumptum: neque enim distantia entis finiti à nihilo est infinita, quod omninò requireretur, quamvis non sufficeret, ut hæc distantia esset major, quam

quàm distantia Dei ab ente finito. Quidquid est, tantùm distat à nihilo, quantùm perfectionis habet; ens autem finitum non habet perfectionem infinitam: ergo non distat infinitè à nihilo. Addidi, quod etiam si ista distantia esset infinita, id non sufficeret, ut excederet distantiam Dei ab ente finito. Ratio: nam Deus sic distat ab ente finito, ut per suã potentiam vincat distantiam entis finiti à nihilo; potest enim facere, ut sint, quæ non sunt; & quæ sunt, in nihilum redigere.

21 Ad quartum. Docui in Philosophia, impossibilem esse creaturam omnium possibilium maximam; hanc verò impossibilitatem esse demonstratam, nec cogitabo quidem: imò oppositam sententiam probabilem esse affero, & si non desint, qui illam improbabilitatis, & gravioribus notis fugillent. Concessa itaque majore, nego minorem, & adjunctam probationem. Constat ex dictis, creaturam omnium maximam involvere essentiales ipsi imperfectiones abalietatis, & contingentiæ; quibus imperfectionibus in Deo opponuntur aseitas, & necessitas essendi, istasque perfectiones in sua ratione esse infinitas. Deveniendum itaque est ad creaturam eò usque omnium possibilium maximam, ut ipsi non desint aliæ perfectiones præter assignatas, & alias characteristicas Dei. Ergo ut ista creatura

turæ omnium posſibilium maximæ perfectiones excedantur à Deo, non sufficit minimus perfectionis gradus; imò nec cumulus omniũ perfectionum, quæ supponantur finitæ.

22 Ad vrgentiam nego majorem. Implicatio ejus materiæ ostenditur ex eo, quod ponitur in majore, & ex eo, quod assumitur in minore: neque enim esset infinitæ perfectionis, ut assumitur; & esset perfectionis infinitæ ex eo, quod proponitur. Hoc ostenditur: nam materia à se, & necessario existens haberet essentialem æternitatem; sed æternitas essentialis est perfectio infinita: est enim summa duratio, & summo perfectionis modo habita, nempè à se, & necessariò: ergo illa materia haberet infinitam perfectionẽ, ac proinde esset infinitè perfecta. Occurri posset: probatur, illam materiam esse simpliciter infinitam in linea durandi, seu rectius, ejus durationem esse simpliciter infinitam. At non probatur, esse simpliciter infinitam in perfectione: neque enim in suo esse entitativo includit summam, & omnem perfectionem penes omnem lineam, & in omni genere entis. Ergo similiter dicendum de primo agente, hoc est de Deo. Contra hoc effugium est. Unde illa materia habet infinitam simpliciter perfectionem æternitatis, nisi ex eo, quod sit à se, & ens summè necessarium? Atqui si ex hac ra-

dice

dice non emanat illimitatio in genere toto entis, non est, cur ex eà radice nascatur perfectio infinita æternitatis essentialis in illà materià: ergo in ipsà nascetur illimitatio in omni genere entis; quod implicatorium est, & evertit, quod supponitur in urgentià.

23 Discursus factus desumitur ex Tertulliano, libro contra Hermogenem, præcipuum materiæ improductæ, atque æternæ defensorem. Ibi capite quarto contendit, illum Hæresiarcam duos Deos admittere. *Duos Deos*, inquit, *infert: materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit: unicum autem esse non poterit, cui aliquid æquabitur. Adæquabitur Deo materia, cum æterna censetur.* Dicebat Hermogenes: *Deus Deus est, & Materia Materia est.* Respondebat Tertullianus, hoc nihil valere: *quasi diversitas nominum comparationi resistat, si status idem vindicetur ::: innatus Deus: an non & innata materia?* En ex æqualitate materiæ cum Deo in æternitate infertur Deorum dualitas contra unitatem Dei, quam Hæreticus fatebatur? Quoniam autem iste suum errorem ex quibusdam Philosophis descripsit, notandum est, si non fuerint Athei, contra ipsos valere argumentum, quo, duos esse Deos, dicere compellantur; quod implicare, jam evidenter probatum manet.

SECTIO SECUNDA.

An, Deum existere, sit veritas per se nota?

24 VEritas per se nota est, quæ cognita immediatè, & evidenter penetratis terminis, movet ad assensum, imò ad illum determinat, quoad exercitium, aut saltem, quoad speciem. Alia dicitur per se nota, quoad se, & in se; alia per se nota, quoad intellectum, cui comparatur, quique potest immediatè illam cognoscere, & ex hàc cognitione moveri, & determinari ad assensum. Ista dicitur per se absolutè nota; illa verò dicitur per se nota, quantum est ex se. In subjectà materià loquimur de cognitione per se notà, quòad nos; & extendenda est doctrina ad alias substantias intellectuales, quæ nobis in intelligendi vi sint similes. Cum loquor de cognitione immediatà, non requiro, quòd non præcedat alia cognitio distincti objecti, ex quà subnascatur cognitio suspicativa, aut dubitativa, quæ resolvatur in cognitionem evidentem, desumptà immediatè evidentiâ ex ipsis terminis. Sic ex cognitione creaturarum oriri potest hæc suspicio, aut dubitatio: *an Deus existat?* Quòd si, ritè penetratis terminis, subsequatur evidentia, tunc affirmatio ista, *Deus existit*, erit per se nota.

25 In quæstione affirmant aliqui, eam pro-

propositionem esse per se notam quoad se. Ratio: quia ea propositio est per aliud evidentèr nota: ergo per aliud constat evidentèr terminos objectivos habere necessariam convenientiam, & connexionem. Sed in hàc connexione necessaria stat, quod veritas sit per se nota quoad se: ergo illa veritas est per se nota quoad se. Negant alij, & ipsorum ratio est: quia est impossibilis notio naturaliter habita per se, & immediatè, qua ex evidenti terminorum penetratione veritas illa innotescat: ergo non est veritas per se nota in se, sive quoad se. Confirmatur: sequitur, quòd omnis veritas objectiva necessaria sit per se nota in se; & sic vel ipsum mysterium Trinitatis erit per se notum ex se, & in se. Consequens videtur absonum: ergo & antecedens, unde sequitur.

26 Video hìc quæstionem de voce. Duo sunt in propositione per se notà, quæ ab omnibus ut talis admittatur. Primum: necessaria convenientia, & connexio extremorum. Secundum: possibilis notio immediata, & ex evidentià terminorum, qua veritas innotescat. Utrumque reperitur in propositione istà: *quodlibet est vel non est.* Primum ex his reperitur in hàc propositione, *Deus existit*; secundum non reperitur. Istud facit, quod non sit absolutè per se notū. De voce est: an, ut sit

per se nota ex se, sufficiat illud prius? Dic, quod velis, dummodò non neges, veritatem ex se notam per se dicere ordinem ad notionem: eum ordinem non esse realem transcendentalem ad notionem impossibilem; negationemque istius ordinis non oriri ex defectu convenientiæ necessariæ extremorum, quibus constat propositio necessariæ veritatis: qualis est ista, *Deus existit*.

27 Assertum. Deum existere, non est per se absolutè notum creaturis rationalibus existentibus operantibus solùm secundùm vires naturales intellectivas. Non disputo modò de substantiâ supernaturali, intellectivâ, quæ vi suâ posset evidenter penetrare immediatè, & ex terminis veritatem illam. Suppono, substantiam intellectivam existentem posse sic iuvari lumine superno, ut illam veritatem ex terminis evidenter cognoscat, illique assentiatur. Assertum tenent communiter Theologi cum Doctoribus Angelico, Subtili, Eximio Suario, & Acutissimo Vasquio; sentientibus verò contrarium Scientissimo Abulensi, Magno Alberto, & Seraphico Bonaventura, multisque Recentioribus. Authores citat Isquierdo hìc.

28 Probatur assertum. Id est per se absolutè notum, de quo haberi potest cognitio immediata, & evidens. Hæc propositio, quæ

est

est definitio veritatis per se absolutè notæ, sivè quoad nos, mihi, & Authoribus, quos sequor, certa est; & satis constabit exemplo stellarum, tùm quoad illarum existentiam per se absolutè notam, tùm quoad ipsarum numerum ignotum prorsus: quo exemplo statim utimur. Sed creaturæ rationales existentes, operantes secundùm solùm vires naturales intellectivas, non possunt habere ejusmodi cognitionem immediatam, & evidentem de Deo existente: ergo Deum existere, non est per se absolutè notum creaturis rationalibus existentibus, operantibus solùm secundùm vires naturales intellectivas. Minor probatur ex Concilio Viennensi, & habetur in Clementinà *Ad nostrum* de Hæreticis. Ibi damnatur error asserentium intellectum creatum sine lumine supernaturali posse Deum intueri. Sed cognitio immediata, & evidens de Deo existente est intuitio Dei: ergo intellectus creatus sine superno lumine non potest habere immediatam, & evidentem cognitionem de Deo existente: ergo creaturæ rationales existentes operantes, &c. Dices: dogma est de intuitione Dei, quoad *quid sit*, non verò quoad *an sit*. Contra: nam in propositione illà *Deus existit* ex parte subjecti ponitur Deus sub aliquà idèà proprià, & characteristicà ipsius; nempè sub conceptu entis à se, optimi,

ſummè perfecti, aliàve ſimili: ergo eà claritate, qua intueretur intellectus, *Deum exiſtere*, intueretur, *Deum eſſe ens à ſe, optimum, ſummèque perfectum*: ergo intueretur, *quid Deus ſit*. Occurres: intueretur utique eſſentiam Dei ſecundùm inadęquatum; non verò ſecundùm adęquatum. Contra: ſicut ſe habet viſio adęquata Dei ad eſſentiam adęquatam, ita viſio inadęquata ad eſſentiam inadęquatam: utraque enim viſio eſt finita in ſe, & utrumque objectum eſt in ſe infinitum. Sed intellectus creatus non poteſt naturaliter intueri eſſentiam Dei adęquatam: ergo nec inadęquatam poteſt naturaliter intueri.

29 Probatur aſſertum determinatè de hominibus viatoribus, in quibus *terrena inhabitatio deprimit ſenſum*, *corpus*que *aggravat animam*; &, ut ille dixit, vim noſtri Intellectùs in hoc ſtatu,

Noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Seponamus prima principia indemonſtrabilia, ex quibus eſt omnis ſcientia. Id, quoad nos viatores, eſt per ſe notum, quod percipimus immediatè per ſenſus: eà nempè claritate, qua ad aſſenſum, ſaltem quoad ſpeciem, cogamur. Ideò cùm videmus ſtellas, illas exiſtere, judicamus; & quia non videmus illarum

nume-

numerum, non determinamur ad judicandum esse pares, vel impares. Atqui Deus sub conceptu quovis characteristico, ipsiusque existentia longissimè distat à nostris sensibus, ut immediatè percipiatur: ergo Deus sub conceptu quovis characteristico, ipsiusque existentia non sunt nobis viatoribus veritas per se nota.

30 Objicies 1. Patres, & Philosophi hoc digni nomine docent, insitam esse omnibus hominibus notitiam firmam de existentia Dei: ergo hęc est veritas per se nota. Ratio consequentię: nam quod solùm per discursum innotescit, non omnibus hominibus, etiam in quibus intellectus benè dispositus est, notum, firmumque est. Pro antecedente audi ex Patribus Anselmum, libro pro insipiente: *Deus mox cogitatus indubitabilis existentiæ suæ non potest non percipi certo intellectu.* Pro Philosophis audi Tullium 2. de Naturâ Deorum: *esse Deum certâ animi notione præsentimus, talemque esse, ut in omni naturâ, nihil eo sit præstantius; quia necesse est præstantem aliquam esse naturam, qua nihil sit melius.* Confirmatur: sunt veritates per se notę: *ut totum est majus suâ parte; quodlibet est, vel non est.* Sed Deus est prima veritas: ergo, Deum sub conceptu primæ veritatis existere, est per se notum; aliter non esset prima veritas: cùm

aliæ sint per se notæ, non solùm quæ necessariè sunt, ut sunt illę immediatè assignatæ, sed & contingentes, ut, *existit mundus*, & *ego cogito*.

31 Ad argumentum. Eo sensu Patres, & Philosophi accipiuntur, ut insito naturæ lumine, & certà animi notione deveniamus per discursum ad evidentem cognitionem de existentià Dei, perindè ac si esset primum principium per se notum. Sic Vasquius, quem laudat Granado, hìc disputatione 1. Concesso itaque antecedente, negò consequentiam; & ad hujus probationem, dico cum Augustino, semotis paucis, in quibus naturale lumen obscuratum, aut extinctum est, omnibus notum, firmumque esse, Deum existere. Sed quo tandem modo? Plerisque per doctrinam à Majoribus acceptam; benè multis per discursum, & ratiocinationem: dubium est, an aliquibus per notitiam ex se, & ex terminis notam? Id negamus; negamusque, non esse notum, firmumque omnibus, in quibus intellectus benè dispositus est, id, quod tantùm per discursum innotescit. Hoc non negaveris, nisi affirmaveris, in Atheis, & Semiatheis intellectum esse bene dispositum, quod absurdo majus est.

32 Ad confirmationem, concessa majore, distinguo minorem claritatis gratià: Deus est

est prima veritas dignitate, & essentiâ; concedo: cognoscibilitate ab intellectu finito, naturaliter operante; nego minorem. Est dicere: Deus est summa, & imparticipata veritas; & à Deo veritas objectiva quęcumque alia suam veritatem habet, ratione cujus terminare potest cognitionem logicè veram: omne enim esse extra Deum, sive in statu possibilitatis (suo modo), sive in statu existentiæ, aut non existentiæ, est à Deo; & *ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Hæc quoad partem disjunctionis concessam; quoad negatam nil est, quod addatur. Negatur consequentia, & adjuncta probatio. Constat ex dictis, nullam veritatem per se notam quoad nos esse *simpliciter* primam veritatem, sed *secundùm quid*, quatenus non indiget medio, ut innotescat.

33 Objicitur 2. propositio enuncians de subjecto prædicatum essentiale est per se nota absolutè: absolutè namque est per se notum, quòd prædicatum essentiale convenit subjecto; sed in hàc propositione, *Deus existit*, de Deo enunciatur prædicatum essentiale: existentia enim est de essentiâ Dei: ergo ea propositio est absolutè per se nota. Confirmatur: Deus est optimum, quod esse, & excogitari potest: ergo illi essentialis est existentia; ac proindè, Deum existere, est per se ab-

so-

ſolutè notum. Iterùm: abſolutè per ſe notum eſt, dari à parte rei aliquid neceſſarium, ut hæc veritas, *quodlibet eſt, vel non eſt*; ſed ens à parte rei neceſſariumDeus ipſe eſt:nam quidquid aliud cogitetur, præſupponet Deum exiſtentem: ergo ſi per ſe abſolutè notum eſt dari à parte rei aliquid neceſſarium, eſt per ſe abſolutè notum, Deum exiſtere.

34 Ad argumentum. Diſtinguo majorem: illamque concedo, ſi abſolutè ſit per ſe notum, quòd prædicatum ſit eſſentiale ſubjecto; & nego, ſi id eo modo non conſtet. Probatio adjuncta non urget: quòd enim abſolutè ſit per ſe notum in communi, quòd prædicatum eſſentiale convenit ſubjecto;ut in particulari id ſit abſolutè per ſe notum, requiritur, quòd ſit per ſe abſolutè notum,tale prædicatum eſſe ſubjecto eſſentiale,& inſuper quòd propoſitio non ſit de ſubjecto non ſupponente. Sit exemplum. Non eſt per ſe nota propoſitio iſta: *Deus eſt immenſus*; quia non eſt per ſe notum,immenſitatem eſſe prædicatum eſſentiale Dei. Inſuper:non eſt per ſe nota propoſitio hæc: *immenſitas Dei ipſum determinat, ut præſens per eſſentiam ſit ubique*; quia non eſt per ſe notum abſolutè,propoſitionem non eſſe de ſubjecto non ſupponente. Ad rem noſtram: in hàc propoſitione *Deus exiſtit* admitto libentèr prædicatum eſſe eſſentiale ſubjecto,

jecto, illique essentialissimè convenire, idque esse per se notum conditionatè; sed non est per se absolutè notum, quòd subjectum supponat. Ratio: quia non est per se absolutè notum, quòd hi termini invicem non repugnent essentialiter: *ens*, & *improductum*; ijs autem terminis exprimitur omnium clarissima notio Dei. Constat ex dictis ad minorem argumenti, ejusque probationem, & negatur consequentia.

35 Ad confirmationem: existentia est perfectio, contingens quidem in ente finito; in Deo autem necessaria, & essentialis: quia Deus est ens optimum, quod esse, & excogitari potest; at nego, quòd sit per se absolutè notum, supponere subjectum objectivum: *Deus ens optimum omnium, quæ esse, & excogiri possunt.* Concede itaque antecedens, & consequentiam, & nega sequelam subillatam. Ad alteram confirmationem: per se absolutè notum est, dari à parte rei aliquid necessariũ disjunctivè, quoad esse, vel non esse, & hoc probatur principio illo, *quodlibet est, vel non est.* Præterea: datur aliquid necessarium conditionatè, quod sit per se absolutè notum; ut, *si totum existat, erit majus suâ parte.* Sed non est per se notum, dari à parte rei aliquid, quoad esse, & absolutè necessarium. Sic distinctà majore, atque etiam minore, nego consequentiam.

SEC-

SECTIO TERTIA.

An Deum existere, sit demonstrabile?

36 PRæmissum primum: Deum existere, unumque esse, certum est Fide divinà. Ratio: nam Deus in Scripturis revelavit suam existentiam, Exodi 3. *Ego sum, qui sum.* Revelavit & suam unitatem, Deuteronomij 32. *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Hinc in symbolo Fidei proponuntur credenda tùm existentia, tùm unitas Dei per illa verba: *Credo in unum Deum.* Dices: utraque veritas est naturaliter nota. Occurro: ad summum probas, eas veritates non posse Fide Divinà credi ab eo, qui evidentiam habeat; ut communiter volunt Thomistæ. Sed neque istud sequitur: nam ratio naturalis evidens non est Fidei contraria, sed per hanc illa perficitur: ergo quod per rationem scitur, potest per Fidem credi. Hanc doctrinæ partem, quantùm satis est, probabo in Tractatu de Virtutibus Theologicis disp. 1. c. 4. à num. 67. & à num. 82.

37 Præmissum secundum: Demonstrabilitas existentiæ Dei eousquè est Sacræ Scripturæ conspicua, ut omninò negari non possit. Probatur ex illo Sapientiæ 3. *A magnitudine speciei, & creaturæ poterit Creator horum videri.* Clariùs ex illo ad Romanos 1. *Deus illis* (Gentibus) *manifestavit: invisibilia enim*

enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. In his testimonijs *videri, manifestare, conspici* verba sunt, quæ satis exprimunt, sermonem esse de notitiâ per demonstrationem acquisitâ. Verum est, per similes expressiones in Scripturâ non semper insinuari notitiam evidentem; ut Joannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem.* Sed in textibus pro nostrâ doctrinâ allatis non est ratio, ut verba à propriâ significatione ad latam transferantur: undè propriè intelligenda sunt; sic autèm demonstrationem exprimunt. Rursus: indè arguit Apostolus Gentes in suâ irreligiositate fuisse inexcusabiles; ad hoc autem intentum congruentèr accipiuntur ij textus in sensu proprio. Demum: illos in sensu proprio exponunt Patres, ut videre est apud Lorinum, & Cornelium in prædicta loca. Constat ex dictis, negare evidentiam physicam de existentiâ Dei, esse in Fide periculosum; negare evidentiam, etiam moralem, cui intellectus prudentèr resistere non possit, esse contra fidem. Nec propterea, qui, esse demonstrabilem existentiam Dei, negaret, dicendus esset hæreticus: neque enim Ecclesia sufficientèr proposuit, revelatum esse, Dei existentiam esse demonstrabilem.

38 Conclusio. Deum existere, est ratione naturali demonstrabile. Sic omnes

Theo-

Theologi, Aliaco, & aliquibus Nominalibus exceptis, quos acriter redarguit Benedictus Pererius disp. 16. cap. 1. Epist. ad Romanos. Conclusio probata supponitur ex transcendentali Philosophia, sive Theologia naturali; ideoque hic brevitèr probanda est, demonstratione à posteriori desumptà ex creaturis.

39 Primò ratione, quà utuntur libentissimè Patres: quia nempè magnitudo, multitudo, & mirus ordo creaturarum, ex quibus hic visibilis mundus componitur, evidentissimè ostendit, esse supremam, & potentissimam mentem, quæ sit illarum Artifex: admodum, quo, viso pulcherrimo, magnificoque Ædificio, evidentèr cognoscimus, à peritissimo aliquo Artifice, illud præconceptum fuisse, ordinatum, atque ex ipsius directione executioni mandatum. Illa autèm superna, & potentissima Mens, cujus sapientia, & potentia res creatæ sunt, & in ordine continentur, Deus ipse est: ergo Deum existere evidens est.

40 Dixère aliqui ex Ethnicis, Naturam fuisse procreaticem hujus mundi. Sed mutarunt nomen, non rem: nam natura summè potens, & summè sapiens Deus est; cui nostri, *Naturę naturantis*, rei autem creatæ *Naturę naturatæ* nomen adaptarunt. Alij delirando dixère, Casum fuisse rerum causam. Sed isti ignorarunt naturam animi rationalis, quo

gau-

gaudebant, & quo indigni erant: evidentiſsimà experientià notum eſt, animum hominis cogitare, videre, & prævidere, deliberare, finem intendere, media eligere, arbitrio ſe regere. Hæc accepiſſe animum hominis à Caſu, causà penitùs cæcà, evidentiſsimè chymæricum eſt: ergo evidentiſsimè implicat, Caſum fuiſſe rerum cauſam.

41 Secundò demonſtratur, Deum exiſtere, argumento deſumpto ex Ariſtotele, quo cum Divo Thomà utuntur Doctores Scholaſtici: nempè quia *quidquid movetur ad eſſe, ab alio movetur*; ſeu *quidquid producitur, ab alio producitur.* Evidens eſt: nam nihil, cum non ſit, non poteſt dare eſſe rei, ut ſit; & res non poteſt accipere eſſe ab eo, quod illud dare non poteſt: ergo quidquid movetur ad eſſe, ab alio habente eſſe movetur: hoc eſt, quidquid producitur, producitur ab alio. Ergo deveniendum eſt ad principium improductum, neceſſarium in exiſtendo, quod ſit à ſe, & ſibi pleniſsimè ſufficiat. Hoc autem principium Deus eſt: ergo evidens eſt, Deum exiſtere.

42 Recurrunt Athei ad infinitas cauſas productas, aliam aliam producentem, exiſtentes ab æterno ſine termino à parte antè. Recursùs inutilitas mihi evidenter probatur ex eo, quòd Ariſtoteles voluit, mundum

fuiſſe

fuisse ab æterno, & quidem necessariò; & nihilominus firmissimè asseruit, necessariam esse increatæ causæ existentiam. Contra responsionem est: nam extra totam collectionem est aliud principium, vel non? Si prius: habemus intentum: nempè principium improductum, necessarium, sibi sufficiens, & à se existens, quod est Deus. Si posterius: cum tota collectio sit defectibilis, sequitur, quòd si non fuisset, ut potuit non fuisse, esset impossibilis, quod est manifesta implicatio. Quòd verò tota collectio sit defectibilis, ostenditur: nam prædicatum *entis insufficientis sibi*, quod singulis in collectione convenit, multiplicatur in infinitum; & indigentiæ infinitorum non potest succurri, nisi per aliquod, quod sit extra collectionem infinitorum, quæ indigent. Cogita sursum versùs infinitam catenam annulorum gravium, suaptè naturà petentium centrum deorsum; si extra illam infinitam annulorum collectionem non sit causa, quæ catenam sustineat, tota descendet. Hoc vulgari exemplo demonstrationem factam pro existentia Dei aptè explicabis.

43 Demonstratà Dei existentià, videjam, quid sequatur ex prænotatis sectione 1. Hæ sunt propositiones conditionatæ per se notæ: *Si Deus est, est ens optimum, & summum. Si Deus est, unus est. Si Deus est, infinitus est*

in

in suâ intrinsecâ perfectione. Subsume : atqui evidenter constat, Deum esse: ergo & evidenter constat, Deum esse ens optimum, & summum; esse unum; esse infinitum in suâ intrinsecâ perfectione.

44 Existentia Dei demonstrata est à posteriori ab effectibus, videlicèt à creaturis, quarum est causa. Queres nunc: an demonstretur quasi à priori? Loquimur in sensu metaphysico, & formali; quemadmodùm ex essentiâ hominis, tamquàm ex radice, probatur passio, & proprietas. Hoc modo non posse ex essentiâ Dei probari ejus existentiam, etiam omissâ distinctione formali adæquatâ, mihi certum est: nam omnis essentia, ut radicet, præsupponi debet existens in priori metaphysico ad proprietatem; quod enim non est, seu nihil est, nihil radicare potest. Implicat *in terminis*, essentiam Dei existere in priori metaphysico ad ipsam ejus existentiam: ergo existentia Dei demonstrari non potest quasi à priori ex Dei essentiâ, tamquam ex radice. Quid si loquamur in sensu alio, nempè, an Deum existere, demonstrari possit per ejus prædicata essentialia? Dico, neque in hoc sensu Dei existentiam demonstrari posse, quasi à priori: nulla enim est id generis demonstratio.

45 Oppones. Ens improductum, & ne-

ceſſarium eſt poſsibile : ergo exiſtit ; ens autèm improductum, & neceſſarium eſt Deus ex ſuà eſſentià : ergo ex prædicatis eſſentialibus Dei demonſtratur, ipſum exiſtere. Omnia evidentèr conſtant ex antecedente, & hoc evidentèr probatur: tùm quia in ente improducto, & neceſſario nulla implicatio oſtenditur, tùm quia eſſe improductum, & neceſſarium non deſtruit rationem entis, ſed illam ſummè perficit. Confirmatur : bonum ſine defectu evidentèr non eſt impoſsibile : ergo evidentèr eſt poſsibile; tale autèm bonum eſt Deus. Ratio antecedentis : quod eſt impoſsibile, eſt deriſibile, & odibile; ſed bonum ſine defectu evidentèr non eſt deriſibile, neque odibile : ergo evidentèr non eſt impoſsibile: ergo eſt bonum neceſſarium ; alioqui non eſſet ſine defectu. Hęc ex peracutis Theologis, quos inter noſter Antonius Perez, diſp. 1. de Deo, cap. 4. & 5.

46 Ad argumentum. Si ens neceſſarium eſt poſsibile, exiſtit. Hoc eſt evidens ; ſi ens improductum eſt poſsibile, evidens paritèr eſt, quòd exiſtit. Ratio: quia, ſi non exiſteret, non poſſet deincèps exiſtere, quin ab alio produceretur ; id implicat, quia eſt contra eſſentiam entis improducti. Nego, quòd evidentèr probetur antecedens, quin ſit per demonſtrationem à poſteriori ex creaturis pro-

duc-

ductis, & contingentibus. Ad primam probationem: eà evincitur, non demonstrari impossibilitatem entis improducti, & necessarij; non verò sufficit, ut demonstretur positivè, tale ens non esse impossibile, seu esse possibile. Sic in ente in Essentiâ Uno, & in Personis Trino non ostenditur implicatio; & tamen non ostenditur possibilitas. Ad secundam probationem, nego, demonstrari, conceptus *necessarij*, *& improducti* non destruere rationem entis, non facto recursu ad demonstrationem à posteriori. Replicabis: productio à causâ, & contingentiâ essendi sunt imperfectiones entis: ergo possibiles sunt enti perfectiones oppositæ improducti, & necessarij. Occurro: undè, nisi à posteriori, demonstratur, assignatas imperfectiones non esse enti necessarias? Si id non ostenditur, evidens non est, oppositas perfectiones esse possibiles. Insistes: qui formidet in ijs conceptibus *ens improductum*, *ens necessarium* posse latere implicationem, id formidare poterit de primis, & per se notis principijs. Nego sequelam: in ijs siquidem principijs evidentissimè convenit prædicatum subjecto; non autem constat evidentissimè, quod in assignatis conceptibus adjectum subjecto non repugnet. Paucis rem totam accipe: omnis naturalis evidentia de ente improducto, necessario, summo, & infi-

nito indè desumitur, undè illam desumunt Scriptura, & Patres; hoc est, ex creaturis.

47 Ad confirmationem in promptu est retortio: Trinitas Personarum in unitate essentiæ evidenter non est impossibilis: ergo evidenter est possibilis. Occurres: non est evidens, hoc mysterium esse impossibile; sed neque est evidens, non esse impossibile. Dico similitèr de antecedente confirmationis; quod si coneris, ut conari pro re tuà debes, esse evidens, quòd non sit impossibile bonum sine defectu, statim nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: quod est evidentèr impossibile, est derisibile, & odibile, admitto; quod est impossibile non evidentèr, est derisibile, & odibile, nego majorem: & constat ad reliquum. Quod in se est impossibile, paritèr est de se derisibile; sed id, de cujus impossibilitate non constat evidentèr, non est derisibile quoad nos. Non constat evidentèr impossibilitas boni sine defectu; quapropter, dato, quòd ejus possibilitas non probaretur à posteriori evidentèr, adhuc tale bonum non esset absolutè, & quoad nos derisibile. An, ut exemplo utar, est derisibilis absolutè, & quoad nos creatura omnium maxima eo, quòd non sit evidens, illam non esse impossibilem? Illud itaquè, de cujus impossibilate, & de cujus possibilitate non datur evidentia,

de-

derisibile absolutè, & quoad nos non est.

48 Consectarium. Essentia metaphysica Dei constitutivè, & formalitèr dicit existentiam; ac proindè ab istà adæquatè formalitèr illa præscindere non potest. Admittitur, in Deo esse perfectiones præscindentes formalitèr ab existentia: & tales sunt conceptus entis, substantiæ, & similes abstrahibiles à Deo, & creaturis. Admitto etiam, aliquas perfectiones Dei proprias præscindere formalitèr ab existentiâ: ut sunt Immensitas, & Omnipotentia. Admitto demùm, in Deo vel ipsam rationem entis necessarij præscindibilem formalitèr esse ab existentiâ: nam ad conceptum entis necessarij sufficit, quòd exigat essentialitèr existentiam, quamvis illam constitutivè non dicat. Hinc sensus consectarij est, essentiam Dei formalitèr adæquatè sumptam dicere constitutivè existentiam. Probatur ex Divo Augustino, 12. de Civit. cap. 2: *Deus summa essentia, quia summè est. Summè esse* dicit formalitèr, non solùm posse esse, & exigere esse, sed & ipsum esse, quod est existentia: ergo. Probatur à ratione: Deus est formalitèr ens infinitum simplicitèr in genere entis; sed ens simplicitèr infinitum in genere entis est formalitèr actuale, ac proindè existens: ergo. Major supponitur, & minor probatur: ens simplicitèr infinitum in genere

entis dicit formaliter omnem perfectionem simplicem, hoc est, puram, de tali genere; sed esse actuale est perfectio simplex de tali genere: ergo &c. Videatur Granado, tract. 2. de Deo, disp. 2.

SECTIO QUARTA.

Objectiones, quæ directè pugnant contra naturalem demonstrabilitatem Essentiæ Dei, solvuntur.

49 De ejus generis objectionibus sermo nobis est; non de alijs, quibus Athei, & Semiathei oppugnant Dei existentiam. Tales sunt, quæ desumuntur ex Dei Sapientia, Bonitate, Libertate, Providentia, & Justitia, quas perfectiones, & alias multas, à quibus Deitas semota esse non potest, illi delirantes aversantur. Minùs insanirent, si illas, aut aliquas negarent, assertà Dei, entis à se, & necessarij, existentia. Id fecerunt aliqui Philosophi, ut Tullius, qui, Deum agnoscens, negavit illi præscientiam futurorum, quam esse infœderabilem cum arbitrij humani libertate, putavit: & ut acutè dixit Augustinus, ut *homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Ab ijs, inquam, objectionibus abstineo: tùm quia illarum solutio ad Polemicam spectat; tùm etiam quia in decursu nostrę Theologiæ suis locis, in quos recurrunt, dissipabuntur.

Ob-

50 Objicitur 1: non est demonstrabile, quod acuti Philosophi, seriò, & impensè tractantes, negarunt, aut de quo dubitarunt; sed existentiam Dei negarunt alij, ut antè omnes Diagoras; alij de illa dubitarunt, quos præivit Pythagoras: ergo. 2: omnis demonstratio est ex principijs indemonstrabilibus, primis, & per se notis; sed nullum est primum principium, indemonstrabile, & per se notum, undè desumatur evidens ratio probans, Deum existere: ergo.

51 Ad 1. Absque ratione, & contra rationem Philosophi illi negarunt, aut dubitarunt de existentiâ Dei; depravatum, & obscuratum in ipsis fuit naturæ lumen: & cùm ipsis ex visibili creaturâ invisibilis Deus manifestaretur, noluerunt intelligere, ita ut fuerint inexcusabiles. Acumen intellectûs, & omne studium consumpsère in excogitandis cavillis contra existentiam Dei; cùm potiùs in penetrandis demonstrationibus pro ejus existentiâ incumbere debuissent: quod egregiè fecère præstantissimi omnium Philosophi, ut Aristoteles, & Tullius, & mille alij. Distinguo itaque majorem: & de Philosophis juxta naturale lumen procedentibus; concedo: de ijs, qui contra illud technas, & sophismata coacervabant; nego. Distingue ècontrà similitèr minorem, & nega consequentiam. Et

quidèm demonstratio parit scientiam; scientia autem excludit omnem formidinem. De existentiâ Dei nemo dubitare potest, qui demonstrationem habeat; formidare poterit (seorsim ab illustratione Fidei) qui illam non habeat, aut ex pravâ voluntatis dispositione, aut ex tarditate intellectûs, aut ex inordinata applicatione naturalis luminis ad ratiocinationes, acutas scilicèt, sed sophisticas; & sic de illis Philosophis impijs dictum est: *evanuerunt in cogitationibus suis.*

52 Ad 2. Concessâ majore, nego minorem; hæc enim sunt principia per se nota, sique alia. *Quod non est, non potest esse, nisi ab alio. Quod producitur, producitur ab alio. Implicat mutua causalitas in genere effectivo quoad primum esse.* Ex his principijs recta descendit demonstratio de Deo existente, qualem dedimus in probatione conclusionis. Notantèr ibi sic proposuimus principium illud: quidquid movetur *ad esse*, ab alio movetur; nam evidens non est, quòd ab alio ad operationem moveatur, quidquid movetur ad operationem sive immanentem, sive transeuntem. At istud, quod se moveret ad operationem non motum ab alio quoad operationem, evidentissimum est, quòd ab alio moveretur quoad *esse*: nam evidentissimum est istud principium: *quod non est, non potest operari.*

Ob-

53 Objicitur 3: ad demonstrationem requiritur, quòd terminorum significatum clarè, & evidenter intellectui appareat, quoad *quid sit*? Id non reperitur in allatis demonstrationibus pro existentiâ Dei: ergo. Probatur *minor*: nam deveniendum in ijs est ad terminum hunc formalem *Infinitum*; vix autem percipi potest, sive ad affirmandum, sive negandum, quid sit infinitum? 4: quidquid in rebus fit, aut fit naturaliter, ut calefactio; aut limitato consilio, ut domus. Sed ad hæc sufficiunt causæ creatæ; ut ad calefactionem ignis, ad domum homo: ergo non requiritur causa increata, nempè Deus. Confirmatur: res creatæ sunt contingentes; sed ex contingente non infertur necessarium; Deus autèm ens est necessarium summè: ergo.

54 Ad 3. Concedo majorem, & nego minorem. Ad probationem dico, satis evidenter percipi, quid sit infinitum, sub hàc, vel simili expressione: *quod caret termino*. Et quidem si loquamur de infinito in multitudine, seu numero, clara est hæc definitio: *quod successivè non potest percurri*; cùmque infinitum in quantitate, & qualitate constet partibus, adaptari huic infinito potest definitio illa infiniti in multitudine. Aristoteles 3. Physic. cap. 6. text. 62. hanc tradit definitionem: *cujus aliquid semper est extrà, hoc infinitum est*. Ac si di-

diceret: de infinito sume aliquid, & aliquid; semper erit aliquid ultrà, quod accipias. Jam verò in ijs, *quæ mole carent, id majus est, quod melius est*: in Deo itaque, ente spiritualissimo, & simplicissimo, est infinitudo in perfectione; est enim ens optimum omnium, quæ esse, & excogitari possunt. Sunt in Deo attributa, quæ ex ordine ad terminos extrinsecos infinitos infinitæ perfectionis esse dignoscuntur: ut Omnipotentia, Immensitas, & Æternitas; & quoniam hæc, & alia attributa radicantur in conceptu entis à se, & necessarij, constat, istum conceptum esse infinitè perfectum. Hæc dixi, nè ex obscuritate termini *Infinitum* obscurentur demonstrationes pro existentiâ Dei.

55 Ad 4. Vera est major de effectibus naturalibus; sed tamen sunt alij, qui naturari non possunt, quòd superant totam naturam: ut prophetię, & miracula. Loquendo de effectibus naturalibus, distinguo minorem: ad hęc sufficiunt causę creatæ, quæ sint, & conserventur à causâ inproductâ, concedo; aliter, nego minorem, & consequentiam. Solutio non indiget explicatione; & ad confirmationem objectionis, concessa majore, nego primam minoris partem, quę evidenter est falsa: nam evidenter infertur ex existentiâ rei contingentis, quòd ipsa potest existere; quę po-

tentia est quid necessarium. Oppones: hoc est, quòd veritas contingens inferat veritatem objectivè, & logicè necessariam; non quòd ex existentiâ rei contingentis inferatur existentia entis necessarij. Occurro: hoc, quod negas, evidenter verum est: nam si ens necessarium non existeret, nec existeret, nec posset existere ens contingens.

56 A fine sectionis ad principium redeo. Omittendas dixi objectiones, quibus impii impugnant existentiam Dei, desumptis ex ipsius Bonitate, Sapientiâ, & aliis attributis inseparabilibus à Dei existentis essentiâ. Ista inseparabilitas supponenda est, & conditionatè assumitur ab impiis. Rogo; & loquamur de Sapientiâ: unde probatur evidenter propositio ista: *Si Deus est, Sapiens est*? Non, nisi ex eo, quòd Deus sit ens omnium optimum, summum, & infinitum in perfectione. Vide modò, quàm facilè exarmentur impii.

57 Arguo sic. Vel Sapientia, qualis in Deo debet esse, est pefectio pura, immunis ab omni imperfectione; vel non? Si 1: ergo frustrà contenditis in Deo non esse sapientiam. Ostenditur: nam apponitis Sapientiæ Dei imperfectiones, à quibus non sit immunis: contra id, quod conceditis, admittentes eam disjuncti partem. Tales quas desumitis ex eo, quòd in naturâ sint monstra; quòd Deus mutare-

taretur cognoscendo præterita, præsentia, & futura; quòd præscientia futurorum humani arbitrij libertatem everteret. Si dicatis 2: ergo malè infertis, quòd si Deus est, sapiens est; contra id, quod supponitis istam partem disjuncti admittentes. Ostenditur: si sapientia non est pura perfectio, non infertur esse in Deo ex eo, quòd Deus sit ens omnium optimum, summum, & infinitum in perfectione: ideò ex eodem antecedente non infertur in Deo esse vitam vegetativam, quia hæc non est pura perfectio.

58 Hoc modo, nisi vehementèr fallor, Impij coguntur ad deserendas argumentationes, quibus ex impugnatione divinorum attributorum impugnant Dei, entis à se, & necessarij existentiam. Deindè, insistendo in demonstrationibus pro existentiâ Dei, etiam si nescirem (scio tamen) illorum ratiocinationes dissolvere, certus essem, illas non convincere, sed esse sophismata, in quibus insignis fallacia lateret. Exemplo utor. Evidens est, dari continuum: evidens est constare finitis punctis, aut infinitis partibus; quamvis nesciam dissolvere argumenta tàm contra partes, quàm contra puncta, non propterea dubitabo, minùsque negabo existentiam continui, sive constet partibus infinitis, sive finitis punctis. Discurre similiter pro re nostrâ.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA DEI, TUM PHYSICA, TUM METAPHYSICA,

SECTIO I.

Explicatur essentia physica Dei.

1. IN lineà entis limitati agnoscunt Philosophi essentiam physicam, & essentiam metaphysicam distinctas formaliter distinctione includentis ab incluso; nam physica metaphysicam includit formaliter, & non vice versà. Dicunt essentiam physicam coacervari ex omnibus prædicatis tùm primarijs non supponentibus aliud prædicatum, in quo radicentur, tùm secundarijs, quę prædicatum radicans præsupponunt. Dicunt, essentiam metaphysicam restrictam esse ad primaria rei prædicata, quæ propterea ipsam ab omni non ipsà differre faciunt, ijsque positis, illam poni, ijsque, aut aliquo eorum ablato, illam auferri, intelligitur. Videndum est, an modus iste philosophandi tenendus sit in explicandà Dei essentià, tùm physicà, tùm metaphysica? Hic pro eodem accipitur essentia, & natura; quamvis aliqui velint, distinguere in Deo essentiam, & naturam: quia, inquiunt, natu-

ra

ra est principium operationum ejus, in quo est; in Deo autem tale principium præcisè stat in intellectu, & voluntate. Inferunt, cętera Dei prædicata, ipsaſque intelligendi, & volendi operationes ad ejus essentiam, & non ad naturam pertinere. Sensu Theologico ex Patribus, & Concilijs, loquendo de Deo, in idem recidunt *Forma*, *Subſtantia*, *Essentia*, & *Natura*. Videatur Granado hic in comment. tract. 2. n. 2.

2 Assertum 1. Essentia physica Dei complectitur omnes perfectiones absolutas necessarias, quæ sunt in Deo; non verò actus liberos, & defectibiles, secundùm quod actibus necessarijs superaddunt. Prior asserti pars probatur: nam omnis, & quęlibet perfectio absoluta necessaria identificatur realiter adæquatè cum Deitate, quin officiat necessitati in existendo, aut communicabilitati tribus Divinis Personis. Sed essentia physica Dei complectitur omnes perfectiones, quæ cum Deitate adęquatè realitèr identificantur, & non obstant necessitati in existendo, neque ut sit communis tribus Divinis Personis: ergo essentia physica Dei complectitur omnes perfectiones absolutas necessarias, quæ sunt in Deo. Posterior ejusdem asserti pars suadetur: nam essentia Divina est infinitè simpliciter necessaria; sed actus liberi, & defectibiles, se-

cus

cundùm quod actibus neceſſarijs ſuperaddunt, non ſunt ſimplicitèr infinitè neceſſarij: ſunt enim contingentes: ergo iſtiuſmodi actus, ſecundùm quod neceſſarijs addunt, non ſunt de eſſentiâ phyſicâ Dei; alitèr hæc non eſſet infinitè ſimplicitèr neceſſaria; nam involveret aliquid contingens.

3 Aſſertum 2. Eſſentia phyſica Dei non complectitur Divinas Relationes. Probatur: nam eſſentia phyſica Dei eſt id, cum quo realitèr adęquatè identificatur Deus Pater; & ſimiliter Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Sed Deus Pater non identificatur realiter adęquatè cum complexo ex perfectionibus abſolutis, & Relationibus: ſed ſolùm cum abſolutis, non verò cum Relationibus: ergo. Alio modo: ſi Relationes eſſent de eſſentiâ phyſicâ Dei, nulla Divina Perſona eſſet phyſicè adęquatè Deus; nulla enim eſt phyſicè adæquatè eadem realitèr cum aliâ; conſequens eſt abſonum, & contra illud Niceni definientis, Filium eſſe Deum de Deo, perfectum de perfecto, plenum de pleno: ergo Relationes non ſunt de eſſentiâ phyſicâ Dei.

4 Dices 1. contra 1. aſſertum. Deus cognoſcit ſuam eſſentiam phyſicam: ergo hęc præſupponitur ad ipſius cognitionem: ergo cognitio iſta non ingreditur conſtitutivè eſſentiam phyſicam Dei. Et tamèn ea

cog-

cognitio est perfectio absoluta necessaria: ergo essentia physica Dei non complectitur omnes perfectiones absolutas necessarias. 2: essentia physica Dei complectitur omnem perfectionem sine imperfectione; sed actus liberi, & defectibiles, secundùm quod addunt actibus necessarijs, sunt perfectiones sine imperfectione: addunt enim quamdam virtualitatem realitèr adæquatè identificatam cum essentia infinitè perfecta: ergo. Dices 3. contra 2. assertum. Essentia physica rei est, quod realiter est ipsa res: ut patet in cujusque rei creatę essentiâ; sed Deus est realiter trina Relatio Divina: ergo. 4: hæc propositio est certa de Fide: *Deus est realitèr Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Etiam hæc in abstracto: *Deitas est Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva.* Sed eo ipso essentia physica Dei constituitur Divinis Relationibus: ergo &c.

5 Respondeo ad 1. Deus unico, & comprehensivo actu cognoscit se, & suam cognitionem; ad istam cognitionem non prę supponitur essentia physica Dei adęquatè sumpta; sed solùm quidquid est in Deo distinctum formalitèr ab ipsâ cognitione. Cognitio autèm reflexa, quâ Deus suam cognitionem cognoscit, est formalitas alia cognitionis: & utraque cognitio, reflexa, & directa, est de essentiâ physicâ adæquatâ Dei. Opponis: sequitur,

aut

aut duas formalitates Divinę cognitionis reflectere ſupra ſe ipſas mutuò, aut ſequi proceſſum infinitum formalitatum; quod utrumque implicat. Occurro: evidentiſsimum eſt, Deum ſe comprehendere, ac proindè cognoſcere ſuam ipſius cognitionem; quapropter alterum ex duobus non implicat. Modò ſecatur nodus iſte; ſolvetur poſteà, cùm de Scientiâ Dei diſputabimus.

6 Ad 2. Vim habet argumentum, ſi ſupponatur, actus Dei liberos dicere perfectionem. Id ego cenſeo; & probabitur in diſputatione de Voluntate Dei. Nego proindè majorem: eſſentia enim phyſica Dei complectitur ſolùm omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices: hoc eſt, quæ ſunt meliores ipſę, quàm non ipſę. Actus liber Dei unus non eſt melior, quàm non ipſe; hoc eſt, quàm oppoſitus: tantundem enim perfectionis diceret in Deo nolitio mundi, quæ non datur, quantum dicit volitio mundi, quę datur, ac proinde actus liber Dei prout talis non dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem. At, inquies, dicit perfectionem ſine imperfectione. Verum eſt de imperfectione poſitivà; falſum de negativà: hoc eſt, de negatione perfectionis, nempè de negatione neceſsitatis exiſtendi tàm realiter, quàm virtualitèr.

7 Reſpondeo ad 3. Nego majorem

universaliter sumptam; quæ non probatur inductione per res creatas. Disparitas est manifesta: nam essentia physica rei creatæ non est communis pluribus realiter distinctis; essentia autem physica Dei est communis tribus Divinis Personis. Hoc intelligi non potest, si Dei physica essentia complectatur Divinas Relationes. Et quidem Patres contradistinguunt vsiam, naturam, & essentiam ab hypostasibus, relationibus, & personalitatibus; quod profectò stare non potest, si relationes essent de constitutione essentię Divinæ: nam quis credat, quòd loquantur in eà contrapositione de essentià non adæquatè sumptà, hoc est, de essentià tantùm secundum absoluta?

8 Ad 4. concedo majorem, & nego minorem: unaquęque namque divina Persona, & unaquęque divina personalitas est adęquatè, perfectè, & plenè Deus; non restrictè: quapropter unaquęque habere debet adæquatam, perfectam, & plenam Deitatem. Illam non sic haberet unaquæque Persona, si essentia physica Dei constitueretur per relationes. Itaque divina Persona est adæquata essentia physica Dei, quin sit omne id, quod ipsa realiter est; cùm una Persona distinguatur realiter ab alijs, quibuscum essentia realiter identificatur. Id omnibus dicendum est, si loco essentiæ physicæ Dei substituatur in propositionibus, esse Dei absolutum. Vi-

9 Vides in quæstione ferè de nomine miſceri puncta difficillima totius Theologię. Hæc quęstio ſimilis omnino eſt alteri, in qua diſputatur: an omnipotentia conſtituatur per virtutem productivam ad intra? In hac quæſtione communior eſt ſententia negans, quàm affirmans, quamvis hęc bonos habeat patronos. Idem accidit in quęstione de eſſentiâ phyſicâ Dei. Et quoniàm in quæſtione ferè de nomine oportet, loqui cum pluribus, ideo, ſicut in eâ quęstione de omnipotentiâ, ſic in iſtâ de eſſentiâ phyſicâ Dei, partem negativam amplector.

10 Non omittam ſententiam Angelici q. 2. de potentiâ, art. 5. Quærit in terminis: an potentia generandi Verbum ſub Omnipotentiâ comprehendatur? Reſpondet, potentiam generandi Verbum pertinere *ad Omnipotentiam Patris*, non verò *ad omnipotentiam ſimpliciter*. Dicerem ſimiliter, relationes divinas pertinere conſtitutivè ad eſſentiam phyſicam Dei prout in Perſonis; non verò ad Deitatem ſimpliciter. Atqui diſputamus de Deitate ſimpliciter, & abſolutè ſumpta: ergo &c.

SECTIO II.

In quonam conſiſtat eſſentia metaphyſica Dei?

11 ESSentia metaphyſica rei juxta communem philoſophiam id eſt, quo

prȩcisè posito, ponitur res, & quo prȩcisè ablato, res aufertur. Hoc duplici explicatur modo: aut per prȩscisiones intentionaliter; aut realiter: & iste modus subdividitur. Aut enim essentia ponitur modo possibili, & aufertur eodem modo; aut ponitur, vel aufertur modo impossibili. In primo nihil est, quod ingerat dificultatem; ut si dicamus, posito animali rationali, ponitur homo, & ablato animali rationali, homo aufertur. In secundo est difficultas: nã inciditur in hypotheses impossibiles; ut si dicamus; si Petrus esset animal rationale, & non esset risibilis, esset homo; vel, si Petrus esset risibilis, & non esset animal rationale, non esset homo. Docui in philosophià, argumentationem ab hypothesi impossibili (rectiùs, ab hypothesi complicãte partes incompossibiles) esse inutilem ad examinandas rerum essentias. Quàpropter illo principio utor: *id, quo prȩcisè formaliter non intellecto, quin directè formaliter intelligatur aliud, intelligitur res*; & *quo precisè formaliter non intellecto, quidquid aliud intelligatur, non intelligitur res, est essentia metaphysica rei.* Nihilominùs argumentationes in præsenti ab hypothesi impossibili admitto, ad hũc nempè finem, ut quotiès oporteat, deducatur respondens ad impossibile; hoc est, ad duo contradictoria, alterum, quod ipse contendit, alterum, quod necessariò inferatur. His

12 Hic ſupponendum, aut omittendum eſt, in Deo eſſe prædicata intrinſeca, quæ formaliter ratione ratiocinatâ diſtinguuntur adæquatè: ut ſunt intellectivum, & volitivum, infinitum utrumque in ſua lineâ. Animadvertendum inſuper eſt, in Deo eſſe determinatas perfectiones, quæ ſint aliarum metaphyſica radix; & alias, quæ in prioribus metaphyſicè radicentur.

13 In quæſtione multæ ſunt Doctorum ſententiæ. Prima tenet, eſſentiam metaphyſicam Dei eſſe definitivè: *radix omnium attributorum Dei*; hancque radicem eſſe vel ſimplicem, vel multiplicem; ita ut vel omnia attributa ab unâ radice oriantur; vel ſingula à ſingulis. Rejicitur: ni explices, quænam ſit iſta radix ſimplex, vel multiplex attributorum Dei, explicas ignotum per æquè ignotum; quo majus vitium in definitione eſſe non poteſt. Inexplicata maneret eſſentia hominis, ſi diceres, eſſe radicem proprietatum hominis: debes explicare, quænam ſit iſta radix; & ni aſſignes, ſtare in his prædicatis *animal rationale*, nihil dixeris: ergo ſimiliter in re noſtrâ.

14 Aliorum ſecunda ſententia eſt, eſſentiam metaphyſicam Dei ſic definiri: *Ens infinitum*. Contrà: aut lòqueris de ente infinito in omni genere entis, vel in aliquo tantùm

genere? Si 1: relaberis in sententiam constituentium essentiam Dei in complexo omnium perfectionum, quæ in ipso sunt. Si 2; assigna, in quo determinato genere entis sit infinitas constitutiva Dei. Etenim unumquodque Dei attributum est infinitum in suo genere: omnipotentia in genere potentiæ producti væ ad extrà; æternitas in genere durationis; & sic de cæteris. Atqui differentia essentialis, constitutiva rei, non potest convenire formaliter, & constitutivè proprietati, sive passioni rei: ergo infinitudo, sive illimitatio non est differentia essentialis, & constitutiva Dei. Si dicas, istam determinatam infinitatem esse in præcisà ratione entis; contrà est: hæc ratio complectitur, posse esse, necessitatem essendi, & actuale esse; quę omnia comprehenduntur in conceptu *entis à se*: ergo relaberis in hanc sententiam; quę

15 Est tertia, & celeberrima habens pro se multos, & optimos Doctores ex Thomistis, & Nostratibus, quibuscum Eminentissimus Gotti (quem hìc, & ubique nominasse, laudasse, sit) q. 3. de Deo, dub. 3. & amicissimus olim meus Pater Viva, hìc disp. 1. q. 2. Rejicitur hæc sententia. Conceptus *entis à se* transcendit omnia attributa divina, & ipsas relationes. Sed essentia metaphysica Dei non transcendit formaliter attributa, & relationes;

nes : ergo in conceptu *entis à se* non consistit Dei essentia metaphysica. Major supponitur: nam ratio entis à se stat in summà necessitate existendi, & in exclusione causæ, à qua sit; utrumque autem hoc prædicatum convenit formaliter attributis divinis, & relationibus: & in hac convenientiâ stat transcendentia formalis. Minor probatur: nam omnipotentia v.g. non est tota, & adæquata essentia metaphysica Dei in sensu formali, & præscisivo; relationes autem, cùm non sint de essentiâ physicâ Dei, ut constat ex sectione præcedente, esse non possunt de essentiâ metaphysicâ; idque ab omnibus conceditur.

16 Occurris. Essentia metaphysica Dei consistit in conceptu *entis à se*, aseitate excludente non solùm causam, sed & radicem metaphysicam, & principium virtuale. Iste aseitatis modus nec attributis, nec relationibus convenit: attributa enim sunt metaphysicè ab essentiâ; & relationes ab essentiâ virtualiter dimanant.

17 Contrà: hac responsione nihil explicatur: nam, quæro, quænam est ista perfectio in Deo, quæ excludit esse ab alio, tanquã à radice metaphysicâ, & virtuali principio? Non est conceptus *entis* præcisissimus: est namque communis creaturis, & transcendit formaliter attributa divina, & relationes. Non

est determinatus conceptus *entis infiniti*, prout præcisè dicens, posse esse, necessitatem essendi, & actuale esse: iste enim conceptus sic determinatus convenit formaliter singulis attributis, & divinis relationibus. Quod ergo illud prædicatum in Deo est, quod sit à se, exclusà causà, radice metaphysicà, & principio virtuali? Dices: non aliud, nisi prædicatum entis, quod per aseitatem determinatur ad Deum; & quod, non supponens aliud prædicatum prius, modis omnibus est à se. Contrà; & redit difficultas: quid enim est istud ens? Habetnè alia prædicata, quæ ad Deum per aseitatem determinentur, sicut ipse objectivus conceptus entis determinatur? Profectò habet: conceptus scilicet substantiæ, spiritualis, viventis, & rationalis. Hoc est illud ens, quod ad Deum determinatur per differentiam aseitatis, ac proindè Deus constitutivè dicit prædicata enumerata, quæ sunt contractiva entis.

18 Et hæc est 4. sententia communissima inter Doctores Thomistas, Scotistas, & Jesuitas, apud Munieſſam hìc, disp. 5. sect. 1. Hæc sententia scinditur in tres dicendi modos: 1. constituit Dei essentiam per intellectionem actualissimam: 2. per intellectivum condistinctum ab intellectione actuali: 3. per intellectivum simul, & volitivum. Rejicitur hęc

hęc ſententia : & loquamur determinatè de intellectivo , eadem dicturi de volitivo , tùm etiam de intellectione, ac de volitione actualibus. Ideò eſſentia metaphyſica Dei conſiſteret adæquatè in intellectivo à ſe ; quia eſſet conceptus prior, & perfectior cæteris:ac proindè in eo radicarentur cæteræ divinæ perfectiones. Ratio hæc nihil convincit : ergo eſſentia metaphyſica Dei non conſiſtit in intellectivo à ſe.

19 Major eſt Adverſariorum fundamentum. Minor probatur ſic. In primis , negari poteſt , intellectivum eſſe perfectius volitivo; ut multi negant , & communiter Scotiſtæ. Deinde multi contendunt , omnia Dei attributa eſſe æqualiter infinitè perfecta , & quidem formaliter , & non merè identicè. Do, quòd conceptus intellectivi ſit nobilior volitivo ; negari tamen non poteſt , complexum ex intellectivo , & volitivo eſſe quid perfectius puro intellectivo. Tunc ſic: Deus ex ſuâ eſſentiâ eſt vivens rationale; ſed vita rationalis adæquatè ſumpta complectitur intellectionem, & volitionem, ac proinde vivens rationale adęquatè ſumptum complectitur intellectivum, & volitivum : ergo & utrumque complectitur Deus ex ſuâ eſſentiâ metaphyſicâ. Quid itaque præſtat,quòd intellectivum ſit perfectius volitivo, ſi complexum ex utroque

que perfectius est alterutro, & conceptus viventis rationalis utrumque vitę gradum formaliter amplectitur? Quòd autem intellectivum sit prius volitivo, non est omninò certum: si enim possibile sit intellectivum non volitivum, & volitivum non intellectivum, ut docent aliqui, neutrum altero prius erit, nec quidem in subsistendi consequentia. At in hoc genere sit intellectivum prius volitivo, ut volunt adversarij; concedo etiam, quòd sit prius priorítate radicis. Adhuc stat, quòd utrumque constituat adæquatè vivens rationale, & quòd iste conceptus sit de essentia Dei.

20 Respondes: in complexo prędicatorum illud præcisè constituit rem, quod est nobilius; cætera minùs perfecta sunt proprietates essentiæ: & sic se habent respectu Dei intellectivum, & volitivum, ex quibus coalescit adęquatus conceptus viventis rationalis. Contrà: quamvis virtus ad intellectionem evidentem sit perfectior virtute ad cognitionem opinativam, utraque virtus constituit rationale hominis: ergo similiter in re nostrà. Urgentius, & immediatius: in Deo virtus intellectiva ad cognoscendum objectum primarium perfectior est virtute ad cognoscendum objectum secundarium. Insuper: virtus intellectiva, qua Deus se comprehendit, est perfec-

fectior virtute, qua objecta finita supercomprehendit. Nihilominùs intellectivum, quod est constitutivum Dei, complectitur constitutivè omnes istas virtutes ad objecta primarium, & secundarium, ad comprehensionem, & supercomprehensionem: ergo quamvis intellectivum sit perfectius volitivo, vivens rationale, quod est constitutivum Dei, complectetur constitutivè volitivum, & intellectivum.

21 Dices: quando prædicatum perfectius est adæquatum in suà lineà, illud est constitutivum; cætera sunt proprietates. Intellectivum autem, quod est prædicatum perfectius, est adęquatum in suà lineà, & ut sit, complecti debet omnem omninò virtutem intellectivam: unde nulla est paritas ab intellectivo secundùm omnes suas virtutes constituentes essentiam Dei ad volitivum, ut pariter illam constituat. Contrà: ergo jam non est satis, ut excludatur volitivum à constituendo, quòd sit minus perfectum intellectivo, & quòd ad istud subsequatur. Contrà est insuper: linea intellectivi continet sub se lineam intellectivi objecti primarij, & lineam intellectivi objecti secundarij; & quælibet ex istis est adæquata in suà specie athomà, ut ita dicam: ergo essentia Dei constituitur per utramque vim intelligendi; vel tantùm per illam,

illam, quæ prior, & perfectior est. Si hoc posterius, ut volunt aliqui: jam intellectivum, quo Deus constituitur, non est adæquatum secundùm omnes gradus intellectivi; ac proinde intellectivum, quo Deus constituitur, non est simpliciter infinitum in suà linea intellectivi. Hoc autem dicendum non est. Si admittatur illud prius: ideo hoc, ut intellectivum sit adæquatum; sed ut rationale adæquatum sit, requiritur volitivum: ergo Deus constituitur per volitivum.

22 Replicabis: quę dicta sunt, probant, Dei essentiam metaphysicam formaliter complecti volitivum, & intellectivum in actu 1. & si placet, intellectionem etiam, & volitionem in actu 2. & sic intellecta perstat intacta sententia, quam impugnamus. Repono: habemus jam, non rectè excludi ab essentiâ Dei aliquas, aut omnes perfectiones distinctas ab intellectivo, & volitivo ex eo, quòd complexum ex omnibus perfectionibus pertinentibus ad lineam viventis rationalis præsuponatur, & sit excellentius cæteris attributis, ut omnipotentiâ, æternitate, immensitate, & alijs. Superest, ut videamus, an aliquæ, aut omnes istiusmodi perfectiones constituant formaliter Dei essentiam?

23 Docet 5. sententia, essentiam metaphysicam Dei consistere in complexo omnium

nium perfectionum absolutarum, quę in ipso necessariò sunt. Hanc tenent egregij Doctores ex omni Scholà, quos citatos sequuntur Rhodes, d. 1. q. 3. sect. 1. Quiros d. 17. s. 7. & Munieſſà, d. 5. sect. 6. Cum hàc sententià

24 Est nostra conclusio. Essentia Dei metaphysica complectitur formaliter omnes perfectiones absolutas, & necessarias, quę in ipso sunt. Probatur authoritate Scriptur. Exod. 3. Deus de se dixit Moysi: *Ego sum, qui sum.* Et prącepit, ut Israelitis diceret: *Qui est, misit me ad vos.* Quid est istud, *qui est?* Est infinitum pelagus essendi; est ens infinitum in omni genere entis; est esse infinitè perfectum complectens omnes perfectiones simpliciter simplices. Hanc explicationem disces ex Patribus; & nota, Patres non aliter asserere, *intellectionem*, exempli gratià, *esse de essentià Dei*, *quàm alia attributa*: quod demonstrat Eruditiſ. Montoya, d. 8. de Trin. s. 6. Ergo siquidem intellectio, aut aliquæ, vel aliqua Dei perfectio est de essentià metaphysicà Dei, pariter ex doctrinà Patrum sunt de eàdem essentià singula, & omnia attributa. Jam verò, cùm sint propè innumera Patrum testimonia pro datà sacri textùs explicatione, quæ colligunt nostrę sententię Doctores, pauca seligo, quæ rem convincere, mihi videntur.

25 Nacianzenus, orat. 38. de Nativit. Do-

Domini: *Videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum esse; Qui est: totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminatum.* Bernardus, 5. de consider. ad Eugen. ante medium: *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, si quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur: Est; nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse.* Anselmus Monolog. c. 15.: *Si quæratur, quid sit ipsa summa natura, de quâ agitur, quid verius respondetur, quàm justitia::...Palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, & cetera. Quod non est aliud, quàm summum ens.* Hanc doctrinam, ut ipse testatur de integro Monologio in præfatione, desumpsit Anselmus ex Magn. Parent. August. ex quo allegasse sufficiat illud præclarum, lib. 6. de Trin. c. 4. & alibi; *Hoc est Deo esse, quod fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse.* Patribus accensendus est D. Ang. quæst. 13. a 11. citato Damasceno, inquit: *Principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus est: Qui est. Totam enim in se ipso comprehendens, habet suum esse, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum: quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei; sed hoc nomen, Qui est, nullum modum*

essendi

ssendi determinat ; sed se habet indeterminatè ad omnes: unde ipsum nominat pelagus substantiæ infinitum.

26 Respondent Adversarij. Patres loquuntur de essentiâ Dei physicâ, & prout est in se; non de metaphysicâ, & prout subest considerationi nostri intellectùs. Contrà: intactam nè, & inexplicatam reliquere Patres essentiam Dei metaphysicam? Si affirmes: ergo tuam sententiam quoad essentiam metaphysicam Dei non potes ex Patribus probare: quod mihi satis est, ut illam impugnem. Si neges: ergo Patres in aliqua, vel aliquibus, vel in omnibus perfectionibus illam sitam esse dixere. Non in aliquâ, vel aliquibus tantùm: ergo in omnibus. Atque istud clarissimè constat ex præjactis testimonijs; & ex eo, quod notavimus ex Ruisio Montoya, nempè, Patres non aliter de unâ, quàm de omnibus perfectionibus locutos fuisse, inter explicandum quidditatem, & essentiam Dei.

27 Dicunt aliqui, Patres agere quidem de essentiâ Dei metaphysicâ, non philosophicè, sed theologicè sumptâ. Valde displicet hæc cogitatio: neque enim Patres, qui præstantissimi fuere philosophi, & præsertim ij, quorum testimonia protulimus, has duas acceptiones memorarunt: ideo, quia essentia Dei metaphysica, sicut neq; theologicè, ita

neq;

nec philosophicè explicari potest, nisi per complexum omnium perfectionum absolutarum, quę necessariò sunt in Deo. Expende illud Nacianzeni::*Esse totum in se ipso comprehendens, pelagus substantiæ infinitum.* Explicabisnè totum philosophicè, explicatà parte; aut pelagus infinitum substantię definitione comprehendes, definiendo aliquam substantiæ partem? Similes ponderationes facies, expendendo aliorum Patrum testimonia. Concludes, hanc expressionem, *qui est*, & istam, *complexum ex summo intellectu, omnipotentia, & cæteris perfectionibus absolutis & necessarijs*, se habere instar definiti formalis, & formalis definitionis.

28 Ex prædictis Patrum testimonijs multę rationes desumuntur, quibus nostra conclusio probatur; quas videre potes apud citatos Rhodes, Quiros, & Munieſſa, & præcipuè apud Exim. Suarez disp. 3. Metaph. s. 6. & lib. 1. de Essent. Dei, cap. 11. Duobus tantùm utar argumentis à ratione petitis.

29 Arguo 1. Esse constituens Deum est simpliciter infinitum in genere essendi: ergo dicit formaliter omnem perfectionem absolutam necessariam. Ratio cons: nam quælibet ejusmodi perfectio est aliquod esse; & hoc esse deesse Deo non potest, & pertinet ad naturam, & essentiam prout distinctum à suppositali

talitate. Dices. Satis est, essentiam Dei esse simpliciter infinitam in lineâ determinatâ entis; sicut omniscientia in lineâ scientiæ. Contrà: hoc non sufficit, ut esse Dei sit simpliciter absolutè infinitum; sed restrictè in aliquâ lineâ. Atqui esse Dei est simpliciter absolutè infinitum: est enim *pelagus interminatum substantiæ; esse, in quo omnia instaurantur, quæ de Deo dicuntur; tus summum; totum in se ipso comprehendens*: ergo.

30 Arguo 2. Deus est ens optimum, & omnium, quæ excogitari possunt, perfectissimum. Hanc Dei ideam Patres, & Philosophi ubique proponunt. Ergo Dei essentia metaphysica complectitur formaliter omnem omnino perfectionem absolutam, & necessariam. Bona est consequia ratione essentiæ metaphysicę Deus est ens optimum, & perfectissimum omnium excogitabilium. Atqui non esset tale, & tantum ens, si Dei essentia metaphysica non complecteretur omnem omnino perfectionem absolutam, & necessariam: ergo. Constat min: nam Deus est Deus ratione Deitatis; & essentia metaphysica Dei ipsa est Deitas: ergo essentia Dei metaphysica debet esse optima, & omnium, quę cogitari possunt, perfectissima; per aliquam autem, aut aliquas perfectiones non est optima, & perfectissima: aliæ enim, & aliæ supersunt, quibus magis

perficiatur : ergo. Dices. Satis est, essentiam Dei esse intensivè optimam, & perfectissimā, quin debeat esse extensivè talis ; sive, quod idem est, quòd sit optima, & perfectissima radicaliter; non autem requiritur, esse talem formaliter. Contrà: hoc idem esset, ac dicere, ad infinitum in multitudine sufficere, tale esse intensivè, & radicaliter, non verò requiri infinita formaliter individua, ut acutè notavit Quiròs.

31 Rejicitur prætereà responsio data. Arguamus ab hypothesi impossibili. Quid si Deus non esset Omnipotens ? Adhuc dicere debetis, esse ens optimum. Atqui non esset ens optimum: ergo esset, & non esset ens optimum; ens autem simul optimum, & non optimum, nec esset bonum, imò neque ens esset. Min. subsumpta prob: in eà hypothesi Deus nec quidem intensivè, & radicaliter esset ens optimum : neque enim contineret, aut radicaret Omnipotentiam, & nec posset hanc continere, & radicare. Ratio : quia si illam radicare, & continere posset, actu illam radicaret; esset enim potentia ad actum necessarium, ac proinde Deus tunc esset Omnipotens contra id, quod in hypothesi supponitur. Arguamus deinde per præcisiones. Non intellectà formaliter, & directè Omnipotentiâ, non intelligitur ens optimum ; ergo Omnipotentia, &

alia

alia quævis divina perfectio est constitutivum essentiæ metaphysicę Dei. Ratio ant: etiam si alia Dei perfectio sit radicaliter Omnipotentia, adhuc non intelligitur, Deum esse in summo perfectionis, sive, quod idem est, adhuc intelligitur, Deum esse perfectibilem; sed quod est perfectibile, & non est in summo perfectionis, non intelligitur, esse ens optimum: ergo &c.

SECTIO III.

Pro solutione argumentorum.

32 ARg. 1. Extra hanc quęstionem essentiæ omnium aliarum rerum habent suas proprietates, quę in ipsis essentijs radicantur. Sic supremus conceptus entis habet proprietates extraessentiales, nempe verum, & bonum; sic conceptus specificus hominis habet proprietates radicatas in essentia, videlicet risibile, & admirativum. Ergo Deus habet attributa extra suam essentiam metaphysicam; ac proinde hęc non complectitur formaliter omnes perfectiones absolutas necessarias. Confirmatur: res omnis definitur per genus, & differentiam: ergo similiter Deus; quod fieri non posset, si consisteret Dei essentia in complexo assignato. Iterum: in omni re essentia metaphysica secernitur ab essentia physica: ergo pariter in Deo; hoc non staret, si in complexo assignato staret Dei essentia me-

metaphysica. Ob hoc argumentum Comptonus d.4. sec. 1. dixit, nostrum philosophandi modum Aristoteli, Peripateticisque omnibus adversari. Adversetur, per me licet; sed conformatur Patribus; sed conformatur sapientissimis Philosophis, qui Deum esse ens optimum, summum, & excellentissimum docuere.

33 Resp. permisso ant. neg. cons; quæ nulla est ab inductione facta. Ea aliam similem: essentiæ metaphysicæ aliarum rerum habent accidentia realiter distincta; & intrinseca. Sic animal rationale hominis habet sensationes, & ratiocinia: ergo & essentia metaphysica Dei similia accidentia habet. Iterum: essentiæ physicę aliarum rerum habent proprietates absolutas. Sic materia habet quantitatem, & ignis calorem: ergo & essentia physica Dei habet proprietates absolutas. Pessimæ consequentię. Ita acutè Munies retorquet argumentum, qui & antecedens universaliter negat: nam quod mente apprehendi potest, habet suam essentiam. Cogita complexum ex omnibus omnino conceptibus objectivis: suam essentiam habet, at nullas proprietates: quidquid enim assignetur, intra essentiam illius complexi esse, necessum est. Ad hæc: etiam Dei essentia metaphysica habet suas intrinsecas proprietates, videlicet relatio-

tiones, & actus liberos, secundùm quod necessarijs superaddunt; sed ab his proprietatibus ad alia attributa absoluta, & necessaria, ut sint proprietates extraessentiales, non valet consequentia.

34 Quæro: an, si homo non esset risibilis, adhuc esset homo? Affirmas: sed quæro insuper: an esset homo illo perfectior, qui simul esset risibilis? Negare debes. Dico, risibilitatem esse perfectionem extraessentialem homini, & communem hominibus inæqualibus in perfectione. At si Deus non esset Omnipotens, essetnè ens optimum, atque omnium excogitabilium perfectissimum? Esset nè, & cogitaretur ens absolutè, & simpliciter infinitum? Minimè profectò. Ecce disparitatem, quæ convincit, ab aliarum rerum essentijs non esse paritatem ad Dei essentiam quoad proprietates extraessentiales.

35 Ad confirm: concedo, omnem rem in specie subalternà, ut substantia, aut infimà, ut homo, per genus, & differentiam definiri, semotis alijs prædicatis realiter identificatis; hoc enim negant aliqui, asserentes, rem omnem definiendam esse per omnia sua prædicata, & nullius rei essentiam metaphysicam distingui formaliter ab ejus essentia physicà. Nego deinde cons. Non solùm rem omnem definiri posse, sed & omnem conceptum objecti-

vum, judico: & sic ens definitur, *quod potest existere*, quin sit per genus, & differentiam. Dices: obest simplicitas illius conceptùs. Dico: obest, ut Deus per genus, & differentiam definiatur, plenitudo essendi. Si autem loquaris de differentiâ complexâ, concedam cons. & negabo subsumptam. Hæc est definitio Dei per genus, & differentiam: *substantia spiritualis rationalis cum essendi plenitudine*; hęc autem plenitudo formaliter dicit omnes perfectiones absolutas necessarias Dei.

36 Ad alteram confirm. negant aliqui ant: illud omitto, & nego cons. propter dicta ad præcedentem confirm. & ad arg. Si opponas; essentia physica Dei est, prout realiter, & in se est; metaphysica autem, prout est secundùm nostram considerationem, respondebo: si secundùm nostram considerationem non est, nisi aliquid entis summi, perfectissimi, continentis totum, tunc non consideramus adæquatam, sed inadæquatam Dei essentiam metaphysicam. Sic, si Omnipotentiam concipiamus, ut rerum invisibilium creatricem, & non ut creatricem visibilium, non totam, sed partem essentiæ metaphysicæ Omnipotentiæ concipiemus.

37 Arg. 2. Præter essentiam sunt in Deo attributa: ergo essentia Dei non consistit in complexo omnium perfectionum, &c. Prob. ant.

ant. ex doctrinâ Patrum, quam ſic explicuit Damaſcenus, l. 1. de Fide, c. 4. *Si juſtum, ſi ſapiens, ſi quodvis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ ſunt circa naturam.* Hæc eſt ſententia Athanaſij, Baſilij, & Cyrilli Alexand. quorum verba profert Comptonus. Teſtimonium Cyrilli lib. 11. Theſauri perſpicuum eſt. Docet, multa de Deo dici, quæ circa ſubſtantiam Dei conſpiciuntur, ita ut non ipſa ſubſtantia ſint. Deinde, nos cogi ad mente concipiendum in Deo aliqua, quaſi accidentia, & accidentium more. Sic demum concludit: *non ergo omnia, quę de Deo dicuntur, ſubſtantiam ſignificant; reliquum eſt igitur, ut voce, modoque dicendi, accidentia eſſe dicamus.* Nec minùs perſpicuè Auguſt. 15. de Trin. c. 5. *Si dicam, æternus, immortalis, juſtus, bonus, beatus, ſpiritus; horum omnium noviſſimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates.* Omittendus non eſt maximus Theologorum Dionyſius, de Divin. Nomin. c. 5. *Deus bonum eſt præſtantiſſimum; & primum nomen Dei antiquius ipſo eſſe divino.*

38 Reſp. neg. ant. Ad teſtimonium Damaſceni dico, unumquodque Dei attributum non eſſe totam Dei naturam, ſed partem naturæ: nempe in acceptione formali, & in uſurpatione ſecundùm rationem. Sunt itaque ſin-

gula attributa *circa* naturam Dei; hoc est, sunt *intra* essentiam, tanquam pars in toto, & non sunt, nisi inadęquatè formaliter ipsum totum. Nec vim facias in significatione præpositionis *circa*; quam suppono apprimè correspondere textui Græco Damasceni: nam Latinè accipitur ea præpositio, ut significet partem totius. Sic eleganter dicitur, *vir circa decem lustra*; & tamen quodlibet lustrum est pars constitutiva illius totius successivi, *decem lustra*. Ne de voce digladiemur; ad rem ipsam attendamus. Si dicas, Deus est sapiens, non naturam, sed quod circa naturam est, dices: ergo non consistit essentia Dei in sapientia, seu designes intellectivum, aut intellectionem, seu utramque perfectionem simul. Rursus: dic quodvis aliud de Deo; dices non naturam, sed quod circa naturam. Si itaque dixeris, ens à se: ergo non dicis Dei essentiam. Judico, hàc authoritate Damasceni Adversarios se ipsos jugulare.

39 Convincitur testimonijs Cyrilli, & Augustini, in Deo esse perfectiones, quas concipimus ad instar accidentium, & qualitatum. Quarè? Quia illas concipimus, & explicamus nominibus concretis. Et quoniam in concretis denominativis clariùs appàret ratio concreti; nam in illis est verum subjectum, & vera forma, secus in quidditativis: ideo Dei per-

perfectiones, quas directè nominamus, ac si essent concreta denominativa, majoris claritatis gratiâ, exprimimus. Sic enim verò in Deo sunt quasi accidentia, & quasi qualitates; sed istæ, & illa sunt perfectiones Deo essentialissimæ.

40 Vehementer fallor, si non sit iste sensus, quem Patres intendunt. 1: quia ferè semper, ac quasi accidentia, & qualitates in Deo agnoscunt, utuntur concretis, non abstractis. Quando autem aliqui Patres, ut Augustinus, & Bernardus pro nostrâ conclusione allati, perfectiones in concreto explicatas à naturâ, & essentiâ Dei non distinguunt, innuunt, concreta voce tenus denominativa esse quidditativa. 2: quia Divus Anselmus hanc rem accuratissimè versans, loco pro nostrâ conclusione citato, eadem docet. Ibi reducit quæcumque dicuntur de Deo per concreta ad abstracta: ut justus ad justitiam, sapiens ad sapientiam, ita ut, cùm quæritur de summâ naturâ, *quid est*, non minùs congruè respondeatur *justa*, *quàm justitia*. Ecce quæ per concreta dicuntur de Deo, cùm specie tenus quasi accidentia appareant, sunt partes formaliter constituentes summam naturam Dei. 3: quia in testimonio Augustini sunt nomina adjectiva concreta *Æternus*, *Iustus*, & alia, & est nomen substantivum *spiritus*. De

hoc

hoc dicit, significare subſtantiam; de illis, significare *qualitates* subſtantiæ. Ergo non alio ſenſu perfectiones Dei qualitates dicuntur, niſi in quantum ad inſtar accidentium explicantur in obliquo; ſicut vera accidentia explicantur per concreta denominativa.

41 Inſtas acriter. Atqui D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium, longè ante medium, negat expreſsè, eſſe de ſubſtantiâ Dei perfectiones, etiam explicatas in abſtracto: ergo nulla eſt explicatio, quam dedimus. Prob. aſſumptum: *quo enim pacto*, inquit, *non deridendus, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe dicat?* Idem docet de Providentiâ, & de Præſcientiâ, & de omni Dei operatione. Ergo de Omnipotentiâ, & de alijs Dei perfectionibus explicâtis per nomina abſtracta negat eſſe de ſubſtantiâ Dei. Nota: hoc argumento uti non poſſe, qui eſſentiam Dei in intellectione, & volitione conſtituunt: ſunt enim operationes, de quibus idem docet Baſilius, quod de creâdi virtute.

42 Nego aſſumptum; & conceſſo ant. probationis, neg. conſ. Quæro, quis eſſet deridendus, ſi virtutem creâdi ſubſtantiam Dei diceret? Profectò Eunomius. Quare? Quia totam ſubſtantiam Dei in *innaſcibilitate* reponebat: quapropter dignus eſſet riſu, ſi creâdi virtutem ſubſtantiam eſſe diceret, & ea Eu-

Eunomius volebat, quibus positis, cuncta nomina, quæ dicuntur de Deo, inter se idem valerent. Hoc fit in *multivocis*, *sicuti cùm dicimus*, *Simonem Petrum Cepham*; eoque posito, urget Basilius : *qua confusione quid umquam absurdius fiet, quàm si cùm propriam cujuscumque nominis potestatem abstuleris, contra consuetudinem, & doctrinam, leges* (differendi) *ponas.* Vides in quibus deridendus esset Eunomius, ponens substantiam Dei in innascibilitate, si adderet, virtutem creandi esse substantiam. Quid hìc cum nostrà sententià commune ? Sequiturnè in nostrà sententià, cuncta nomina, quæ dicuntur de Deo, idem inter se valere : aut ijs nominibus auferimus potestatem ?

43 Sed est aliquid gravioris momenti. Dicebat Eunomius, *ipsum profectò, quod est Deus, innascibilitas est, quoniam & hæc cogitatione inspicitur, & privativum nomen est.* Reponit Basilius : *imò quoniam cogitatione inspicitur, & privativum nomen est, non est substantia Dei innascibilitas.* Non facit ad rem meam, quòd innascibilitas sit nomen privativum; multum verò facit, quòd cogitatione inspicitur. Rogo : an cogitatione inspiciatur intellectivum à se, aut ens à se, aut quidpiam aliud? Affirmare debent Adversarij juxta uniuscujusque sententiam. Ergo nihil eorum est substan-

tantia Dei. Quod ipsi respondeant, id nos respondemus de Omnipotentià, & de alijs attributis.

44 Directè: totus est Basilius contra Eunomium, quia explicare præsumpsit nomen Dei ineffabile, comprehendereque ejus substantiam: *quasi illi Deus ostenderit suam substantiam; cùm tamen neque intelligibilis, neque effabilis substantia Dei demonstrata sit.* Atqui non opponitur inintelligibilitati, & ineffabilitati substantiæ divinæ, quòd dicatur, in eà contineri constitutivè Omnipotentiam, singulaque attributa: ergo &c.

45 Arg. 3: Ang. hac quæst. 13. a. 4. docet, diversa Dei nomina diversas in eo significare rationes secundùm varios, quos de eo format humana mens, conceptus. Ex his rationibus dicenda est essentia, *quę non habet principium, etiam secundùm rationem*; alię dicendę sunt extraessentiales, *quę habent principium secundùm rationem*; ut est cognitio divina. Sic expressè q. 1. de Potentia a. 1. ad 1. Ergo essentia Dei non consistit in complexo omnium perfectionum assignato. Confirmatur: nam loco citato pro nostrà sententià docuit, quòd *hoc nomen, Qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes.* Sed si essentia Dei consisteret in assignato complexo, illud nomen omnes dicendi

cendi modos determinaret, & se haberet determinatè ad omnes: ergo.

46 Resp. certissimum esse, quod docet Angelicus de diversis rationibus, quæ significantur per nomina, quibus aliquid prędicatur de Deo. Ad id, quod desumitur ex quęst. de potentià, dicimus, essentiam divinam adęquatè, & modo indivisibili sumptam, prout est ens optimum, summè perfectum, & plenitudo essendi, non habere principium neque re, neque ratione; sumptam verò inadęquatè, & secundùm diversos conceptus, secundùm alios non habere, & secundùm alios habere principium, non re, sed ratione. Illud prius convenit perfectionibus divinis, quæ alias non supponunt, in quibus radicentur; istud autem posterius convenit perfectionibus divinis, quę alias tanquam radices supponunt. Maximè id convenit intellectioni, & volitioni absolutis, quæ supponunt intellectivum, & volitivum; ut suo loco ex professo probabitur.

47 Ad confirm. Si nomen illud, quo Dei essentia explicatur, *Qui est*, nullum essendi modum determinat; ergo Dei essentia non consistit in ente à se, neque in intellectione actu purissimo, neque in quovis alio determinato prædicato. Directè: cùm Angelicus ibidem dicat, nomen, *Qui est*, totum in se ipso comprehendere, dicendum est, nullum mo-

modum essendi determinare, sed se habere ad omnes indeterminatè, hoc est, explicitè, tamquam formalis definitio; sed se habere determinatè ad omnes, & singulos determinare implicitè, velut definitum formale. Ratio: nam audito eo nomine, *Qui est*, non statim explicitè noscimus Omnipotentiam; requiritur, quòd cognoscamus, Omnipotentiam esse aliquem dicendi modum, & quidem esse simplicem perfectionem, imperfectione non admixtam. Concessà igitur maj. & modo explicato distinctà min. neg. conf.

48 Replicabis. Expositiones datę Patribus, & D. Angelico non sufficiunt, ut fiat satis 6. Synodo; in qua stabilitis in Christo duabus voluntatibus, illæ appellantur *proprietates naturarum divinæ, & humanę.* Ibi: *Naturarum neutram audemus absque voluntate, vel operatione pronuntiare: nè fortè earum perimentes proprietates, etiam naturas, quarum sunt proprietates, perimamus.* Ergo in Deo voluntas est proprietas condistincta à naturâ, sive essentiâ. Confirmatur: nam Synodus à negatâ proprietate arguit, negandam fore naturam: ergo supponit aliud esse naturam, aliudque esse proprietatem; & hanc dicit, esse voluntatem. Additur: comparatur voluntas divina ad naturam divinam in ratione proprietatis; comparatur voluntas creata ad na-

tu-

turam humanam. Sed voluntas creata est proprietas extra humanam naturam: ergo & voluntas divina est proprietas extra divinam naturam.

49 Neg. ant: quod textu adducto 6. Synodi non probatur. In primis: Natura, de qua est sermo, est natura physicè sumpta, intra quam est formaliter voluntas: neque enim aliunde conjectari possumus esse naturam metaphysicè sumptam in sensu Adversariorum, nisi ex eo, quòd voluntas appelletur proprietas. At proprietas rectè dicitur, quæ est essentialis; & sic dicitur proprium esse hominis, quòd sit rationale. Huc facit acumen illud Augustini: *quid enim tàm tuum, quàm tu?* Insuper: intentum Patrum erat, quòd negatà proprietate, negaretur natura; ad hoc non magis facit, quòd voluntas sit proprietas extraessentialis, quàm quòd sit intraessentialis: imò ad illud magis facit istud: nam negatà voluntate, neganda esset viâ constitutionis natura. Taceo, quòd Synodus contra Monothelitas decernens, ut judicant boni Theologi, voluntatem pro volitione liberà accipiebat; & sic voluntas, hoc est, volitio libera, est proprietas extra essentiam metaphysicam, & physicam Dei. Videri potest Bernal de Incarn.d.48.

50 Ad confirm. concesso ant. nego conf

conſ: quam non eſſe bonam, conſtat ex immediatè dictis. Et ab exemplo: ſi neges Deo potentiam factricem inviſibilium, negabis Omnipotentiam; quia eſt illa potentia conſtitutiva Omnipotentiæ: ergo ſi neges Deo voluntatem, negabis naturam, quamvis voluntas non ſit proprietas extraeſſentialis, ſed intra eſſentiam naturæ. Quod confirmationi additur, niſi urget. 1: data maj. neg. min. voluntas namque non minùs ac intellectus eſt de conſtitutione naturę humanæ; & iſta amplectitur potentiam cognoſcitivam rationalem, & appetitivam rationalem. Sic cum aliquibus tenet Munieſſa. 2: diſt. maj. eamque de comparatione quo ad ſubjectam materiam concede; & illam nega de comparatione quoad omnia. Comparantur voluntates divina, & humana quoad hoc, quòd à negata proprietate neganda ſit natura; non quoad hoc, quòd utraque ſit proprietas extra naturas, aut utraque intra naturas.

51 Denique, ut ab argumentis ab authoritate petitis exeamus, ſuperſunt exponendę authoritates Divi Athanaſij, & Divi Dionyſij. *Certum eſt, cùm dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum, quę circa eam ſunt, ſed ipſius ſubſtantiam ſignificare*: inquit Athanaſius, Epiſt. de Decretis Synod. Nic. *Bonum eſt præſtantiſsimum, & primum*

nomen Dei, antiquius ipso esse Divino : inquit Dionys. lib. de Divin. Nomin. c. 5. Ergo in Deo sunt attributa, & proprietates, quæ non significantur nomine substantiæ. Ergo essentia Dei in illo determinato consistit, quod significatur per præstantissimum, & primum Dei nomen: ac proinde non consistit in complexo &c.

52 Neg. 1. cons: quæ ex textu Athanasij non descendit : nam cùm dicimus Deum Patrem, significamus ejus substantiam; nempe quidquid commune est, & personalitatem Patris. Constat ex Athanasio, Dialog. 1. de Trinit. *Essentia*, inquit, *declarat communitatem; & siquid est essentiæ proprium, id commune est hypostasibus.* Quis ergo dicat, quòd cùm Deum Patrem dicimus, non significamus essentiam, & quidquid proprium essentiæ est? Proba ex Athanasio, esse aliquid proprium essentiæ, quod sit extraessentiale. At, inquis, non significamus aliquid eorum, quę circa Deum sunt. Rectè quidem: nam non explicamus Filiationem, & Spirationem passivam, quæ Relationes circa ipsum Patrem sunt per circuminsessionem, seu inexistentiam.

53 Concedo 2. cons. & nego sequelam, quę ex authoritate Dionysij non probatur. Cùm dicit: *Bonum esse præstantissimum nomen & primum Dei*; de quo bono id intelligit? De

ſummo bono, hoc eſt, de *optimo*; optimum autem omnes omnino perfectiones abſolutas, & neceſſarias claudit: ergo in iſtarum complexo eſſentia Dei conſiſtit. Ingerit difficultatem additum illud: *antiquius eſſe divino*; exiſtentia videlicet. Mitigatur: priùs logicè intelligitur, *optimum poſſe eſſe*, & *neceſſitatem habere eſſendi*, quàm intelligitur, quòd *actu ſit*, ſive *exiſtat*.

54 Arg. 4. Ideo in complexo omnium perfectionum abſolutarum, quæ neceſſariæ ſunt, Dei eſſentia conſiſteret, quia eſſet iſta eſſentia ens omnium excogitabilium perfectiſsimum, ſive optimum. Hoc non: ergo. Prob. min: unaquæque Perſona divina eſt quid perfectius eſſentiâ: includit enim totam perfectionem eſſentiæ, & addit perfectionem perſonalitatis. Hoc eſt, quòd eſſentia non ſit quid omnium excogitabilium perfectiſsimũ, & optimum comparata ad unamquamque Perſonam: & à fortiori comparata ad totam Trinitatem: ergo. Additur: ſemel poſito, quòd eſſentia non conſiſtat in complexo, ſtabit in aliquo, vel aliquibus prędicatis determinatis; & arguetur. 1. pro conceptu *entis à ſe*: abalietas, & aſeitas ſunt differentiæ eſſentiales, primo dividentes ens; ſed eſſentia creaturæ conſiſtit in ente ab alio: ergo eſſentia Dei conſiſtit in ente à ſe; maximè quia Deus

per

per esse ens convenit cum omni non ipso, & per aseitatem ab omni non ipso differt. 2. pro *intellectivo*: cętera prædicata, quæ intellectionem præcedunt, sunt universaliora; ut substantia, spiritus, vivens: ergo intellectivum est genus ultimum, & proximius aseitati, quæ est prima differentia Dei. Essentia autem rei consistit in genere proximiori, & in differentia primâ. 3. pro *intellectione*: Deus est actus purus: ergo ejus essentia consistit in actu purissimo nihil potentialitatis habente; hic actus purissimus est intellectio divina: ergo.

55 Resp. & suppono, Relationes divinas prout virtualiter distinctas ab essentiâ dicere formaliter perfectionem; aliter argumētum non habet locum. Dist. maj. ob claritatem: ideo essentia Dei in assignato complexo consisteret, quia ista essentia esset ens optimum, & perfectissimum omnium excogitabilium, in quibus ipsa non est; conc; in quibus ipsa est; neg. maj. & cadit reliquum. Admitto, unam Personam divinam esse formaliter quid perfectius essentiâ: Persona enim dicit formaliter perfectiones absolutas, & relativam; hanc verò essentia tantùm eminenter, aut virtualiter dicit, aut etiam dicit formaliter ęquivalentiam ad Relationem, eo videlicet modo, quo explicabo æqualitatem attributorum Dei hąc disp. cap. 3. sect. 7.. Quid

inde? Ergo essentia non consistit in complexo. Neg. cons. Consulto in probationibus nostræ conclusionis non diximus, essentiam Dei, Deitatem ipsam esse ens infinitè perfectum in omni linea entis, esse ens optimum, & perfectissimum excogitabilium; hæc diximus de Deo, sive de essentia, & de Deitate concretivè acceptà; & assumpsimus; sed Deus non esset tale, & tantum ens, si Dei essentia metaphysica non complecteretur formaliter omnem omnino perfectionem absolutam, & necessariam. Et assumptum quidem non inefficaciter probatum manet. Ergo nihil contra conclusionem evincitur ex eo, quòd divina Persona quid formaliter perfectius essentia ipsa sit. Ad addit: imò ex eo, quòd essentia divina non possit poni in aliquo, vel aliquibus prædicatis determinatis, infertur, quòd in assignato complexo consistat. Ad opposita facilis est solutio.

56 Ad 1: pone sub eàdem maj; sed essentia creaturæ in suà specie athomà non consistit in ente ab alio: ergo nec essentia Dei in suà specie essentialiter singulari, & individuà consistit in ente à se. Iterum: finitum, & infinitum sunt differentiæ essentialiter oppositæ, & immediatè dividunt ens; sed essentia creaturæ non consistit in ente finito, nec essentia Dei in ente infinito; ergo similiter, &c. Resp.

dis

directè. Convenit, & differt Deus per conceptum entis à se; sicut convenit, & differt per conceptum entis omnipotentis: & tamen essentia Dei adæquata non consistit in conceptu entis omnipotentis: ergo.

57 Ad 2: contractior est conceptus *volitivi*, quàm *intellectivi*: ergo essentia Dei consistit in volitivo à se. Occurris. Volitivum non est prædicatum essentiale; radicatur enim in intellectivo. Contrà: & si radicetur, non propterea est extra essentiam viventis rationalis; Deus autem vivens rationale est. At cur est prædicatum radicatum? Quia, inquies, bene valet; *vult: ergo intelligit*; non vice versà. Contrà: velle liberum Dei præsupponitur ad scientiam visionis; nec tamen inde sequitur, quòd potentia intellectiva Dei ad scientiam visionis sit pro posteriori ad potentiam volitivam ad velle liberum. Hòc, & alijs exemplis ostendit Munieſſa, cit. disp. 5. n. 45. non debere esse eumdem prioris, & posterioris ordinem inter potentias, ac est inter earum actus. Et hæc est solutio directa. Si, ut effugias, dicas, essentiam Dei consistere in volitivo solo, aut simul cum intellectivo; non autem in alijs perfectionibus: jam hoc impugnatum est supra inter probandum nostram conclusionem.

58 Ad 3: Deus est actus purus, & expers potentialitatis physicæ; non autem po-

tentialitatis metaphysicę : ejusque essentia consistit inadæquatè in actibus necessarijs intellectùs , & voluntatis. Et hinc est retortio: nam sicut actus intellectùs, sic & actus voluntatis est purissimus. Dices: At actus intellectùs est prior, & perfectior actu voluntatis. Dicis, quod jam semel, & iterum efficaciter impugnatum est. Addes : Filius divinus ideo est Filius, quia ipsi ex vi suę processionis communicatur essentia; sic autem solùm communicatur intellectio; non verò volitio : ergo. Neg. maj. quam esse falsam suo loco, disp. de Trinit. ostenditur: ibi te audiam.

SECTIO IV.

Doctrinæ datæ elucidatio.

59 Observa 1. De essentià Dei metaphysicà esse omnia prædicata superiora à volitivo, & intellectivo ad usque supremam rationem entis. Patet: nam Deus est adęquatè vivens rationale ; ac proinde dicit formaliter eos gradus intellectivi, & volitivi. Vivens autem rationale imbibit formaliter gradum viventis ; istè autem gradus includit formaliter gradum substantię. Substantia verò dividitur in corpoream, & in incorpoream; & per hanc differentiam incorporeę contrahitur ad Deum ; substantia incorporea spiritus est. Substantia, quæ est spiritus, contrahit formaliter prædicatum entis ; quod propterea de essen-

essentiâ Dei est. Per gradus prædictos convenit Deus cum creaturis; & cùm in Deo singuli eorum infinitam in uniuscujusque propriâ lineâ perfectionem dicant, hæc infinitudo ex prædicatis differentialibus, seu specificis Dei, enascitur. Itaque conceptus entis contractus ad Deum dicit infinitam perfectionem in lineâ entis; & similiter intellectivum, & volitivum dicunt perfectionem infinitam in suis lineis per contractionem ad Deum; sed istorum graduum infinitudo enascitur, & enasci probatur ex Dei characteristicis prædicatis.

6o Obs. 2. Prima essentialis differentia Dei est aseitas. Ratio: quia, logicè præintellectis ijs prædicatis genericis, aut quasi genericis, à vivente adæquatè rationali inclusivè ad usque conceptum entis inclusivè, necessum est concipi in ente prædicatum characteristicum Dei, ex quo probetur, conceptus illos superiores habere infinitatem per contractionem ad Deum; & insuper probetur, in Deo esse omnem omnino perfectionem, & quidem cum infinitate in suâ lineâ. Sed tale prædicatum characteristicum est aseitas: ergo prima essentialis differentia Dei est aseitas Min. ex eo prob. quia aseitas est radix illimitationis; sicut abalietas est radix limitationis: creatura enim est limitata, quia, cùm sit ab alio, ex nihilo est. Insuper: Deus per aseitatem

tem excludit essentialiter principium, à quo limitetur ad esse: ergo & à quo limitetur ad tantum determinatum esse: ergo per aseitatem habet omnimodam essendi plenitudinem. Manet itaque, quòd per aseitatem prædicata universalia, ut intellectivum, & volitivum, sint infinitè perfecta; & quòd ab aseitate emanent Omnipotentia, Immensitas, Æternitas, & omnes aliæ characteristicæ Dei perfectiones.

61 Obs. 3. Aseitas est immediata differentia entis, immediatione contradictionis; non immediatione contractionis. Constat 1. pars: immediatione enim contradictionis dividitur ens per differentias aseitatis, & abalietatis; cùm non sit possibile ens reale, quod neque à se, neque ab alio sit: ad modum, quo ex lege contradictionis dividitur ens immediatè per differentias Petreitatis, & non Petreitatis; sed per has differentias non dividitur immediatè immediatione contractionis. Ratio 2. partis: nam differentia immediata entis immediatione contractionis stat in eo, quòd contrahat ens, & nil præter ens sit illà universalius; & sic immediatæ differentiæ entis immediatione contractionis sunt perseitas, & inalietas, non autem aseitas, & abalietas. Infertur hinc: quòd differentia immediata entis immediatione contradictionis possit esse

esse, & sit prima essentialis differentia entis singularis. Sic Petreitas, quæ est immediata entis differentia immediatione contradictionis, est prima essentialis differentia constituens ultimò Petrum ens singulare. Discurre similiter de aseitate in Deo essentialiter ente individuo, & singulari.

62 Obs.4. Essentia Dei includit formaliter multiplicem differentiam athomam, sive ultimam. Patet: nam essentia Dei complectitur formaliter omnes Dei perfectiones absolutas necessarias; unaquæque ex his constat suâ specificâ differentiâ constitutivâ, per quã logicè, & metaphysicè plusquàm numero una differt ab aliâ: ut Omnipotentia ab Æternitate, Æternitas ab Immensitate, & sic de cæteris. Ergo essentia Dei includit formaliter multiplicem &c.

63 Obs.5. In Deo sunt propriæ perfectiones, quæ transcendunt formaliter divina attributa constituta in suo esse quasi specifico. De perfectionibus communibus Deo, & creaturis non est dubium: ut sunt ratio entis, existentis, substantiæ, & aliæ similes. De perfectionibus proprijs Deitatis id ipsum probatur: nam Dei attributis convenit formaliter *esse à se*; *habere infinitatem summam in suâ linea*; *esse divina per identitatem cum Deitate*. Enumeratæ perfectiones sunt propriæ perfectio-

tiones Dei: ergo in Deo sunt propriæ perfectiones, quę transcendunt formaliter divina attributa. Prob. maj. & exempli gratiâ loquamur de Omnipotentiâ: nam hæc ex suo formali conceptu excludit, esse ab alio, tanquam à causâ; cùm sit omnium causabilium rerum virtus effectiva: ergo ex suo conceptu formali dicit esse à se. Præterea: ex suo conceptu formali dicit esse talem causativam virtutem, ut nec esse, nec cogitari possit alia virtus causativa, quæ illam æquet, & multò minùs, quæ illam excedat: ergo ex suo conceptu formali est summè infinita in suâ lineâ. Demum: ex suo conceptu formali est attributum Dei; est quid Dei: ergo est formaliter divina per identitatem cum Deitate.

64. Oppones 1: attributa in particulari præscindunt ab hoc, quod est, esse à se, vel ab alio: ergo aseitas non transcendit attributa. Prob. ant: *esse à se* non est conceptus universalior attributis, sed singularissimus, quippe qui est prima essentialis differentia Dei; sed attributa præscindunt à conceptu, qui non est ipsis universalior: sicuti ob oppositam rationem subsistantia non præscindit ab ente, & vivens non præscindit à subsistantiâ: ergo. 2: Aseitas non multiplicatur logicè in divinis attributis; sed prædicatum, quod non multiplicatur logicè in attributis, quamvis in illis for-

formaliter includatur, non est transcendens ad modum, quo non est prædicatum transcendens divinas Relationes, quod in ipsis non multiplicatur realiter: ergo.

65 Ad 1. neg. ant. cujus probatio diminuta est: nam esse *infinitum*, & esse quid *divinum*, sunt conceptus formaliter universales ad Omnipotentiam, & alia determinata attributa: ac proinde erunt conceptus transcendentes; etiam dato, quòd aseitas non sit transcendens. Nego, quòd aseitas non sit universalior attributis: latiùs enim patet, quàm attributa; & de ipsis est prædicabilis. Nec obest, quòd sit conceptus singulariſsimus; & prima essentialis differentia Dei: est quidem conceptus singulariſsimus, prout contracta ad singula attributa, non prout abstracta ab ipsis; & est prima differentia Dei, prout contrahens conceptus communes, qui sunt generici aut quasi generici, non prout contrahibilis per attributa. Quod additur de ente transcendente substantiam, quia hoc conceptu ille universalior est; id concedam de ratione sufficiente, non de exclusivà. Constat: nam conceptus entis transcendit suas passiones metaphysicas, quibus non est universalior.

66 Ad 2. Ens abs dubio transcendit species subalternas, & infimas; quod ab alijs negatur, & ab alijs conceditur de inclusione for-

formali entis in differentijs prout talibus. Tunc sic: vel ens logicè plurificatur in conceptibus, quos formaliter transcendit, vel non? Si hoc: ergo quod aseitas non multiplicetur logicè in attributis, non obest, ut sit conceptus attributa transcendens. Si illud: idem, quod de ente, dicam de aseitate relatè ad attributa. Directè, neg.maj. Multiplicatur aseitas logicè, sed non plus, quàm numero formaliter: aseitas enim sic multiplicata solùm, & æquè dicit in omnibus, & singulis attributis *esse*, necessitatem *essendi*, ipsumque *actuale esse*. Paritas à perfectionibus transcendentibus divinas Relationes ad transcendentes attributa recta est. Sed non est præsentis instituti disputare: quænā perfectiones transcendant Relationes divinas?

SECTIO V.

An in Deo sit subsistentia absoluta?

67 HÆc difficultas à Doctoribus fusissimè tractatur; cùm tamen sit de nomine: ut ex Thomistis Gonetus, & ex Iesuitis Herrera notarunt. Docet 1. sententia, in Deo esse subsistentiam absolutam tribus Personis individuè communem. Ita Scotus, quem communiter sui sequuntur; Thomistæ multi cum Cajetano; & non pauci Iesuitæ post Doctorem Eximium. Docet 2. sententia, in Deo non dari hujusmodi subsistentiam absolutam,

&

& communem divinis Personis. Ita cum D. Bonaventurâ multi, & graves Theologi, quos inter ex Nostratibus Acutiss. Vasquez, Valentia, & Ruizius. Authorum citationes vide apud Muniess. d. 6. de Ess. & attrib. S. 2.

68 Conclusio. Non datur in Deo subsistentia absoluta tribus divinis Personis indiviuè communis. Sensus est: non datur in Deo istiusmodi subsistentia distincta à subsistentijs relativis; quę quidem seorsim ab ipsis constituat cum Deitate Deum in esse concreti substantialis verè subsistentis; & quæ non constituat seorsim à Relationibus suppositū, seu Personam absolutam.

69 Prob. concluss. 1. ab authoritate. Suppono, præcessisse in Ecclesiâ magnum dissidium circa voces Græcas *Usia*, & *Hypostasis*. Tandem apud PP. Græcos contracta est vox *Usia* ad significandum, quod commune, & absolutum est Dei; & vox *Hypostasis* ad significandum, quod est relativum. Ecclesia decrevit, Usiam esse substantiam, & essentiam; Hypostasin esse idem, ac Personam, suppositum, ac subsistentiam. Hinc, ut Eruditiss. notat Ruizius, post statutam in Ecclesiâ significationem vocis *Hypostasis*, nunquam invenitur apud PP. Græcos Hypostasis, nec apud PP. Latinos subsistentia pro absoluto, sed semper pro relativo, ac personali. Audi Constan-

tinopolitanum 2. in Edicto Justiniani: *cùm per se absolutè natura dicitur, non adjunctà illi speciali cujusdam personâ, infinitum, & insubsistens aliquid significat.* Theodoret. in Additionibus ad Breviarium Liberati: *subsistentia, & persona in nullo significatorum differunt, nisi in nomine; natura, & substantia generale quoddam; subsistentia verò, atque persona quoddam proprium significat.* Hanc in Ecclesiâ firmatam vocum significationem secutus est Ang. in 3. dist. 5. q. 2. art. 3: *circumscribatur à Deo omnis ratio personalitatis; & sic ipsa natura neque erit subsistens in se, neque in aliquo subsistente.* Sibi consonat Ang. 1. p. q. 29. a. 2. & alibi.

70 Nunc sic. In Deo non est hypostasis, & personalitas absoluta: ergo nec absoluta subsistentia. Constat ant. & ab omnibus conceditur; & conf. ex dictis bona est: quia in Deo idem est hypostasis, persona, & subsistentia.

71 Dices. PP. antiquissimi admittebant in Deo unicam hypostasin, & subsistentiam. Præoccupata est hæc responsio: nam eo modo loquebantur PP. tunc, cùm hypostasis sumebatur pro substantiâ, & essentiâ; at stabilitâ significatione vocis, ut dictum est ex Ruizio, nullus PP. usurpat hypostasin, & subsistentiam pro absoluto, sed pro relativo. Contrà est præterea; nam si velis retinere illam anti-

quam

quam Patrum locutionem, admittes hypostasin absolutam, sicut admittis absolutam subsistentiam; hoc nonvis: quia distinguis subsistentiam ab hypostasi: ergo. Dices. Licuit Theologis Scholasticis, distinguere hypostasin à subsistentiâ: & usurpare vocem subsistentię universaliùs, quàm vocem hypostasis. Contrà: das, quod intendimus; nempe subsistentiam absolutam contrariam esse effatis SS. PP. & non posse admitti, nisi excogitatà novâ vocis subsistentiæ significatione. Contrà est præterea: nam si id, quod ponis, admittitur, impugnandus non est Cajetanus, qui dixit, naturam per subsistentiam absolutam esse *semipersonam*; in hoc enim nihil potest tibi displicere, nisi novitas significandi absolutam subsistentiam.

72 Urgentiùs adhuc. Quæ ista est usurpatio *subsistentię* universalior ab Scholasticis adinventa? Est modus existendi per se, & in se substantię, vi cujus non inhæreat alteri tanquam subjecto; nec ab alio dependeat, tanquam à sustentante; neque sit in alio tanquam pars physica in toto physico. Hęc omnia conveniunt Relationi Spiratoris: ergo Relatio Spiratoris est subsistentia, si admittatur illa subsistentiæ explicatio. Maj. est Adversariorum; & min. constat: & tamen negatur conf. quia rejicitur ferè ab omnibus doctrina-

Ocha-

Ochami, & Gabrielis asserentium, Relationem Spiratoris esse in divinis principiū quoddam subsistens Patri, & Filio commune, & ab Spiritu Sancto distinctum, cui principio subsistenti tribuatur actio spirandi. Nè ergo hoc sequatur, rejicienda est excogitata illa subsistentiæ explicatio, & usurpatio Patrum retinenda omnino.

73 Prob. 2. à ratione nostra conclusio. Effectus formalis primarius subsistentiæ est constituere cum naturà suppositum. Sed in Deo nihil est absolutum, & commune, quod cum naturà suppositum constituat: ergo nihil in Deo est absolutum, & commune, quod sit subsistentia. Statim opponis: explicatur ignotum per æquè ignotum; nempe effectus formalis subsistentiæ per ordinem ad suppositum, cujus notio est æquè obscura. Nego assumptum: quid enim sit suppositum, constat ex principiis aliunde notis; omnes siquidem conveniunt in explicatione personę juxta Boetium, Ricardumque Victorinum: nempe, *rationalis naturæ individua substantia, sive incommunicabilis existentia.* Suppositum autem est gradus superior respectu personæ: siquidem non dicit rationalem naturam, sed naturam completam, quatenus præscindit à rationali, & non rationali: unde satis clarè explicatur suppositum per hoc, quòd sit naturæ com-

completæ individua ſubſtantia, ſeu incommunicabilis exiſtentia.

74 Min. propoſiti ſyllogiſmi eſt indubitata; maj. prob; in primis ſubſiſtentia debet complere naturam: eſt enim id, quod natura exigit ad ſui complementum ſubſtantiale, & ob cujus defectum natura humana apta eſt ad componendum unum per ſe. Inſuper: debet complere ultimò naturam; ideoque quamvis Omnipotentia compleat naturam divinam, non eſt ejus ſubſiſtentia, quia non complet ultimò; neque unio hypoſtatica eſt ſubſiſtentia humanitatis in Chriſto; quia licèt compleat naturam humanam, non eſt illius ultimus ſubſtantialis terminus, ſeu complementum. Demum: debet complere incommunicabiliter naturam; quia taliter debet ultimò complere, ut cum illà conſtituat concretum incommunicabile: etſi enim natura per ſubſiſtentiam non reddatur ſpecificativè incommunicabilis, ut eſt certum de naturà divinà tribus Perſonis communi, redditur reduplicativè incommunicabilis; & hoc eſt, quòd cum naturà ſubſiſtentia conſtituat ſuppoſitum.

75 Ad propoſitum. Ille eſt effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ, qui colligitur ex principijs Fidei circa myſteria Incarnationis, & Trinitatis: in hac enim re de ſub-

filtētia Fides nos fecit Philosophos. Sed ex ijs mysterijs colligitur, effectum formalem subsistentię esse complere ultimò naturam, constituendo cum illà suppositum: ergo.

76 Prob.min. ex mysterio Incarnationis. Ex hoc constat, Verbum assumpsisse humanitatem, non hominem; naturam, non suppositum: ergo id, quod non est assumptum, compleviſſet ultimò naturam constituendo cum ipsà suppositum; sola autem subsistentia non fuit assumpta: ergo subsistentiæ effectus formalis est, constituere cum naturà suppositum. Rursus: Verbum complet ultimò humanitatem, & cum ipsà constituit suppositum; citra enim dubitationem est, Verbum factum esse humanitati subsistentiam, & hypostasin: ut loquuntur Patres, præsertim Athanasius, Euthym. & Damascen. de Fide c. 2. Ergo ex mysterio Incarnationis deducitur, effectum formalem subsistentiæ esse, constituere suppositum cum naturà, quam complet ultimò.

77 Jam verò prob. eadem min. ex mysterio Trinitatis: ex hoc enim constat de Fide, in Deo esse tres subsistentes; sive sit per tres subsistentias relativas notionales, sive per absoluta simul, & relativa uniuscujusque Personę: ut tenet P. Molina, 1. p. q. 29. a. 2. d. 3. §. *In hac acceptione.* Quomodocumque hoc explicetur,

cetur, ex ijs, quæ de Fide certa sunt, colligitur, effectum formalem innegabilis subsistentiæ esse constituere suppositum; nam tres subsistentes sunt tria suppositа : dari autem subsistentiam absolutam, quæ non constituat suppositum, id quidem non colligitur certò ex mysterio Trinitatis : ergo formalis effectus subsistentiæ est complere ultimò naturam, & constituere suppositum. Totam doctrinam clausit Athanas. Dialogo de Trinit. contra Anomæos, pag. mihi 165. docens, juxta orthodoxam Ecclesiæ doctrinam, essentiam divinam *non, nisi ut in individuis spectatam*, hoc est, in hypostasibus, *subsistere*. Notetur illud *non nisi*, quo omnis subsistentia, non constituens suppositum, excluditur.

78 Rogas: quis sit terminus, cui natura per subsistentiam redditur incommunicabilis? Dicendum, ejusmodi terminum esse id omne, cum quo suppositum ad sui ulteriorem perfectionem constitueret unum per se. Ratio: quia subsistentia est ultimus substantialis terminus naturæ, & constituit ens absolutè completum in linea substantiali; ad rationem autem entis sic completi sufficit, & requiritur incommunicabilitas cum omni alio, cum quo ad sui ulteriorem perfectionem constitueret unum per se. Objicitur. Verbum divinum est suppositum, & tamen communicabi-

le est, & communicatur naturæ humanę, cum qua unum per se constituit: ergo. Futile arg: nam Verbum divinum non est communicabile ad sui ulteriorem perfectionem humanitati; nam totum resultans non est perfectius Verbo secundùm se. Est communicabile humanitati, ut illam perficiat, & compleat. Itaque de ratione subsistentis, etiam proprià subsistentià, non est, quòd non uniatur alteri termino ullo modo; sed quòd ita subsistat in se, ut non accipiat sui complementum ex unione ad aliud. Sic rectè notavit Card. de Lugo, tom. 1. de Incarn. d. 12. n. 51.

SECTIO VI.

Respondetur argumentis.

79 Arg. 1. Multi PP. agnoscunt in Deo subsistentiam præcisim à Relationibus: ut Athanas. & Nisen. Cyrill. quoque, & Anasthas. Theopolitan. quorum istud est: *Quid est essentia? Res, quæ per se neque altero indiget ad hoc, ut ipsa subsistat.* Perspicuum est illud Augustini 7. de Trinit. cap. 4: *Omnis res ad se ipsam subsistit: quantò magis Deus?* Addit cap. 5: *hoc est Deo esse, quod subsistere.* Ergo ex mente Patrum datur in Deo subsistentia absoluta.

80 Resp. neg. cons. Dictum est suprà, antiquissimos Patrum variasse in significatione vocum *hypostasis*, & *subsistentia*, illasque usos

usos fuisse modò ad signandàm *naturam*, modò ad signandam *personalitatem*. Cùm itaque PP. dicunt, naturam se ipsà subsistere, subsistentiam accipiunt pro substantià, sive essentià in se, & per se existente. Constat hoc ex ipso Athan. contra nos adducto: nam ex ejus testimonio nuper pro nobis allato constat, essentiam divinam *non nisi in individuis spectatam subsistere*. Ergo si dixit, essentiam per se subsistere, subsistentiam accepit pro substantià. Scis, quòd sub Damaso vox *hypostasis* passim non pro personà, sed pro substantià usurpabatur: Et sic D. Hieron. Epist. 57. ad eumd. Damas. dicebat: *Taceantur, si placet, tres hypostases, & una teneatur*. Sic possumus explicare Augustinum Hieronymo coævum; sed probare oportet, explicationem esse ad illius mentem.

81 Dixit, Deum ad se ipsum subsistere; intulitnè, quòd Deus non solùm per relativum, sed per absolutum subsistat? Non equidem; sed ex eà propositione intulit: *Et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia*: ergo in eà propositione subsistentiam Dei ad se assumpsit pro substantià. Dixit, *hoc est Deo esse, quod subsistere*; at pariter dixit ibid. c. 6: *non aliud est Deo esse, quàm Personam esse*. Quis hinc inferat, esse in Deo personalitatem absolutam? Ergo cùm dixit, *hoc est Deo esse, quod*

subsistere, accepit subsistentiam pro substantiâ, & *subsistere* pro *per se existere*. In memoriam revoca, quod supra ex Ruizio notavimus, post firmatam in Ecclesiâ significationem vocis, *Usia* pro essentiâ, & *Hypostasis* pro personâ, nullus PP. Græcorum accepit hypostasin pro absoluto, nullus Latinorum subsistentiam pro naturâ. Dixere aliqui Theologi, quæstionem de subsistentiâ absolutâ decidi non posse ex Patribus, & Concilijs: verum est, si loquamur de ætate præcedente, non de subsequente ad firmatam significationem vocum, *Usia*, *Hypostasis*, *Substantia*, *Subsistentia*. Sed instando

82 Arg. 2. Agatho Papa, Epist. Synodicâ, & in Instructione ad Legatos ad 6. Synodum. *Confitemur trium Personarum, seu subsistentiarum unam subsistentiam.* Item Boet. lib. de duabus Naturis, dicit in Deo unam esse *Usiam*, vel *Usiosin*, id est, unam essentiam, vel subsistentiam; & addit, *subsistentiam non dicere incommunicabilitatem, quam addit hypostasis.* Præterea, Concil. Rhemense magnæ authoritatis, quamvis approbatum non sit, statuit, *simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec in aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas.* Ergo semper fuere Patres, qui in Deo subsistentiam ab hypostasi distinxerunt. Et hanc dis-

distinctionem ex Patribus sumpsere Theologi Scholastici, pro quibus omnibus audiatur Ang. in 1. dist. 21. q. 2. a. 1. *Terminus Deus praedicat naturam de tribus Personis: quæ etiam in se est habens esse subsistens, nullâ Personarum distinctione intellectâ* Clarissim. est illud, q. 9. de Potent. a. 5. ad 13. *Relationes non sunt principium subsistendi divinæ essentiæ: ipsa enim divina essentia est secundùm se subsistens.*

83 Resp. neg. assumptum. Ad textum Agathonis, constat, depravatum esse, ut proponitur, trium subsistentiarum *unam subsistentiam*; & legendum *unam substantiam*: ut legitur modò in editionibus correctissimis. Ad textum Boetij dicendum, magnum hunc Philosophum, & Theologum, adhuc sub medium sexti sęculi confudisse ex usu veterum subsistentiam cum substantiâ; imò & substantiam cum hypostasi: ut notavit Floravantius, nobis contrarius, 1. de Trin. c. 2. agens de vocibus *substantiâ*, & *subsistentiâ*. At sub finem ejus sęculi Magn. Gregor. l. 2. Epist. Indictione 10. Epist. 37. ad Natal. Solonital. regulam sentiendi, & loquendi nobis præscripsit, dicens. *Abrahamin tribus Angelis unum salutans, Trinitatis subsistentias unius substantiæ esse, declaravit.*

84 Extra rem nobis objicitur Conc. Rhemense, in quo primas partes egit D. Ber-

nardus; quod sufficit, ut magnæ sit authoritatis. Damnatur ibi error Gilberti Porretani asserentis distinctionem realem inter essentiam, & Relationes, aut saltem modalem: imò inter Deitatem, & proprietates absolutas: ut notat Card. Gotti, de Hæresib. à sæculo 8. c. 91. §. 1. Dicimus, simplicem naturam divinam esse Deum, quia nec realiter, nec modaliter distinguitur à subsistentiâ relativâ; non quia in Deo sit subsistentia absoluta. Dicimus, in nullo sensu catholico posse negari, quòd Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas; quia catholicè dici non potest, inter Deum, & Divinitatem esse distinctionem realem, aut modalem; non quia Deitas prout virtualiter à Relationibus distincta sit subsistens in se, aut in aliquo subsistente: ut ex D. Thomâ dictum est suprà.

85 Et hinc ad textus, qui nobis objiciuntur, dicendum est, in ipsis Angelicum usurpasse latè subsistentiam pro perfeitate substantiæ, aut pro modo perfeitatis. Sic de accidentibus Eucharisticis dixit Opusc. 57; *accidentia sine subjecto subsistunt*; hoc est, per se existunt. In hac latâ acceptione explicandus est, quandocumque exprimat naturam præcisim à Relatione unâ, vel trinâ secundùm se subsistere. Cùm verò docet, naturam, non intellectâ distinctione Personarum, habere in se

se esse subsistens, sic explicandus est, quòd, ut intelligatur subsistens, non requiritur Trinitas Personarum, sed sufficit subsistentia personalis, una, vel trina. At cùm dicit, in 1. d. 26. q. 1. a. 1. aliqua in Deo prædicari per respectum ad se, ut *essentia & subsistentia*, accipit subsistentiam pro existentiâ per se. Demum cùm asserit, 1. p. q. 3. a. 1. quòd de Deo loquentes utimur nominibus concretis, ut *significemus ejus subsistentiam*; dicemus, nomine concreto *Deus* utimur, non ad significandam solam naturam; sed ad significandam naturam, & ejus complementum, quod est hypostasis, seu subsistentia relativa. Has explicationes admittere debes, ni velis, Angelicum sibi esse contrarium: nam decretorium pro negandâ subsistentiâ absolutâ est illud testimonium, quod pro nostrâ sententiâ adduximus.

86 Arg. 3. *Subsistere* est per se existere, prout excludit inhærentiam, & in alio esse, tanquam pars in toto: ergo hoc modo unum est in Deo subsistere, sicut unum est per se esse; sed istud unum subsistere est subsistentia absoluta: ergo hęc est in Deo. Alio modo accipitur subsistere, ut sit idem, atque incommunicabiliter per se existere: & hoc modo sunt in Deo tres subsistentes, sicut sunt tres Personę: quia sunt tres subsistentes incommunicabiliter. Hęc Scotus. Resp.

87 Resp. neg. ant. Remittit nos Scotus ad Augustinum, addens: *& sic loquuntur authoritates Augustini.* Sed profectò omnium clarissimæ pro eà acceptione sunt, quas nobis objecimus, & aptè explicuimus. Quæro deinde: an ad rationem subsistentiæ requiratur, quòd subsistens non sit in alio, tanquam pars in toto, etiam virtualiter distincto? Si affirmes: ergo non datur absoluta subsistentia; nam divina natura existit in Patre: & est pars virtualiter distincta à Paternitate, cum qua Personam Patris constituit. Si neges eo, quòd sufficiat, quòd non sit in alio realiter distincto; contrà est: ut natura divina non existat per se incommunicabiliter, satis est, quòd communicetur alteri virtualiter distincto, aut distincto ex naturâ rei; nempe divinis Personis. Ergo ut non existat per se, & in se, sufficit, quòd existat tanquam pars in alio virtualiter, aut ex naturâ rei distincto. Et ratio à priori: quia omne, quod communicatur, est per exhibitionem sui; quod fit per unionem, aut per identitatem; quod autem sic communicatur, est pars in toto: ergo sicut natura divina non existit per se incommunicabiliter, quia communicatur alteri virtualiter distincto; ita ad hoc, ut per se non subsistat, sufficit, quòd sit in alio virtualiter distincto tanquam pars in toto. Ad quid ergo excogitata est du-

plex

plex illa acceptio, *subsistendi*, & *incommunicabiliter subsistendi*?

88 Dices: cùm asseritur, quòd natura subsistit, quia non inhæret alteri, neque est pars in toto, hoc intelligitur, quòd non sit in alio, à quo tanquam à sustentante dependeat; sed natura divina ex se excludit esse in alio, etiam virtualiter distincto, à quo tanquam à sustentante dependeat: ergo natura divina ex se ipsà subsistit. Do maj. & min. dist: & id non sufficit ad veram rationem subsistentis, conc. & id ad eam rationem sufficit, neg. min. & conf. Dependentiam latam naturæ divinæ à personalitatibus agnosco: nihil est enim, nisi connexio titulo perfectionis; & nego dependentiam strictam: quę est connexio, qua unum sine alio distinctæ naturæ existere non potest. Non sufficit ad veram subsistentiam independentia ab alio tanquam à sustentante. 1: quia anima rationalis non subsistit neque in statu unionis ad corpus, neque in statu separationis: denominatio enim subsistentis convenit soli naturæ completæ. Et tamen in neutro statu dependet ab alio tanquam à sustentante. 2: quia humanitas in Christo subsistit, non per propriam subsistentiam, sed per subsistentiam Verbi; nec tamen dependet à Verbo tanquam à sustentante: tantùm enim unitur Verbo, & est pars in Christo, & inde infertur,

tur, non habere propriam subsistentiam? Quòd si abusivè dicatur, subsistentiam sustentare naturam, quia illam complet; quo argumento probabis, dici non posse, quòd natura divina non sustentetur in Relationibus, quibus completur?

89 Arg. 4. Natura divina ut condistincta à Relationibus existit in se: ergo subsistit per subsistentiam absolutam. Prob. ant: evidens est, quòd natura divina existit: omne enim, quod non est intra causas, existit: Deitas autem nullas habet causas, & est à se. Rursus: evidens est, quòd per se existit, cùm sit substantia, ac proinde non sit in alio, tanquã accidens in subjecto. Restat explicandum, quid sit, naturam divinam in se existere? Itaque id in se existit, quod nullo eget sustentante ad perfectè existendum; id habent substantiæ creatæ per modum, qui dicitur *perfeitas*, distinctũ à naturà, & ejus existentià. Humanitas assumpta à Verbo existit: est enim extra causas; per se existit, est siquidem substantia. At non existit in se, cùm non habeat suum perfeitatis modum, sed pro illo habet subsistentiam Verbi, in quo existit, non tanquam in subjecto, sed tanquam in sustentante. Jam sic: natura divina, quippe quæ est substantia perfectissima, & infinita, non debet habere hanc perfectionem existendi perfectè,

fectè, quod est in se existere, à Relationibus, sed à se ipsà: Relationes namque sunt extra-essentiales naturæ; hæc autem est simpliciter infinitè perfecta. Ergo sicut est à se, & per se, ita & existit in se; sed quod existit in se, est subsistens: ergo.

90 Conf: ex hac subsistentiâ absolutâ colliguntur multa commoda. 1: quòd natura divina, prout distincta à Relationibus, possit assumere naturam creatam in illo modo perfectatis communi, & essentiali tribus divinis Personis. 2: diversus modus, quo humanitas est in Verbo, & Deitas in Personis: nam humanitas est in Verbo tanquam in sustentante; natura autem divina non est in Personis, ut ab ipsis sustentetur, sed ex fœcunditate. 3: optimè intelligitur, qua ratione hoc nomen, *Deus*, aliquando supponat pro individuo Deitatis, licèt aliquando etiam supponat pro Personâ. Constat hoc posterius in hac propositione, *Deus generat*. Constat illud prius in istâ, *Deus creat*. Hoc argumento complexus est, quidquid boni afferri potest pro subsistentiâ absolutâ, P. Floravantius, lib. 2. de Trinit. qui est de Theoria, titul. de *Personis in universum*.

91 Resp. neg. ant. in sensu, quo ponitur in argumento: nempe id existit in se, quod in se sistit; quod est subsistere: id, quod negatur de naturâ divinâ ut condistinctâ à Relationi-

bus.

bus. Neque enim natura divina sistit in se, sed communicatur Relationibus, cum quibus tres subsistentes, sive tres Personas constituit. Insuper: natura divina, ut à Relationibus distincta, non habet ultimum complementum subsistentiale, sive suum ultimum terminum: unde ex suâ infinitâ perfectione transit ad Relationes, ut ultimò subsistentialiter compleatur, & terminetur. Constat hinc, naturam creatam, ut in se existat, sive subsistat, habere modum perfectitatis, quo ultimò compleatur, atque adeo ad aliud non transeat, cum quo constituat unum per se; ideoque humanitas assumpta à Verbo non subsistit propriâ subsistentiâ, sed subsistentiâ Verbi. Jam ad prob. ant. negati, neg. maj: quę non probatur ex eo, quòd natura divina sit simpliciter infinitè perfecta, & quòd Relationes sint extra essentiales; & in hoc immorandum non est.

92 Ad conf. neg. assumptum; quod adductis corollarijs non probatur. Ad 1: etiam omissâ absolutâ subsistentiâ, negandum omnino est, naturam divinam posse assumere naturam creatam; ut, Deo dante, probabimus in Controv. de Incarn. Sufficit anticipasse placitum Damasceni, quod affertur ab Euthymio in Panoplia, tit. 15. cap. 75. *Divinitas homo facta nullo modo dicitur, quia Divinitatem Personam dicere non possumus.* Sed nec dicere

cere possumus, naturam divinam, etsi habeat subsistentiam absolutam, esse personam: ergo etiam sic non potest fieri homo, sive assumere humanitatem. Videatur Aldrete, D.42. de Incarn. s.4. Ad 2: explica, quid sit, humanitatem Petri à propriâ subsistentiâ, & humanitatem Christi à subsistentiâ Verbi sustentari? Si præcisè sit, ultimò substantialiter compleri, & reddi suppositum, aut personam, abstine à voce absonâ, & dic, hoc ex se non habere Deitatem, sed ex propriâ fœcunditate radicare hypostases, quibus terminatur. Alium modum, quo humanitas à Verbo sustentetur, cogitare non possum: nam neque in ipso est, tanquam in subjecto; neque actio productiva humanitatis dependet à Verbo, tanquam à causâ materiali; neque Verbum per suam proprietatem aliquem exhibet specialem influxum activum distinctum ab actione Omnipotentiæ: solùm ergo humanitas dependet à Verbo, tanquam à puro termino intrinseco unionis hypostaticæ. Et quia hæc est dependentia stricta, ideo apud Concilia, & Patres dicitur, quòd humanitas à Verbo sustentatur; cùm autem Deitas non dependeat dependentiâ strictâ à Relationibus, ideo non dicitur, Deitatem à Relationibus sustentari. Ad 3: absque absolutâ subsistentiâ benè explicatur, quòd nomen, *Deus*, supponat pro indi-

vi-

viduo Deitatis; ut in eà propositione, *Deus creat*: in eà ex vi significationis præscinditur ab unà, vel trinà hypostasi; ab hac, vel illà determinatà; sed ex principijs Fidei habetur, quòd subjectum illius propositionis est Deus in essentià Unus, & in Personis Trinus.

SECTIO VII.

Solvuntur reliqua argumenta.

93 ARg. 5. Effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam incommunicabilem alieno supposito; id habet natura divina prout conditincta à Relationibus: ergo prout sic distincta habet effectum formalem subsistentiæ; ac proinde subsistentiam absolutam. Conf. 1: effectus formalis subsistentiæ est cum naturà constituere concretum substantivum: ut cum humanitate hominem, cum Deitate Deum; sed hoc habet Deitas seorsim à Relationibus: nam præcisim ab his intelligitur, non solùm Deitas, sed etiam Deus concretivè: ergo. 2: conceptus subsistentię est independentia à subjecto, & à supposito alieno; sed id habet natura divina independenter à Relationibus: ea enim independentia est perfectio absoluta, sicut independentia à causà: ergo.

94 Resp. neg. absolutè maj: effectus enim formalis subsistentiæ est complere ultimò naturam cum ipsà constituendo supposi-

tum

tum incommunicabile alteri, cum quo ad sui perfectionem unum per se componat. Relege 2.probationem nost.conclus. à num.73. ad finem usque Sect. Incommunicabilitas naturæ ad alienum suppositum non est effectus formalis subsistentiæ ut sic. Ratio: nam humanitas assumpta à Verbo sistit per subsistentiam Verbi; & tantum abest, ut sit incommunicabilis alieno supposito, ut per ipsam assumptionem alieno supposito communicata sit. Ad summum erit effectus formalis subsistentiæ propriæ, quòd sit incommunicabilis supposito alieno, sive extraneo; & hoc subsistentia propria habebit ex eo, quòd cum naturâ constituit suppositum: nihil autem absolutum in Deo constituit cum naturâ suppositum.

95 Ad conf.1.Dist.maj: illam concedo de constitutione concreti substantivi, quod est suppositum: & constat ad reliquum. Relatio activa Spiratoris constituit cum Patre, & Filio concretum substantivum, *unus Spirator*, quin sit subsistentia; ac proinde non est effectus formalis subsistentiæ constituere concretum substantivum utcumque. Constat exemplo adducto subsistentię humanitatis: nam concretum substantivum *homo* à subsistentiâ constituente suppositum, & personam habet esse tale concretum; ideoque apud Theologos invaluit, Verbum assumpsisse, non homi-

nem, sed humanitatem. Ergo concretum substantivum, *Deus*, si velis, quòd sit subsistens, debet esse suppositum, seu persona. Ad 2. conf: constat ex dictis ad arg. independentiam à supposito alieno esse quid speciale propriæ subsistentiæ; idque provenire ex eo, quòd sit suppositum id, quod est independens. Hoc sensu admissà maj. neg. min; quæ non probatur ex perfectione absolutà independentiæ à causà. Hic nota, naturam per propriam subsistentiam terminatam non indigere aliâ naturâ ad existendum; terminatam per alienam subsistentiam ad existendum indigere aliâ, illâ scilicet, cujus subsistentiam habet.

96 Dices. Natura divina ut condistincta à Relationibus non indiget aliâ naturâ, ut existat; sed iste est effectus subsistentiæ propriæ: ergo natura divina, ut condistincta à Relationibus, habet subsistentiam propriam; quæ absoluta debet esse. Dist. maj: natura divina ut condistincta à Relationibus non indiget radicaliter aliâ naturâ; conc; non indiget formaliter, neg. maj. & cadit reliquum. Natura divina exigit subsistentiam, & quidem propriam; & sic excludit ratione hujus exigentiæ indigentiam alterius naturæ. Hinc formale exclusivum istiusmodi indigentiæ stat in subsistentijs proprijs relativis. Omnipotentia, ut condistincta à scientiâ, non est ignorantiæ ca-

pax

pax; quia, ut sic distincta, exigit scientiam, quæ est formale exclusivum ignorantiæ; non tamen Omnipotentia includit istud ignorantiæ formale exclusivum. Discurre similiter in re præsenti.

97 Arg.6. Deitas ut condistincta à Relationibus habet existentiam absolutam: ergo & absolutam subsistentiam. Prob. cons: quia subsistentia pertinet ad rationem substantiæ. Confirm. 1: subsistentia ut sic non dicit esse relativum, & est propria substantiæ: ergo est in Deo ex parte absolutorum. 2: Deitas condistinctè à Relationibus est substantia completa: est enim infinita in esse substantię: ergo est subsistens. 3: Deitas ut talis dicit omnem perfectionem simpliciter simplicem; sed esse naturam subsistentem est perfectio simpliciter simplex: ergo Deitas ut talis est natura subsistens. 4: Filius à Patre accipit naturam completam; sed illam accipit ut condistinctam à Relationibus: ergo &c.

98 Resp. conc. ant. neg. cons. cujus probatio non urget: nam subsistentia pertinet ad rationem substantiæ tanquam ultimum complementum naturæ, cum ipsà constituens suppositum. Adest manifesta retortio in ratione personę, quę etiam pertinet ad rationem substantiæ; & in Deo personalitas absoluta implicatòria est.

99 Ad conf. Ad 1 : subsistentia ut sic abstrahit ab absoluto, & relativo; sed in Deo contrahitur, non per absolutum, sed per relativum. Sic abstrahit subsistentia ab eo, quòd sit naturæ rationalis, aut irrationalis; & ab eo, quòd sit propria, vel aliena: & in Deo non abstrahit ab eo, quòd sit propria, & quòd sit complementum naturæ rationalis. Quòd autem subsistentia sit propria substantiæ, nihil aliud est, nisi quòd sit illius proprietas extraessentialis; ad modum, quo personalitas est propria naturę intellectualis, quin sit proprietas intraessentialis. Hinc constat sensus hujus propositionis : *Deus essentialiter subsistit.* Si denotetur ex essentiâ, ex naturâ, ex Deitate constitutivè acceptâ, falsa est; vera autem, si denotetur ex exigentiâ metaphysicâ Deitatis. Ad 2. Deitas condistinctè à Relationibus est substantia completa in esse naturæ; sed non est ultimò substantialiter completa: completur namque per Relationes. Est tamen infinita in esse substantię, quia à se habet *per se* existere, & intimam exigentiam ad habendas per identitatem realem Relationes, quibus formaliter redditur in se existens, sive subsistens. Ad 3: varia est explicatio perfectionis simpliciter simplicis; mihi illa placet, quę permittit, divinas Relationes dicere perfectionem, & quidem infinitam, atque etiam simplici-

pliciter ſimplicem: quapropter admitto, quòd in Deo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex eſſè naturam ſubſiſtentem per Relationes. Hinc dico, Deitatem, ut condiſtinctam à Relationibus, non dicere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed tantùm illas, quæ conſtituunt naturam communem tribus divinis Perſonis. Ad 4: Filius accipit à Patre naturam completam, ſpecificativè ſumptam, non verò reduplicativè: hoc eſt, accipit naturam completam in Patre, ut ſimiliter compleatur in Filio, & quæ ut accepta à Patre, & Filio compleatur ſimiliter in Spiritu Sancto. Et hęc eſt ineffabilis, & ſupereminens perfectio myſterij Trinitatis.

100 Arg. tandem. Concretum, *Deus*, dicit conſtitutivè ſubſiſtentiam; ſed non ſubſiſtentiam relativam: ergo abſolutam. Min. prob. 1: pro priori ad Relationes intelligitur Deus conſtitutus concretè in eſſe Dei. 2: Deus concretè eſt quid commune tribus Perſonis divinis. 3: quia ſi Deus concretè conſtitueretur per ſubſiſtentiam relativam, eſſent tres Dij, ſicut ſunt tres Perſonæ. 4: Philoſophi agnoſcebant Deum concretè conſtitutum, hoc eſt, ſubſiſtentem; non autem agnoverunt ſubſiſtentiam relativam. Ex his omnibus conſtat, quòd ſubſiſtentia, quam conſtitutivè dicit concretum *Deus*, non eſt relativa, ſed abſoluta.

101 Resp. dist. maj: concretum, *Deus*, dicit constitutivè subsistentiam confusè, & materialiter; conc: determinatè, & formaliter trinam potiùs, quàm unam, aut unam ex tribus præ alia, neg.maj. & min. aut illam similiter dist. Nomen, *Deus*, significat formaliter, & expressè naturam divinam; materialiter, & confusè subsistentiam: hæc in Deo realiter est trina; sed quæ sub ratione communi subsistentiæ significatur. Deitas subsistens idem est, ac *Deus*; istud autem concretum accipi potest purè logicè, & sic affert constitutivè subsistentiam præcisivè à Relationibus. Hinc infer, quòd in Relationibus est formalitas subsistentiæ, quę quidem non est quid absolutum ab ipsis virtualiter realiter distinctum. Adest exemplum: Nomen *Persona* concretivè accipitur logicè; & sic præscindit à Relationibus: inde autem solùm habetur, in divinis personalitatibus esse formalitatem præscindentem, non verò esse aliquam personalitatem absolutam realiter virtualiter distinctam à personalitatibus relativis. Ad min. probationes deveniamus,

102 Ad 1. Pro priori ad Relationes determinatè, & in individuo acceptas intelligitur concretum *Deus*, *hic Deus*, *& individuum Deitatis*; sed non pro priori ad Relationes in confuso, & indeterminatè acceptas, se-

cun-

cundùm quod Relationes conveniunt in ratione subsistentię, constituentis suppositum. Hic aliam prioritatem non habes, nisi logicam, & in subsistendi consequentià; qualem explicuit Philosophus in Prędicamentis, cap. *de modis prioris. Quod non convertitur essendi consequentia: quo pacto, unum duobus est prius; nam si sint duo, unum continuò sequitur; at si sit unum, non necessariò sequitur, duo esse.* Ad 2. Deus concretè est quid commune tribus Personis divinis: partim physicè, partim logicè. Sensus est: Deus concretè dicit constitutivè Deitatem, & personalitatem. Deitas est physicè communis tribus divinis Personis, in quibus individuè est eadem, & non multiplicatur. At personalitas est logicè communis, abstrahit à tribus divinis Personis, & in ipsis multiplicatur. Sic *Persona divina* concretè involvit constitutivè personalitatem, & Deitatem, & est communis logicè secundùm personalitatem, quę multiplicatur; & physicè communis secundùm individuam Deitatem.

103 Ad 3. Nomen, *Deus*, desumitur à naturà, quæ venit in recto, & à subsistentià, quæ venit in obliquo, & de connotato; sive, ut alij loquuntur, illud nomen expressiùs significat Deitatem, quàm personalitatem. At nomen illud, ejusque significatum multipli-

catur; cùm Deitas sit una, & hęc veniat in recto, & sit expressius significatum: ergo nomen *Deus*, ejusque significatum non multiplicatur in divinis Personis. E contrario: *Persona divina* multiplicatur; quia expressius significatum est personalitas, quæ venit in recto; quamvis Deitas, quę significatur in obliquo, sit una, & immultiplicabilis. Uno verbo: proprium significatum hujus nominis *Deus* est Deitas subsistens, seu habens subsistentiam; rectum autem hujus subjecti est Deitas immultiplicabilis. Ad 4. Philosophi agnoverunt, Deum esse Personam; non quidem relativam, sed absolutam. Si quis hinc inferat, dari in Deo personalitatem absolutam, errabit in Fide. Prętereà: Philosophi non distinxere suppositum à naturà; & ex hac Philosophià natæ sunt hæreses contra mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Constat ex Damasceno 2. de Fide, c. 3: *id unum fraudis Hæreticis est in hoc genere, quòd naturam, & hypostasim unum esse, persuasum habent.* En Philosophi non agnovere in Deo subsistentiam, quæ non sit hypostasis. Ergo ex ijs, quæ agnoverunt Philosophi de Deo subsistente, non benè sumitur argumentum pro subsistentià absolutà.

104 Mitto plura, quæ nullius sunt roboris. Tale est illud: Deitas est quid absolutum, & Relationes sunt de diversà lineà, nempe

pe relativâ : ergo non ſunt proportionatę, ut Deitas per ipſas ſubſiſtat. Neg. conſ: nam perſonalitas eſt de lineâ relativâ, & eſt proportionata, ut Deitas perſonetur: ergo & ut ſubſiſtat Deitas, eſt proportionata ſubſiſtentia relativa. Ejuſdem imbecillitatis eſt illud: ſubſiſtentia debet fundari in eſſe abſoluto Dei; ſed Relationes non fundantur, niſi in productione Perſonarum : ergo datur ſubſiſtentia abſoluta. Occurro: ſubſiſtentia debet fundari tanquam in radice in eſſe abſoluto Dei ; & ſic fundantur Relationes in eſſentiâ, cujus ſunt proprietates: eo prorſus modo, quo perſonalitates fundantur in eſſentiâ, quæ per ipſas determinatur ad Perſonas. Æquè infirmũ eſt illud : Filio ex vi proceſsionis communicatur ſola ſapientia : ergo hæc ſola ſubſiſtit relativè; cùmque omnes aliæ abſolutæ perfectiones ſubſiſtant, conſequens eſt, ut hoc habeant à ſubſiſtentiâ abſolutâ. Falſum eſt ant. communicatur enim Filio ex vi proceſsionis plenitudo Deitatis : eſt namque *Deus de Deo, plenus de pleno.* Neg. conſ: ſubſiſtent ſiquidem ex vi proceſsionis ſapientia, & identicè cęteræ perfectiones ; ſicut omnes determinantur per Relationem ad conſtituendam Perſonam *Filij.*

SEC-

SECTIO VIII.

Appendix de subsistentijs relativis.

105 PRæmitto. De Fide est, in Deo dari tres subsistentias, si nomine subsistentię accipiatur concretum hoc, *subsistens*, sive *persona*. Sic accipitur in definitionibus Conciliorum. Sufficiant, quæ habentur in 6. Synodo Gen. Anathem. 1: *Si quis non confitetur unam Deitatem in tribus subsistentijs, sive Personis adorandam, anathema sit.* Anathem. 5: *Si quis conatur, introducere in mysterio Christi duas subsistentias, vel Personas, :: sed non confitetur unam ejus subsistentiam, vel Personam :: anathema sit.* Ergo sumptà subsistentià pro *subsistente, vel personâ*, de Fide est, dari in Deo tres subsistentias, vel Personas; in Christo autem non duas, sed unam.

106 Quid, si subsistentia sumatur in abstracto? Si nomen abstractum, *subsistentia*, pro totà essentià entis subsistentis ut talis accipiatur; de Fide est, dari in Deo tres subsistentias. Constat: nam sic sumptum abstractũ *subsistentia* significat idem prorsus, ac *subsistens*; de Fide autem est, in Deo esse tres subsistentes, sive Personas: ut dictum immediatè est. At potest eo modo accipi abstractum hoc *subsistentia*? Non est cur negetur. Sic pro eodem accipiuntur *ens*, & *entitas*; & in communiori Philosophià *totum*, & *totalitas*; & in mul-

multorum verà opinione, *similitudo duorum*, & *duo similia*.

107 Quid si subsistentia sumatur abstracta, ut forma condistincta ab omni absoluto? Dicendum, non esse de Fide, in Deo esse tres subsistentias abstractè in eà usurpatione acceptas. Constat: nam in nullo Concilio definitum est, tres esse subsistentias, nisi prout subsistentia accipitur pro personà. Nec dicas: definitum est, dari tres subsistentes: ergo definitum est, dari tres subsistentias. Negat cons. P. Molina cit. suprà n. 77. probabiliter asserens, denominationem *subsistentis* provenire ab omnibus prædicatis absolutis, & relativis suppositi. Negant cons. Durandus, & pauci alij, qui solùm in Deo agnoscunt subsistentiam absolutam communem Personis, quæ in ipsis modificatur per Relationes, ut resultet suppositum incommunicabile, quę quidem sententia non est contra Fidem, nec censuram meretur.

108 Assertum nostrum. Relationes divinæ incommunicabiles sunt se ipsis personalitates; ac proinde in Deo sunt tres subsistentiæ relativæ. Est communissimus Theologorum sensus. Relationes incommunicabiles sunt proprietates uniuscujusque Personę; cùm que Relatio Spiratoris non sit proprietas incommunicabilis; quoniam à Patre communicatur

catur Filio; hinc est, quòd ejusmodi Relatio non sit personalitas. De tribus itaque Relationibus incommunicabilibus, Paternitate, Filiatione, & Spiratione passivà est data doctrina. Quæ

109 Prob: nam in Deo non est subsistentia absoluta, ut probatum est: ergo Relationes incommunicabiles non sunt modi subsistentiæ absolutę, ut volunt Durandus, & qui ipsi adhærere. Prætereà: personalitas in substantià rationali est forma, per quam concretum ex naturà, & ex eà formà redditur incommunicabile: nempe communicatione illà, quam explicui n.78. Sed proprietas uniuscujusque Personę divinæ est forma, per quam concretum ex ipsà, & naturà divinà redditur incommunicabile: ergo. Prob. min: nam proprietas Patris v.g. se ipsà est incommunicabilis: ergo reddit se ipsà concretum, quod cum ipsà naturà divinà constituit, incommunicabile, ad intra quidem; sed & ad extra: nam Persona divina est se ipsà incommunicabilis substantię creatæ, cum qua ad sui ulteriorem perfectionem unum per se constituat. Quòd si proprietas personalis se ipsà est incommunicabilis, quatenus id requiritur ad constituendum suppositum, consequens est, ut se ipsà sit incommunicata. Patet: nam quod formaliter excludit possibilitatem, excludit formaliter

liter actum; sed proprietas personalis excludit formaliter possibilitatem communicationis: ergo formaliter excludit communicationis actum.

110 Hinc prœoccupata est objectio: Paternitas non excludit formaliter, sed tantùm fundamentaliter communicationem, oppositam rationi *suppositi*: ergo Paternitas se ipsà non est personalitas. Neg. ant: nam Paternitas quidditativè, & ex prædicato essentiali excludit communicationem; ac propterea excludit communicationem illam, quæ sit contra conceptum suppositi. Instabis: personalitas est forma, per quam excluditur omnis communicatio; sed per quamlibet perfectionem absolutam excluditur communicatio ad extra ad intrinsecam communicationem Deitatis ad constituendum ad sui ulteriorem perfectionem unum per se: ergo quælibet divina absoluta perfectio est partialiter saltem personalitas: ergo cum proprietate relativà constituit personalitatem. Concess. maj. neg. min. 1: quia personalitas excludit omnem communicationem; perfectio absoluta excludat communicationem ad extra; sed non excludit communicationem ad intra. 2: quia absoluta perfectio non excludit immediatè, & formaliter communicationem ad extra, sed ratione proprietatis, quam exigit, quæ est pro-

propria subsistentia excludens immediatè, & formaliter subsistentiam alienam.

111 Dices. Incommunicabilitas est quid negativum: ergo proprietas Patris est quidem fundamentaliter personalitas: ergo superaddit personalitas negationem communicationis. Conf. à pari: nam communicatio Petri alteri subsistantiæ excluditur formaliter per negationem superadditam: ergo & communicatio divinæ Personæ excluditur formaliter per negationem. Non defuit bonus Theologus, qui hanc cogitationem esse probabilem docuerit; maxime quia PP. agnoscunt utique in Deo personalitates positivas; sed non decernunt, an sint formaliter personalitates, an solùm fundamentaliter?

112 Nego absolutè ant. Incommunicabilitas est quid formaliter positivum, modo negativo explicatum. Proprietas Personæ divinæ se ipsà imbibit incommunicabilitatem; nec requiritur negatio, ut excludatur communicatio. Quidquid sit de positivis contingentibus, quæ excludantur per negationes, impossibilia excluduntur, non per negationes, sed per entitates; & sic homoequus excluditur, non per negationem necessariam, sed per positivas entitates hominis, & equi. Atqui communicatio suppositi divini, quæ opponitur rationi suppositi, non est possibilis:

ergo non excluditur per negationem superadditam, sed per personalitatem. Ad conf. Si loquaris de Petro, ut est suppositum, excluditur communicatio, non per negationem, sed per subsistentiam positivam. Sed in creatis non addat suppositum supra naturam, nisi negationem communicationis: ut volunt multi. In Deo excluditur formaliter communicatio per personalitatem positivam; sicut per ipsam excluditur formaliter communicabilitas: unde non est paritas.

113 Nota. Quamvis non sit de Fide triplex subsistentia relativa, & triplex personalitas, ex principijs tamen Fidei id bene, & satis efficaciter probatur: nam de Fide est, dari tres subsistentes, & tres Personas concretivè: ergo dantur tres subsistentiæ relativæ, & tres personalitates in abstracto. Ratio conf: quia concreta substantiva non multiplicantur, nisi multiplicato eorum principali significato: sive quod venit in recto. Sed in hoc concreto substantivo, *suppositum*, *Persona divina*, venit in recto, & principaliter subsistentia relativa, & personalitas; sicut in hoc concreto, *Deus*, venit in recto, & principaliter Deitas: ergo &c.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE ATTRIBUTIS DEI IN COMMUNI, ET IN PARTICULARI.

SECTIO I.

Prævia doctrina per Notationes.

1 ATtributum juxta communiſsimam Philoſophis, & Theologis explicationem eſt perfectio propria rei extra ejus eſſentiam ; ut riſivum, & admirativum relatè ad hominem. Hęc eſt ſtricta attributi acceptio. Attributum latè acceptum eſt abſoluta, & neceſſaria perfectio rei, ſive ſit de ejus eſſentiâ, ſive extra ejus eſſentiam metaphyſicam, dummodò ſit intra phyſicam eſſentiam. Sic hominis attributum eſt, non ſolùm riſibilitas, ſed & rationalitas. Attributum in uſurpatione mediâ inter latam, & ſtrictam eſt perfectio rei neceſſaria intra ejus eſſentiam phyſicam, & metaphyſicam, quæ quidem perfectio ſupponat aliam priorem, in qua radicetur, & à qua emanet. Da, volitivum eſſe de eſſentiâ metaphyſicâ hominis ; da, quòd præſupponat intellectivum, & quòd in ipſo fundetur : his poſitis, volitivum erit hominis attributum in uſurpatione mediâ inter ſtrictam,

tam, & latam. His usurpationibus præmissis sit

2 Notatio 1. In Deo sunt attributa in usurpatione media: hoc est, quatenus sunt perfectiones intraessentiales, & tamen supponant alias intraessentiales, in quibus radicentur. Constat ex dictis toto cap. præcedente. Probatum in eo fuit, omnem perfectionem absolutam necessariam Dei esse intra ejus essentiam metaphysicam. Probatum fuit in Deo conceptum *subsistentiæ rationalis à se* nullam radicem metaphysicam supponere; & in eo metaphysicè radicari infinitatem prædicatorum superiorum, ut est intellectivum, & omnes alias Dei characteristicas perfectiones, ut est Omnipotentia. Ratio hujus acceptionis: nam necessium est, quòd aliquid essentiale Deo priùs concipiamus; & postea ratiocinando illi addamus quidquid perfectionis est: addendo autem illi attribuimus perfectiones ejusmodi, quæ propterea condistinctè ab illo priori conceptu sortiuntur *attributorum* nomen.

3 Notatio 2. Neque actus liberi prout tales, neque divinæ Relationes sunt Dei attributa. Constat ex cap. præced. n. 2. & 3. in quibus probatum fuit, neque actus liberos, neque Relationes esse de essentiâ physicâ Dei. Et quidem actus liberi Dei sunt quasi acci-

dentia : nam citra ejus corruptionem possunt adesse, & deesse, non quidem secundùm realitatem, sed secundùm virtualitatem. Relationes sunt intrinsecæ proprietates essentiæ divinæ; non tamen sunt attributa: nomine enim attributi significatur perfectio, quę est per identitatem immediatam in singulari, in quo est essentia. Sed in Patre est plenè, & perfectè divina essentia, & non est per identitatem immediatam Relatio Filiationis, aut Spirationis passivæ: ergo.

4 Notatio 3. In Deo sunt attributa affirmativa. Constat: nam attributa affirmativa ea sunt, quæ exprimunt positivam perfectionem, quæ formaliter est in Deo: ut Omnipotentia, Sapientia, Justitia, & multæ aliæ perfectiones positivæ. Dices: aliqui Patres docent, attributa affirmativa impropriè convenire Deo, & meliùs illius naturam per negationes declarari; ut si dicatur, *Deus non est substantia, sed supra omnem substantiam.* Occurritur: neque enim Patres negare possunt in Deo esse formaliter Intellectum, Scientiã, Omnipotentiam, & alias perfectiones absolutas, & positivas. Eo modo loquendi solùm volunt, non esse in Deo eas perfectiones cum limitatione, sed cum superexcellentiã infinitè excedente modum, quo sunt in creaturis, & modum, quo illas in Deo abstractivè cognoscimus.

No-

5 Notatio 4. Sunt quoque in Deo attributa negativa. Constat: nam attributa negativa sunt, quæ exprimunt negationem imperfectionis in Deo. Sic increatum exprimit negationem creationis; & infinitum negationem limitationis. Nota tamen, ista attributa negativa, quę talia sunt ex modo significandi, realiter, & objectivè esse perfectiones Dei positivas: & sic esse creatum excluditur essentialiter per esse à se; & esse finitum per plenitudinem essendi. Nota insuper, non omnes negationes, quibus removentur à Deo imperfectiones, esse attributa negativa; ut cùm dicimus, *Deus non est Angelus, aut non est Leo.* Neque enim sunt attributa Dei negativa, nisi quæ aliquam specialem Dei perfectionem signant: & hæc ad pauca capita reducuntur, ut ex Suario notat Granadus, tract. 2. d. 9.

6 Notatio 5. In Deo sunt perfectiones essentiales essentialitate ipsarum, & alię essentiales essentialitate divinę essentiæ. Ad 1. genus spectant illę omnes perfectiones quasi genericę ab *ente* usque ad *rationale*, quæ ad Deum contrahuntur, & determinantur per differentiam aseitatis; ad 2. autem pertinent illæ omnes perfectiones, quæ ex perfectionibus quasi genericis, contractis ad Deum per aseitatem, dimanant. Sic notat ad rem præsentem ex Ægid. Lusit. P. Muniesa. d. 7. s. 1.

Ratio hujus diversitatis; nam perfectio essentialis essentialitate suâ est, quę ubicumque reperitur, est de essentiâ rei; & tales sunt hæ: ens, subsistantia, spiritus. Illæ non sunt, essentialitate ipsarum, rei constitutæ essentiales, quæ non ubicumque reperiuntur, sunt intra essentiam rei; & tales sunt sapientia, sanctitas, justitia: quę reperiuntur in homine, & sunt extra ipsius essentiam. Quapropter cùm sint intra Dei essentiam, non sunt essentiales ex genere suo, seu essentialitate ipsarum, sed non ex genere suo, sed ex essentialitate divinæ essentiæ.

7 Jam verò quęstio hujus loci prę-cipua est: qua distinctione essentia Dei ab attributis distinguatur, & vicissim? Insuper: qua distinctione inter se distinguantur divina attributa? Hac difficultate decisa, quæritur ulteriùs: an essentia Dei includatur formaliter in attributis, & vice versâ? Insuper: an unum attributum includatur in alio, hoc est, singula in singulis? In nostris principijs circa essentiam metaphysicam Dei dicendum est, essentiam à singulis attributis distingui ut totum à parte; & unumquodque attributū ab essentiâ tanquam pars à toto. Dicendum quoque, essentiā divinam includere formaliter unumquodque attributum adæquatè; singula autem attributa continere, sive rectiùs, esse for-

ma-

maliter inadæquatè divinam essentiam. Sed ut liberiùs difficultas procedat, loquamur de essentiâ divinâ secundùm perfectiones essentiales essentialitate ipsarum, & non secundùm perfectiones essentiales essentialitate ipsius divinæ essentiæ: quas perfectiones vocamus attributa.

8 Supponitur ex Fide, essentiam divinam, ejusque attributa, neque inter se, neque ab essentiâ realiter distingui. Constat ex Lateran. V. definiente, *essentiam divinam*, sive naturam esse *omnino simplicem*. Accipitur ibi essentia, & natura pro omnibus perfectionibus absolutis, & prout est communis divinis Personis. Sed cum omnimodâ simplicitate, & unitate divinæ essentiæ non compatitur distinctio realis inter essentiam, & attributa, neque attributorum inter se: ergo.

9 Respondebis ex quodam Gualterio, de quo Vazquez, d. 116. c. 2: essentia Dei, & attributa non se habent per modum actûs, & potentiæ: unde ablegatur à Deo compositio opposita simplicitati, etiam datâ reali distinctione inter essentiam, & attributa. Contrà: realis compositio est entium realiter distinctorum simultanea positio ad constituendum totum; hoc manet in essentiâ, & attributis, si detur realis distinctio: nam Deus realiter sapiens constitueretur ex essentiâ, & sapientiâ

distinctis realiter, & simul positis: ergo. Rursus: subjectum, quod est ad aliud realiter, sine quo esse non potest in suo connaturali statu, est potentia realis, & illud aliud est realiter actus: illud enim est capacitas, & istud aliud est exercitium hujus capacitatis: ergo in Deo esset essentia per modum potentiæ, & attributum per modum actùs: ergo esset vera, & realis compositio. Demum: ad compositionem non requiritur, quòd subjectum sit indifferens ad negationem actùs realiter distincti: neque enim Sol, aut ignis est indifferens ad negationem lucis, & caloris; sed cum his qualitatibus faciunt realem compositionem. Ergo quamvis essentia divina summè connectatur cum attributis, & non sit indifferens ad eorum negationem, si tamen realiter distinguitur, faciet cum ipsis realem, & physicam compositionem: ergo.

10 Exclusà distinctione reali inter essentiam, & attributa, & attributorum inter se ipsa, conveniunt Theologi in hoc, quòd Dei perfectiones absolutæ, realiter identificatæ, modo aliquo distinguuntur ad invicem. Qua distinctione? Dicunt Scotistę, distinctione formali ex naturà rei; quatenus una Dei perfectio à parte rei non sit formaliter alia: & sic apud ipsos Omnipotentia à parte rei non est formaliter Justitia. Scotistis adhærent aliqui

ex

ex Noſtratibus etiam cum Fonſecà, 3. Met. c. 6. q. 6. Dicunt Thomiſtæ, inter eſſentiam, & attributa, interque ipſa attributa verſari diſtinctionem rationis, non quidem ſecundùm implicitum, ſed ſecundùm explicitum eſſentiæ, & attributorum. Thomiſtis aſſentiuntur multi Noſtrates cum Suario, lib. 1. de Eſſent. Dei, cap. 12. & ſæpè alibi.

11 Nihil hìc de diſtinctione virtuali reali intrinſecà, qualis admittitur à multis inter abſoluta, & relativa; & qualis ab aliquibus admittitur inter perfectiones Dei neceſſarias, & liberas. Hìc agimus de diſtinctione inter perfectiones eſſentiæ, atque attributorum; quæ omnes ſunt abſolutæ, & neceſſariæ, An inter aliquas ejuſmodi abſolutas, & neceſſarias perfectiones detur hujuſmodi diſtinctio virtualis realis intrinſeca, ut inter intellectum, & voluntatem, interque intellectionem, & volitionem, difficultas eſt alio pertinens.

SECTIO II.

Rejicitur communiſsima Scotiſtarum ſententia.

12 DIſtinctionem actualem formalem ex naturà rei, quæ etiam media inter ſtrictè realem, & rationis appellatur, non ſufficere ad explicationem myſterij Trinitatis, ſuo loco probabitur in Diſp. de hoc ineffabi-

li mysterio. Ex ibi dicendis efformari potest hoc argumentum : eatenus in Deo esset agnoscenda hæc distinctio media, quatenus requireretur, & sufficeret ad explicandum mysterium Trinitatis. Sed ad hoc nec requiritur, nec sufficit: ergo non est admittenda in Deo: ergo non datur inter essentiam &c. Hanc distinctionem mediam in creatis reperiri inter gradus metaphysicos, latè impugnavi in Philosophiâ; modò non est animus difficultatem præsentem, nisi theologicè, tractare. Expende hanc argumentationem : *In creatis est inter gradus metaphysicos distinctio media : ergo & in Deo essentiam inter, & attributa.* Si mihi concedas, in Deo esse summè majorem simplicitatem, atque identitatem prædicatorum, quàm in creatis inter gradus metaphysicos, omittam ant. & negabo cons. Quòd si illud non concedas, arguam sic à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis : *in Deo non est distinctio media inter essentiam, & attributa : ergo neque in creatis inter gradus metaphysicos.*

13 Rejicitur distinctio Scotica à divinis; & quoniam maximè agnoscenda esset inter essentiam, & Relationes, de his loquamur, eadem dicturi de perfectionibus absolutis, & necessarijs comparatis inter se. Arguo ex Concilijs. 1. ex Lateranensi, cap. *Dam-*

nat.

namus, de Summâ Trin: *Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, sed id, quod est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino*: nempe est unaquæque Persona omnino eadem essentia. Sed non esset omnino eadem essentia, si Relatio distingueretur ex naturâ rei ab essentiâ: omnimoda enim identitas aufertur per distinctionem, quæ actu, verè, & in ipsis essentiâ, & Relatione detur; ut dari distinctionem ex naturâ rei, dicitur ab Scotistis: ergo. 2: ex Rhemensi, magnę abs dubio authoritatis, ex quo habetur, *simplicem naturam Divinitatis esse Deum, neque in aliquo sensu catholico negari potest, quin Divinitas sit Relatio, & Relatio Divinitas.* Atqui, datâ distinctione mediâ, diceretur, quòd Divinitas non est Relatio, & quòd Relatio non est Divinitas, verè siquidem diceretur, quòd actu, & se ipsâ, & ex suâ quidditate Divinitas non est Relatio, & viciſsim: ergo. 3: ex Florentino sess. 18. §. *Vos quæritis*, ibi: *Nos dicimus, substantiam, & Personam, sive Hypostasim esse idem re, differre autem nostro modo concipiendi.* Et sess. seq. §. *Quoniam Græci*, additur: *nè identitatem, unitatemque essentiæ dividamus, atque ut essentiam ab hypostasibus, non re differentem, sed ratione tantùm, & actu intelligendi.* Sed datâ distinctione formali ex naturâ rei, essentia differret re,

re, & non solùm ratione, actu concipiendi, & intelligendi ab hypostasibus; distingueretur namque objectivè, actu, & se ipsà essentia à Relationibus; ergo.

14 Hæc est una omnium Patrum vox, prædicantium Dei unitatem, atque simplicitatem. Pro omnibus audiantur Anselmus, & Bernardus. Anselmus in Monolog. post enumeratas multas Dei perfectiones concludit, c. 16. *Idem est quodlibet illorum unum, quod omnia simul: quemadmodum itaque unum est, quidquid essentialiter de summâ substantiâ dicitur, ita ipsa uno modo, aut consideratione est quidquid est essentialiter.* Bernardus, lib. 5. de Consider. c. 7. *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè, catholicèque; sed multa unum.* Atqui non uno modo summa substantia esset, quidquid essentialiter est, nonque multa, quæ dicuntur de Deo, essent unum, datà distinctione mediâ: ergo.

15 His non moventur Scotistæ; quibus probabilitatem suæ sententiæ, quam subtilissimè defendunt, non nego. Dicunt, Concilia, & Patres aliud non intendere, nisi excludere distinctionem strictè realem, non autem distinctionem actualem realem ex naturâ rei. Contrà: non salvatur propositio ista: *Divinitas, & Relatio est omnino idem*; cum verè, actualiter, & in se ipsis distinguerentur, & essent unum,

unum, & aliud. Illa autem propositio desumitur ex Lateranensi. Iterum: hæc propositio, *Divinitas non est strictè realiter Paternitas*, est hærerica; sed ista, admissà distinctione mediâ, esset catholica, *Divinitas non est actu realiter, & ex suâ naturâ Paternitas*; & sic in aliquo sensu catholico dici posset, *Divinitas non est Relatio*. Hæc autem propositio apertè rejicitur in Rhemensi. Demum: præter distinctionem rationis, & nostro modo concipiendi, & actu intelligendi, re ipsà dabitur alia actualis, & realis distinctio. Hoc autem est contra Florentinum: ergo.

16 Occurrunt Scotistæ. Non allegatur Canon aliquis hujus Concilij, aut Fidei decretum. Contrà: at allegatur unanimis consensus Patrum, tùm Latinorum, tùm Græcorum excludentium omnem actualem distinctionem, quæ non sit rationis, inter Relationes, & essentiam. Addunt: Concilij mens est, excludere omnem distinctionem strictè realem, ac proinde nomine distinctionis rationis comprehendere omnem distinctionem compossibilem cum identitate strictè reali. Contrà: nam verba Concilij juxta purum, & naturalem sensum excludunt omnem distinctionem actualem, quę non sit distinctio rationis: ergo in hoc sensu accipienda sunt; neque enim ex eo, quòd sic accipiantur, sequitur

ma-

manifestus aliquis error. Dicunt: nomine distinctionis rationis in Florentino intelligi distinctionem solà ratione formali, hoc est, ex naturà rei. Contrà: nam ista distinctio in ratione formali est in re, & non solùm in actu intelligendi, & percipiendi. Sed Concilium aliam differentiam, seu distinctionem non agnoscit, nisi in nostro modo concipiendi, & actu intelligendi: ergo illam distinctionem in ratione formali, & ex naturà rei excludit. Præiverat Damascenus lib. de Fide, c.11. de essentià, & de Personalitate docens; *quod autem in eà dictum est, solà cogitatione distinguitur.*

17 Redeamus ad caput datarum, & similium responsionum: istud est. Concilia ex Patrum doctrinà rejiciunt solùm distinctionem strictè realem. Constat præcipuè ex Concilio Rhemensi contra Gilbertum: ponebat iste strictam illam realem distinctionem inter essentiam, & Relationes divinas. Hoc ostenditur. 1: quia D. Thomas, q.28. a.2. & D. Bonaventura in 1.d.13.a.1. sic explicuerunt Gilberti errorem. 2: quia D. Bernardus, egregius illius impugnator, ubique ex doctrinà illius infert in Deo *Quaternitatem*; imò, si inter multa, quæ dicuntur de Deo, poneretur distinctio, quam ille admittebat inter Divinitatem, & personalitates, sic arguit loco, quem de-

dedimus n. 14: *si diversa putamus, non Quaternitatem habueris, sed Centenitatem.* Et serm. 80. in Cant. ijs contra Gilbertum argumentis utitur, quæ supponunt distinctionem realem strictam, & quòd Relationes sunt subjecto necessariæ, *sicut albedo est in nive, & nigredo in corvo.* Atqui distinctio Scotica longè distat à distinctione strictè reali inter essentiam, & Relationes, interque perfectiones Dei absolutas, & necessarias: ergo.

18 Evertitur hic discursus. Aliud est, quod Gilbertus docebat; aliud, quod ex illius doctrinâ inferebat legitimè Bernardus. Inferebat distinctionem strictè realem; & in hoc sensu illationis, & consequentiæ explicuerunt sensum Gilberti D. Thomas, D. Bonaventura, & Doctores alij. At aliud in re non docebat, nisi distinctionem actualem realem ex naturâ rei, quam Scotistæ docent. Vnde sic arguitur: aut ex hac distinctione mediâ infertur legitimè distinctio strictè realis; aut non? Si istud: ergo non bene Bernardus, alijque Patres Rhemenses, ipseque Pontifex impugnarunt Gilbertum: quod dici non potest. Si illud prius: ergo non minùs ex distinctione Scoticâ, quàm ex distinctione intrusâ à Gilberto, infertur distinctio strictè realis. Et hoc quidem verisimum est; sed res est, quæ pertinet ad Philosophiam, ubi satis efficaciter de illâ disputavi.

Jam

19 Jam verò probatur, capitalem, & expressam Gilberti doctrinam fuisse precisè de distinctione actuali reali inter essentiam, & Relationes ex naturâ rei. Testatur Rhemense, illum ratione, & authoritate intendisse probare, quòd *inter naturam, & personas ... theologicâ consideratione quoquomodo divideret ratio.* Contra hanc propositionem edixit Eugenius III: *nè aliqua ratio in Theologiâ divideret inter naturam, & Personas.* Ergo Gilbertus præcisè asserebat, inter naturam, & Personas esse distinctionem aliquam, quę modo aliquo divideret ejusmodi extremas; idque damnavit Pontifex in Concilio. Sed distinctio realis actualis ex naturâ rei dividit aliquomodò realiter, & actualiter inter naturam, & Personas: ergo hanc distinctionem stabilire, mens Gilberti erat, & hanc distinctionem, qua quoquomodo, sed tamen realiter, & actualiter fiat divisio inter naturam, & Personas, rejecerunt Pontifex, & Concilium.

20 Discutiamus aliam Gilberti propositionem; hanc scilicet: *audaciter confiteor Patrem alio esse Patrem, alio esse Deum; non tamen esse hoc, & hoc.* Atqui admissâ distinctione mediâ, illa propositio esset vera: nam verè, realiter, & actualiter distingueretur Deitas à Paternitate; & in hoc sensu Scotistæ allegantes Augustinum dicunt, *Filium non eo esse Verbum,*

bum, quo Sapientia; & aliud esse, Deum esse, aliud, Patrem esse. Ergo distinctione istà mediâ contentus erat Gilbertus pro re suâ. Et quidem apertè refugisse à distinctione strictè reali visus est, addendo, Deum, & Patrem non esse *hoc*, & *hoc*. Sed non satisfecit Concilio opponenti hanc confessionem: *Credimus, solum Deum ... æternum esse, nec aliquas omnino res sive relationes, sive proprietates, vel unitates, & ejusmodi alia dicantur adesse Deo, quæ sint ab æterno, quę non sint Deus.* Ergo Gilbertus eam distinctionem docebat, qua Relatio sit ab æterno, quin sit indistincta realiter actualiter à Deo: sive sit res, sive proprietas, sive unitas, sive quidpiam aliud ejusmodi dicatur. Sed ad hoc sufficit distinctio media: ergo &c.

21 Evolvamus mysterium distinctionis strictè realis in sensu Scotico. Quid est ista distinctio? Distinctio rei à re, non formalitatis à formalitate. Quid nomine rerum distinctarum intelligitur? Ex Ponzio, & Mastrio, doctissimis Scotistis, hæc ad distinctionem rei à re postulantur. 1: quòd existant, aut existere possint per diversas existentias. 2: quòd sint mutuò, aut saltem non mutuò separabiles. 3: quòd si separabiles non sint, habeant, aut possint habere, relationem producentis, & producti. 4: quòd si sint separabiles, & eà re-

relatione careant, subjectentur immediatè in rebus separabilibus. Permittantur ista, quę falsa sunt; sunt enim ad summum signa distinctionis strictè realis: hujus autem natura, atque essentia aliunde explicanda est. Quęro nunc: ubi, & quando aut ea omnia, aut aliquid illorum Gilbertus docuit de Deitate, & divinà Relatione? Nullibi, & numquam. Ergo in hoc pręcisè, & expresè à veritate deviavit, quòd distinctionem actualem realem admisit, vi cujus vera ratio, in considerationè theologicà, inter naturam, & Relationem divideret, vi cujus in Patre aliud sit Deitas, aliud Paternitas; vi cujus hæc propositio in sensu catholico vera sit: *Deitas non est Relatio.* Hæc omnia habentur, admissà distinctione mediâ: ergo hęc est, quam re ipsà Gilbertus admisit, & contra quam egit Rhemense.

22 Urgentur dicta. Distinctio media aut sufficit ad verificandam sine addito diminuente, & alienante hanc propositionem: *Divinitas non est Paternitas*; aut non sufficit? Si hoc: quamvis de Deitate, & Paternitate verificentur prædicata ex se contradictoria, non arguitur vera actualis, & à parte rei distinctio, sed tantùm æquivalentia ad distinctionem; quæ æquivalentia est indistinctio, quæ communiter dicitur distinctio virtualis. Si illud prius dicatur; contrà: quia hoc ipsum est,

est, quod docebat Gilbertus, & quod Rhemense reprobavit.

23 Quibus verò argumentis Patres, & Concilia omnem in re, & actu distinctionem rejiciebant Deitatis à Relationibus, & aliarum ab alijs Dei perfectionibus absolutis, & necessarijs? Duobus potissimùm, altero ab Unitate Dei, altero ab ejus simplicitate petitis: ut discas, non bene Scotistas affirmare, D. Bernardum, aliosque Patres Rhemenses solùm intorsisse contra Gilbertum argumenta, quę realem strictè distinctionem supponunt.

24 Ob oculos habe præclaram Bernardi authoritatem, l. 5. de consider. cap. 7. *Non est compositus Deus; merum simplex: & ut liquidò noveris, quid simplex dicamus; idem, quod unum: tàm simplex Deus, quàm unus est. Est autem unus, & quo modo aliud nil (si dici potest) unissimus est.* Similia habent Patres antiqui, quorum testimonia, multa, & summi ponderis dat P. Izquierdus in Pharo, d. 13. n. 99.

25 Impugnatur distinctio media ex summâ unitate Dei. Ubi sunt unum, & aliud verè, actualiter, & in suo esse, non est summa unitas. Sed datâ distinctione mediâ, dari entur in Deo unum, & aliud verè, actualiter, & in suo esse: nempe in Personâ Divinâ essent Natura, & Personalitas verè, actualiter, & in suo esse; & in ipsâ Deitate essent alia, & alia per-

fectio absoluta, & necessaria, quæ essent actu, realiter, & in suo proprio esse distinctæ. Ergo datâ distinctione mediâ, non esset in Deo summa unitas. Constat min. ex adjunctâ explicatione. Quòd si terminos *unum*, *& aliud* restringas, aut alienes, addendo *formaliter*, *& ex naturâ rei*; habeo intentum: nam non erit vera, realis, & actualis distinctio, ut notabam nuper n. 22. Prob. maj. syllogismi positi. Ubi sunt unum, & aliud verè, actualiter, & in suo esse, sunt verè, realiter, actualiter plura; ubi sunt hujusmodi plura, non est summa unitas: hęc enim excludit realem, actualem, & veram pluralitatem: ergo ubi sunt unum, & aliud verè, actualiter, & in suo esse, non est summa unitas. Et quidem sicut summa identitas, quæ est inter definitum objectivum, & objectivam definitionem, excludit omnem veram, actualem distinctionem; atque adeo excludit distinctionem mediam: ita summa unitas excludere debet omnem veram actualem pluralitatem; ac proinde excludere debet pluralitatem actualem, & veram, quę ex distinctione mediâ suboritur.

26 Confirmatur. Unitas est proprietas essentialis entis: ergo quo majus fuerit ens, major erit illius unitas; cùmque Deus sit ens summum, summa erit ejus unitas. Prob. cons. simul & sequela. Quia bonitas, & communi-

cabilitas sunt proprietates essentiales entis, bene arguitur, majorem esse bonitatem, & communicabilitatem entis, quo istud est majus; & quoniam Deus est summum, rectè arguitur, summam esse Dei bonitatem, & communicabilitatem. Ergo à pari, &c.

27 Dices. Distinctio media impedit unitatem consistentem in identitate formali; sed tamen unitas formalis non dicit perfectionem simpliciter. Probatur hoc: nam aliter albedo esset perfectior Angelo, quia illo est magis una. Ergo non est ponenda in Deo unitas, in hoc sensu summa, quatenus involvat unitatem formalem. Contrà. Unitas realis est perfectio simpliciter: ergo etiam unitas formalis. Ratio cons: ideo unitas realis est perfectio simpliciter, quia facit ens indivisum in se; sed unitas formalis facit ens magis indivisum in se: ergo unitas formalis est perfectio simpliciter, juxta illud, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Exemplum, quo utitur responsio, non urget: quod enim est magis unum, est perfectius alio minùs uno, si cætera sint paria; cùmque in Angelo sint perfectiones, quantes, imò excedentes unitatem albedinis, quæ major dicitur unitate Angeli, inde est, quòd illa non sit isto perfectior, imò quòd sit longè imperfectior.

28 Impugnatur distinctio media ex summâ simplicitate Dei. Ubi sunt multa verè, actualiter, & in se ipsis constituentia unũ, non est summa simplicitas. Sed posità distinctione mediâ, sunt in Deo multa verè, actualiter, & in suo esse talia, constituentia unum: videlicet Natura, & Relatio constituentes divinam Personam; & multæ perfectiones absolutæ, & necessariæ constituentes Divinitatem: ergo posità distinctione mediâ, non esset in Deo summa simplicitas. Constat min. Prob. maj: ubi sunt multa verè, actualiter, & in se ipsis constituentia unum, est compositio vera, actualis, & talis in se ipsâ; sed ubi est hujusmodi compositio, non est summa simplicitas: ergo.

29 Confirmatur: *Deus tàm simplex est, quàm unus est*: dictum est ex Bernardo. Sed posità distinctione mediâ, non esset summè unus, ut probatum immediatè est: ergo eâ distinctione posità, Deus non esset summè simplex. Iterum ex eodem ibidem: *Deus est mera simplicitas; vero judicio natura simplex multiplici antefertur*. Sed mera simplicitas est summa simplicitas; & hęc requiritur, ut natura Dei sit optima, & excludat multiplicitatem: neutrum autem stat, admissâ distinctione mediâ: ergo.

30 Dices, Plura, quę actu in suo esse sunt

sunt in Deo, non faciunt compositionem: quia non se habent per modum actûs, & potentiæ; nam illa plura sunt perfectissimè actus, & actus. Simplicitati autem non opponitur pluralitas, sed compositio. Contrà: manet in suo robore argumentum desumptum ex D. Bernardo, convertente simplicitatem cum unitate, & contraponente naturam simplicem naturę multiplici. Ergo quidquid sit de compositione, in Deo non esset summa simplicitas. Contrà est insuper: nam redeunt contra distinctionem mediam argumenta, quibus contra distinctionem realem, erroneè ab aliquibus admissam, probatum est supra, n. 9. in Deo poni compositionem: eodem enim modo probabo, perfectiones divinas, actu ex rei naturâ distinctas, se habere per modum actûs, & potentię; per modum perfectibilis, & perfectivi; quin obstet summa connexio unius cum alià.

31 Rides, & occurris: obest compositioni identitas strictè realis; quæ datur inter perfectiones distinctas: *nihil enim secum ipso componit.* Ergo quoad compositionem non redeunt argumenta illa, quibus ex distinctione reali probatur in Deo compositio. Contrà: identitas strictè realis excludit compositionē strictè realem, sicut opponitur strictè reali distinctioni; at non opponitur compositioni

ex naturâ rei. Constat : nam animal, & rationale faciunt in homine compositionem ex naturâ rei. Ergo similiter plura ex naturâ rei, quæ sunt in Deo, faciunt compositionem ex naturâ rei, etsi non faciant compositionem strictè realem : *Nihil secum ipso componit* : eo sensu, quo non distinguitur à se ipso; una Dei perfectio dicitur distingui ex rei naturâ ab aliâ, cum qua realiter strictè identificatur: ergo una, & alia faciunt compositionem ex naturâ rei.

SECTIO III.

Respondetur Scotistis.

32 MUlta sunt argumenta philosophica, quæ universaliter probant distinctionem mediam tùm in Deo, tùm in creatis inter gradus metaphysicos; ijs proponendis, & solvendis superfedeo: suppono enim eorum notitiam, & solutiones ex Philosophiâ, & videri potest Peinado, tract. 2. Logicæ, d. 1. sec. 4. Sit exemplum: quæ definiuntur diversis definitionibus formalibus distinguuntur formaliter, actu, ex naturâ rei, & ante operationem intellectùs. Sed hoc, & hoc prædicatum definiuntur diversis definitionibus formalibus : ergo distinguuntur formaliter, actu, ex naturâ rei, & ante operationem intellectùs. Hoc, & alia id generis argumenta, sunt phi-

lo-

losophica, quibus æquè probatur distinctio media tùm in divinis, tùm in creatis.

33 Abstine ab ejusmodi argumentorum, quę extra rem sunt theologicam, solutionibus; sed illorum vim retortione infringes. Quæ diversis definitionibus definiuntur, distinguuntur ex naturà rei: ergo quæ eàdem definitione definiuntur, identificantur ex naturà rei. Tenet cons; neque potest reddi disparitas, quare diversitas definitionum arguat distinctionem ex naturà rei; identitas autem definitionis non arguit identitatem ex naturà rei. Atqui animal hominis, prout est formalitas distincta à rationali, & animal equi, prout est formalitas distincta ab hinnibili, eàdem definitione definiuntur: ergo animal hominis & animal equi identificantur ex naturà rei. Hinc sequitur, identificari ex naturà rei extrema, quæ strictè realiter distinguuntur; qualiter distinguuntur animal hominis, & animal equi; & ex hoc absurdo, quæ non sequantur absurda? Min. subsumpta prob. sic: animal hominis, prout est formalitas distincta à rationali, definitur *principium sensationis*, aliter prout talis formalitas definiretur sic: *principium sentiendi, & ratiocinandi*: & animal equi, prout est formalitas distincta ab hinnibili, definitur sic: *principium sensationis*; aliter prout talis formalitas definiretur sic: *principium sen-*

tiendi, & hinniendi. Ergo hac eàdem definitione, *principium sensationis*, definiuntur animal hominis, & animal equi prout tales formalitates distinctę ex naturà rei à rationali, & ab hinnibili.

34 Propiùs ad rem theologicam. In Omnipotentià sunt hæ formalitates: *virtus productiva formicæ, & virtus productiva Angeli.* Istæ formalitates non distinguuntur ex naturà rei; & tamen diversis definitionibus definiuntur: ergo quòd in Deo sint conceptus objectivi definibiles diversis definitionibus, non est, quòd distinguantur ex naturà rei. Min. quoad 1. partem ab Scotistis admittitur; quòd si negaretur, facilis esset ejus probatio. Si duæ assignatæ formalitates distinguerentur ex naturà rei, in Omnipotentià (quę est ad terminos infinitos) essent infinitæ actu formalitates, actu distinctæ; infinitum autem in actu quoad numerum, seu multitudinem aut essentialiter repugnat, aut saltem de facto non admittitur. Eadem min. prob. quoad 2. partem: in sensu Scotico ea sunt diversis definitionibus definibilia, quę se mutuò formaliter excludunt; sed virtus productiva Angeli, & virtus productiva formicæ se mutuò formaliter excludunt; à suis nempe rationibus formalibus: ergo. Prob. min: nam ejusmodi formalitates possunt invicem sepa-

rari,

rari, ut est certum; quæ autem possunt separari, se mutuò formaliter excludunt, ut docent Scotistæ: ergo. Idem argumentum efformabis in alijs Dei perfectionibus, quæ terminos infinitos respiciunt; ut est Omniscientia, Immensitas, Æternitas, &c.

35 Dicunt Adversarij, illud suum argumentum procedere de definitionibus essentialibus, & quidditativis, prescindendo ab operatione. Contrà: virtus productiva non potest prescindere ab operatione, ut à termino: ergo Omnipotentia, quæ quidditativè, & essentialiter est virtus productiva omnium, non prescindit à virtute productivà formicæ, & à virtute productivà Angeli: ergo de essentiâ, & quidditate Omnipotentiæ sunt istæ formalitates. Sed sunt diversis definitionibus istę formalitates definibiles: ergo sunt formalitates ex naturà rei distinctæ: ergo in essentiâ, & quidditate Omnipotentiæ sunt formalitates distinctę ex naturà rei; & quidem infinitæ. Quęro: an animal secundùm suam quidditatem definiatur præscindendo ab operatione, hoc est, à sensatione? An rationale definiatur præscindendo à ratiocinio, quod est operatio? Ergo ad definitionem quidditativam, & essentialem non requiritur, quòd fiat præscindendo ab operatione.

36 Dicunt præterea, illud suum argumen-

mentum procedere de definitionibus quidditativis adæquatis. Contrà: definitio hujus formalitatis, *virtus productiva Angeli*, non est adæquata Omnipotentiæ, quia non exprimit totum, quod essentialiter, & quidditativè est Omnipotentia; at exprimit totum, quod essentialiter, & quidditativè est ipsa formalitas: & similiter de illà aliâ formalitate, *virtus productiva formicæ*. Ergo in Omnipotentiâ distinguuntur ex naturâ rei ejusmodi formalitates. Negas; sed infero: ergo quamvis Dei perfectiones sint diversis definitionibus definibiles, nulla actu ex naturâ rei distinguitur ab aliâ. Ratio cons; quia non sunt definitiones adæquatæ, sed inadæquatæ; prout unaquæque perfectio proponitur per intellectum, non prout in se est: prout enim in se est, Omnipotentia v.g. est Sapientia, est Immensitas, est Æternitas, & est omnis Dei perfectio. His paucis ex Philosophiâ delibatis, ad argumenta theologica pro distinctione mediâ deveniamus.

37 Arg. 1. Essentia divina est actu, & antecedenter ad cogitationem nostram aliud ab attributis, & Relationibus: ergo distinguitur ex naturâ rei ab attributis, & Relationibus. Prob. ant: Deus, cognoscens suam essentiam, cognoscit, se non esse præcisè suam essentiam, sed etiam esse sua attributa, & Re-

la-

lationes : Deus intelligendo non præscindit, sed cognoscit rem, ut est in se; cognoscit autem antecedenter, & independenter à nostris præcisionibus. Ergo, cognoscens se ipsum, cognoscit aliud, quod est essentia, & aliud, quod est attributum, & aliud, quod est Relatio. Conf. 1. à ratione : ea, quorum unum demonstratur per aliud, debent esse distincta *ex naturâ rei*; sed per essentiam Dei demonstrantur attributa, & Relationes : ergo. 2, ab authoritate : Scriptura, & Patres pluraliter loquuntur de divinis perfectionibus. Sic ad Rom. 1: *invisibilia Dei...conspiciuntur.* Sic 2. Machab. 1: *omnium Creator, terribilis, & fortis, justus, & misericors.* Ergo divinæ perfectiones in se ipsis, seu ex ipsarum naturâ actu distinctæ, & plures sunt.

38 Neg. ant. Ad prob. disting. 1. ant. partem : Deus cognoscit, se non esse præcisè suam essentiam, prout est præscindibilis ab intellectu creato; conc; prout essentia Dei est in se ipsâ; nego hanc partem. Disting. & 2: sed etiam cognoscit Deus, se esse suas Relationes, & attributa in summâ unitate, & simplicitate, conc; in distinctione, & divisivè, nego istam ant. partem. Nec Deus præscindit, neque, ut se ipsum comprehendat, spectat præcisionem nostram; sed tamen in se ipso non cognoscit *aliud, & aliud* : unde neg. ultima cons.

Au-

Audi Damasc. 1. de Fide, c. 11. ante medium. *Una est Essentia, una Bonitas, una Potestas, una Voluntas, &c.* & concludit: *quod in eâ dictum est, solâ cogitatione distinguitur.*

39 Ad 1. conf. neg. maj: ex connexione enim metaphysicâ identitatis unius cum alio, unum demonstratur per aliud; ea autem connexio appàret, quando unum ut propositum per definitum formale, aut per formalem distinctionem ostendit sui cum alio identitatem. Sic per essentiam hominis demonstratur esse risibilem, admirativum, &c. Ob contrariam rationem, per animal non demonstratur rationale, neque per rationale demonstratur animal. Ad 2. conc. ant. neg. cons. In Scripturà, & Patribus de Deo prædicantur plura, sed quæ plura, & distincta sunt solà cogitatione. Neque quòd illa plura copulà conjunctivà *et* copulentur, aliquid prodest ad asserendum illòrum distinctionem actu in se ipsis: aliter distinctionem mediam cogèris admittere ex illo textu, in quo Deus dicitur *Misericors, & Miserator*: quod nullus admiserit, cum inter Misericordem, & Miseratorem cogitabilis non sit distinctio.

40 Instas. Sic in Deo sunt plura, ut in sensu reduplicativo quod de uno affirmatur, de alio negetur. Sic Deus se ipsum amat, quia bonus, non quia est cognoscibilis; sic Justitiâ pu-

punit, & Misericordià miseretur; & sexcentis aliis exemplis idem ostenditur. Ergo ea plura, quæ in Deo sunt, distinguuntur actu. Nego ant. de ijs, quæ in Deo non distinguuntur virtualiter realiter. Dei bonitas actu à parte rei est ipsius cognoscibilitas; unde, cùm se ipsum amet, quia est bonus, se amat, quia est cognoscibilis; & cùm Justitia sit à parte rei Misericordia, hac punit, illà miseretur. Igitur propositiones negativæ non sunt propriè negativæ, sed solùm verificantur in sensu præcisivo; quem ex Philosophià in promptu habebis. Neque hinc inferas Deum, cognoscendo peccatum, illud amare; mala illatio: nam ex eo, quòd in Deo idem sint amor, & cognitio, solùm sequitur, quòd cognitione peccati Deus amat se ipsum, v. g: & quòd sui ipsius amore cognoscit peccatum.

41 Replic. Ergo in Deo sunt aliqua, de quibus aliqua affirmantur, & negantur, quin ad id sufficiat distinctio rationis. Sed nec sufficit distinctio virtualis realis, sive dicatur *eminentialis*: ergo requiritur distinctio media. Prob.min: nam illa prædicata divina non virtualiter, aut eminenter tantùm dantur in Deo, sed actu, & formaliter: ergo ad ea, quæ de ipsis affirmantur, & negantur, non sufficit distinctio virtualis, & eminentialis. Neg.min: pone distinctionem virtualem realem inter

esse-

essentiam, & Relationes; extende illam ad alias perfectiones absolutas, & necessarias. Dic ad prob. min. 1: ea prædicata non solùm actu, & formaliter sunt in Deo, sed etiam simpliciter realiter: ergo distinguuntur simpliciter realiter. 2: in Deo sunt actu, & formaliter virtus productiva formicæ, & productiva virtus Angeli: ergo sunt formalitates ex naturâ rei distinctæ illæ virtutes, quæ actu formaliter sunt in Omnipotentiâ. Neutrum volunt Adversarij.

42 Directè: id formaliter, & actu est in Deo, & non purè virtualiter, & eminenter, quod, prout exprimitur formali distinctione, prædicatur de Deo: ita se habent Essentia, & Relationes, Intellectus, & Voluntas. Id tantùm virtualiter, & eminenter est in Deo, quod secundùm suum conceptum non prædicatur de Deo. Sic in Deo est tantùm eminenter vita sensitiva; sic distinctio realis est tantùm virtualiter in Deo. Quòd si ulteriùs postules, quòd, ut hujusmodi perfectiones, quæ secundùm suos conceptus definitivos verè prædicantur de Deo, sint actu, & formaliter, debeant esse actu, & formaliter distinctæ; petis principium, & nihil probas.

43 Arg. 2. D. Augustinus apertissimè cognoscit in Deo perfectiones, quæ ad ejus substantiam, & alias, quæ ad divinam substan-

tiam

tiam pertinent, tanquam ejus qualitates. Sed substantia, & ejus qualitates distinguuntur actu, & ante omnem intellectus operationem: ergo. Locum Augustini dedimus hac disp. c. 2. n. 37. Iterum, lib. 7. de Trinit. c. 2: *Verbum Sapientia est; sed non eo Verbum, quo Sapientia*: Verbum enim relativè; Sapientia verò essentialiter dicitur. Denique 15. de Trinit. c. 3. docet, omnia attributa Dei esse æqualia; quale autem ad aliud dicitur: ergo &c.

44 Concess. maj. juxta explicationem datam citato loco capitis præced. nego min. quæ ex D. Augustino non probatur: imò oppositum probatur. Ibidem non notavimus, quod proprium est hujus loci: nempe eam propositionem non esse ex sensu Augustini, sed esse argumentum, quod sibi objicit, & quod his verbis solvit: *Non ita est in illâ ineffabili, simplicique naturâ... Absit enim, ut spiritus secundùm substantiâ dicatur Deus, & bonus secundùm qualitatem; sed utrumque secundùm substantiam. Sic omnia cætera* (Sapiens, Justus, & alia) *quæ commemoravimus.* Ergo ex mente Magni Doctoris in Deo cum summâ simplicitate omnes Dei perfectiones pertinent ad ejus substantiam; atque adeo absque pluralitate, & distinctione, quę opponitur simplicitati summæ.

45 Ad alterum Augustini locum, dico, ex

ex illo nihil inferri pro distinctione mediâ; prosequitur siquidem Magnus Parens: *Sapientia verò eo, quo essentia.* Arguo sic: quia non eo Verbum, quo Sapientia, ponitis distinctionem ex naturâ rei inter Relationem, & Sapientiam: ergo quia Verbum est *Sapientia, quo essentia*, negare debetis distinctionem ex naturâ rei inter Sapientiam, & essentiam; hoc non vultis: ergo ne illud velitis. Ideo Scotus in 1.d.8.q.4.§. *Contra istam*, de hac Augustini propositione, *quòd eo Bonus, quo Sapiens*, dixit: *quod ego satis non perspicio.* Ratio: quia Sapientia, & Bonitas sunt in quolibet supposito; at non eo Verbum, quo Sapientia, quia Verbum non est in quolibet supposito. Inferunt Scotistę cum suo Doctore, majorem identitatem esse inter Sapientiam, & essentiam, quàm inter Sapientiam, & Verbum: quia Sapientia, & essentia sunt essentialia; Sapientia autem est *essentialis*, Verbum est *relativum.* Contrà: manet insolutum argumentum: si enim; quia *eo Sapientia, quo essentia*, non arguit identitatem formalem exclusivam distinctionis mediæ; quare istam distinctionem mediam arguet hęc propositio, *non eo Verbum, quo Sapientia?* Itaque contendit Augustinus, Patrem non esse, quia est ad illud; & aliquid esse in Filio, vi cujus de ipso non verificetur, quidquid de Sapientiâ, quę est in Patre, verificatur;

tur: neque enim verificatur, quòd sit in Patre, nisi per circuminsessionem. At quænam distinctio inter essentiam, & Relationem ad id requiratur, & sufficiat, ex illo loco infertur. Adde: Augustinus 5. de Trin. inquit: *alia Notio est, qua intelligitur Genitor, alia, qua Ingenitus.* Hæc locutio arguit distinctionem mediam inter illas Notiones; vel non? Si hoc: ergo ex simili locutione *non eo est Verbum, quo Sapientia*, non infertur distinctio media inter Sapientiam, & Verbum. Si illud: ergo etiam inter has Notiones *Verbum*, & *Filius* dabitur distinctio media. Hoc non: *eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*, docet Augustinus 7. de Trinit. c. 2: ergo &c.

46 Ad ultimum locum Magni Doctoris dic, nec verbum habere de æqualitate attributorum, sed solùm de æqualitate Personarum. Ibi: *Unitas, & æqualitas illius summæ Trinitatis ostenditur*; et *apparuit Trinitatis æqualitas.* Sed tractarit Aug. de æqualitate attributorum: non de strictâ æqualitate, quæ strictam distinctionem realem postulat, explicandus esset; similiter explicandus esset de æqualitate, quæ non arguat distinctionem actu, & ex rei naturâ. Huc facit præclarum illud Damasc. 1. de Fide, c. 11. de divinis Personis: *eadem est essentia, facultas, voluntas:: æqualitatem non dixi, sed identitatem.*

47 Arg. 3. Non benè rejicitur distinctio media ex unitate, & simplicitate Dei; sed inde potissimùm rejecta est: ergo non benè; ergo, siquidem omni utilitate non caret, admittenda est, tùm in creatis, tùm etiam in Deo. Maj. prob. quoad 1. partem. 1. ab instantia: eodem modo probaretur, Deum esse personaliter unum. 2. à ratione: nam unitas non est perfectio simpliciter: quapropter ex infinità Dei perfectione non probatur, quòd unitas Dei excludat omnem distinctionem: & sicut non excludit distinctionem rationis, & virtualem realem; ita nec formalem ex naturà rei. Pars 2. maj. prob: non est contra Dei simplicitatem, quod in Deo dentur tres personalitates realiter distinctæ: ergo nec quòd sint realitates actu ex rei naturà distinctæ. Prob. conf: ideo cum reali distinctione personalitatum componitur Dei simplicitas, quia personalitates sunt realiter una essentia; sed realitates, quæ in Deo distinguuntur actu ex naturà rei, sunt realiter una, eademque essentia: ergo.

48 Nego maj. Ad 1. partis 1. probationem, instantiam instantiâ refello. Malè arguitur: non est contra unitatem Dei, quòd tres personalitates realiter strictè distinguantur: ergo nec quòd essentia, & personalitas distinguantur strictè realiter. Dico similiter, non esse consequentiam à pluralitate Personarum

ad

ad distinctionem actu ex naturâ rei inter Relationem, & essentiam. Audiatur D. Bern. cit. lib. & cap. de Considerat: *Quid ergo, destruimus, quod dictum est de unitate, quia induximus Trinitatem? Non; sed statuimus unitatem.* Hujus ratio est: quia Deus est essentialiter summè unus; sed non est essentialiter personaliter unus, hoc est, unicus. Prætereà: personalitates non conjunguntur inter se ad constituendum unum per se divinum; ac proinde non debent habere unitatem, quę alia in Deo esse non potest, nisi summæ identitatis. At essentia, & Relatio conjunguntur inter se ad constituendum unum per se divinum, nempe unam Personam; quapropter habere debent summam unitatem, exclusivam pluralitatis realitatum, quæ actu ex rei naturâ distinguantur.

49 Ad 2. eisdem 1. partis probationem, nego assumptum, nempe unitatem non esse perfectionem simpliciter, cujus oppositum probatum manet n. 27. Quidquid docuere Patres de unitate Dei, colligit D. Bern. contra Gilberti errorem; ideoque ex illo, quid in hac re tenère debeamus, statuendum est. Docet Mellifluus, idem in Deo esse simplicitatem, atque unitatem; addit, vero judicio naturam simplicem multiplici anteferri: ergo unitas, quæ eadem est, ac simplicitas, multi-

plicitati antefertur: ergo est perfectio simpliciter. Hinc cùm Deo sit mera simplicitas, quę est summa unitas, hæc in Deo est perfectio simpliciter; & quidem *simpliciter simplex*. Ratio hujus: quia ista unitas melior ipsa, quàm non ipsa; hoc est: quàm omne incompatibile per realem identitatem cum eo, quod ipsa est.

50 Sed omittamus, unitatem se ipsà non esse perfectionem simpliciter; in Deo nihilominus arguitur summa unitas, quia Deus est ens summum. Ostenditur sic: Natura divina est infinitè fœcunda: ergo habere debet terminos suæ fœcunditatis. Negabuntne consS. Scotistæ, qui docent, Relationes divinas prout ab essentiâ distinctas non dicere perfectionem? Ipsorum hoc argumentum est: in Deo actu, & formaliter sunt essentia, & Relatio: ergo actu, & formaliter distinguuntur. Si dicam distinctionem ex naturâ rei non dicere perfectionem simpliciter, ideoque negem cons; acquiescuntne responsioni? Quod addebatur de unitate Dei non excludente distinctionem rationis, nec virtualem realem, ut probetur, neque excludere distinctionem mediam, nihil valet: nam hac ponitur vera, & actualis multiplicitas, & pluralitas in Dei naturâ, & in divinâ Personâ; quod non sequitur ex distinctione rationis, & virtuali.

De-

51 Deveniamus ad probat. 2. partis majoris negatæ ; & concesso ant. nego cons. Ad hujus probat. dist. maj: ideo non est contra Dei simplicitatem, quòd dentur tres personalitates distinctę realiter, quia personalitates sunt realiter, & formaliter absque omni actuali distinctione una essentia, & quę non sit summè una ; nego maj: & distinctà similiter min. nego cons. Constat solutio. Datà distinctione medià inter absoluta, essentia divina non esset summè una, & mera simplicitas; datà autem eà distinctione inter naturam, & Relationes, non esset summè una, & merè simplex unaquæque divina Persona. Sed instando,

52 Arg. 4. Datà distinctione medià, datur in Deo unitas, qua infinitè excedit omnem unitatem creatam ; sed hoc sufficit ad unitatem, quæ in Deo agnoscenda est: ergo. Prob. maj: Essentia, & Relatio sunt realiter unum, ratione infinitatis ; realitates autem actu distinctæ in creatis non identificantur ratione infinitatis. Cons: animal in homine v.g. non identificatur realiter cum rationali ratione sui, sed ratione hominis, qui ex ipso resultat, & ex rationali : at essentia Dei identificatur ratione sui cum Relationibus, & vicissim. Additur: unitas Dei debet esse summa, & infinita realiter ; sed ad hoc non requiritur,

quòd excludat distinctionem mediam aliarum ab alijs divinis perfectionibus: ergo hanc distinctionem non excludit. Hæc quoad unitatem; quoad simplicitatem objicitur. Stante distinctione mediâ, in Deo est summa simplicitas sibi posibilis: nam impossibilis omnino est simplicitas excludens illam distinctionem, quamvis ex terminis videatur major simplicitas, quę illam excluderet. Sed in Deo non alia simplicitas est, nisi quæ sibi est possibilis: ergo.

53 Dist. maj. Datà distinctione mediâ, datur in Deo unitas, qua infinitè excedit omnem unitatem creatam, & qua non excludit omnem actualem pluralitatem, & multiplicitatem, omitto; quæ sit summa unitas, & mera simplicitas, nego maj. & constat ad reliquum. Omisi partem priorem distinctionis: continet enim apertam implicationem; unitas siquidem infinitè excedens omnem unitatem creatam debet esse infinita. At non est infinita, si actu pluralitatem, & multiplicitatem includat. Ratio negandi posteriorem distinctionis partem desumitur ex nostris probationibus, & præcipuè ex Patrum authoritate.

54 Ad conf: sicut compositum physicum non est tertia entitas distincta à partibus simul sumptis; ita neque totum metaphysicum à suis partibus non distinguitur simul sump-

sumptis. In Physicis unio est quidem distincta à partibus absolutis; sed in Metaphysicis identitas non distinguitur à suis extremis. Et est ratio: nam identitas est ipsissima species; aliter daretur sextum prædicabile; quod est contra ferè omnium sententiam, dissentientibus paucis apud nostrum Lynceum. Itaque identitas adæquatè considerata sunt extrema metaphysica; inadæquatè considerata est quodlibet illorum. Animal in homine, ut est in se, est homo; homo autem ratione sui identificatur realiter cum rationali: ergo animal in homine, ut est in se, identificatur realiter cum rationali ratione sui. His rationibus philosophicis debilitatà conf. redit argumentum nostrum: quòd essentia ratione sui identificetur realiter cum Relationibus, non est, quòd excludat pluralitatem actu talem: ergo nec sufficit ad unitatem dignam Deo. Ad additamentum eadem est solutio: Patres non restringunt unitatem Dei ad realem strictam indistinctionem prædicatorum: dicunt absolutè, esse summam, & infinitam; Deum esse unum, unissimum, meram simplicitatem; unamquamque Personam esse excellentissimè unam; ut loquitur D. Dionysius. Hæc non stant, admissà in Deo distinctione mediâ. In hoc, sicut & in cæteris Adversariorum argumentis, dissimulo, quòd distinctio media non sit realis stricta distinctio.

55 Quod objicitur, ut probetur, in sensu Scotico rectè explicari simplicitatem Dei, sophisticum est. Admissà distinctione mediâ, sequitur, in Deo esse summam simplicitatem sibi possibilem, sicut est summa unitas ipsi possibilis. In hoc consequenter ad sua principia procedunt Adversarij; sed non æquè consequenter procedunt, dum communiter dicunt, Dei simplicitatem esse summam, unitatem autem summam non esse: si enim simplicitas est summa, quia est major, quæ possibilis Deo est, cùm unitas sit etiam maxima, quæ Deo est possibilis: ergo sicut simplicitas est summa, ita & Dei unitas summa est. Vide modò: ex terminis est possibilis unitas excludens pluralitatem ex naturâ rei. Constat in definito objectivo, & definitione objectivâ; constat & in formalitatibus Omnipotentiæ. Sed summa simplicitas Deo possibilis dicit unitatem possibilem ex terminis: ergo dicit unitatem excludentem pluralitatem ex naturâ rei.

56 Urgebis Adversarios his retortionibus. Errarunt aliqui Philosophi negantes Deo præscientiam futurorum, ut liberum servarent arbitrium. Dicebant autem esse summè Sapientem, quia habebat omnem scientiam sibi possibilem. Judicarunt aliqui Theologi, in Deo circa futura purè conditionata so-

solùm esse scientiam objectivè conjecturalem. Dicebant tamen, Deum esse summè sapientem, quia habebat omnem scientiam sibi possibilem. Acquiescetnè aliquis his responsionibus circa Omniscientiam Dei? Itidem ex mysterio Trinitatis. Errarunt aliqui ponentes realem strictam distinctionem inter Relationes, & essentiam. Dicebant esse summè unum, quia habebat unitatem omnem sibi possibilem. Docent Durandus, & aliqui, inter essentiam, & Relationes esse distinctionem modalem. Dicunt, esse summè unum, quia habet maximam unitatem sibi possibilem. Acquiescat aliquis his responsionibus circa Dei summam unitatem? Discurre similiter de responsione Adversariorum, quam versamus.

SECTIO IV.

Rejicitur communissima Thomistarum sententia.

57 ILlam ut capias, sic explico. Supponitur inter essentiam Dei, ejusque attributa, interque essentiam, & divinas Relationes versari distinctionem rationis, & quidem, non ratiocinantis, sed ratiocinatæ. Et quamvis Nominales hanc distinctionem negare videantur, illam tamen re ipsà concedunt, quāvis non rectè loquantur: ut notat Ruizius d. 12. de Trin. sec. 1. Non agimus de distinctione ra-

rationis negativà, qualis exprimitur per propositiones absolutè negantes unum de alio, cum quo realiter identificatur, v. g. *animal non est rationale.* Agimus de distinctione rationis præscisivà; ut cùm unum significamus, & de alio realiter identificato tacemus; aut etiam cùm per diversas, & dissimiles cognitiones unum, & aliud realiter identificatum exprimimus; aut demum cùm unum de alio negamus, non absolutè, sed restrictè: v. g. *animal non est formaliter, definitivè, aut intentionaliter rationale,*

58 Quoties ex parte objecti est fundamentum ad prædictam distinctionem intentionalem, dicitur hæc *rationis ratiocinatæ*, hoc est, cum fundamento in re; si autem desit tale fundamentum, distinctio dicitur *rationis ratiocinantis.* Exemplum hujus: distinctio, quæ datur inter animal, & principium sensationis; illius exemplum: distinctio, quæ datur inter animal, & rationale. Regula generalis. Ea non distinguuntur cum fundamento in re, quæ sunt idem ratione, & definitione; ea verò distinguuntur cum fundamento in re, quę ratione, & definitione non sunt idem. Fundamentum in re ad distinctionem rationis desumitur. 1: ex equivalentiâ ad res distinctas. 2: ex relatione ad terminos distinctos, qui etiam appellantur connotata. 3: si respiciat eundem

om-

omnino terminum, sed sub diversâ ratione formali: ut cognitio, & amor eiusdem objecti; nam amor respicit objectum sub ratione boni, & cognitio sub ratione veri.

59 Dicunt multi Theologi, inter essentiam, & attributa Dei, inter attributa ipsa; atque inter naturam, & Relationes dari distinctionem rationis per præscisionem objectivam. Ita P. Vazquez. Multi alij solam præscisionem ex parte actûs admittunt hîc; aliqui autem dicunt, ea, quę in Deo distinguuntur virtualiter realiter, prę scindi objectivè; quæ autem non distinguuntur virtualiter realiter, solùm ex parte actûs per rationem separari. Inter has sententias communissima Thomistarum, quibus Nostrates multi adhærent, opinio docet: essentiam, & attributa, & sic de aliis, non objectivè, sed tantùm ex parte actûs per rationem distingui. Id alio modo sic explicant: inter essentiam, & attributa non datur distinctio secundùm implicitum, sed solùm secundùm explicitum. Hinc doctrinam colligunt his propositionibus. 1: Essentia, & attributa sese mutuò includunt. 2: Essentia Dei est de essentiâ attributorum, & viciss'm. 3: Essentia divina est formaliter Omnipotentia; Omnipotentia est formaliter Dei essentia; Omnipotentia est formaliter Immensitas, &c.

Rej-

60 Rejicitur hic modus distinctionis rationis, quem Thomistæ communissimè admittunt in Dei perfectionibus: & loquimur de essentiâ divinâ secundùm perfectiones essentiales ex genere suo, seu essentialitate ipsarũ: juxta ea, quę notavi n. 7. hujus cap. Jam sic: si aliud non dicis, nisi quòd distinctio rationis, quę versatur circa divina, non sit per præcisionem objectivam, sed per præcisionem ex parte actûs, libenter assentior: hanc enim distinctionem rationis vel in ipsis creatis entitatibus, & non aliam, agnosco; ut latè docui in Philosophiâ. Ibi distinctionem virtualem realem à creatis, sine qua præscisio objectiva inter realiter identificata stare non potest, relegavi. Hìc addo: in divinis ea, inter quæ distinctio virtualis realis admittatur, non distingui ratione objectivè præscindente; de quo dicemus in d. de Trinit: & videri possunt Patres Isquierdo, & Peinado, trac. secundo Logicæ.

61 Progredior: quid est, quòd essentia, & attributa secundùm explicitum distinguantur ratione? Si dicas, esse, quòd distinguantur ratione ratiocinante absque fundamento ex parte objecti, quemadmodum distinguuntur *animal, & principium sensationis*; contrà 1. ex Ang. Opusc. 9. q. 2: *ratio, qua differunt attributa divina, partim fundatur super rem, partim* su-

super intellectum. Ergo distinctio, qua secundùm explicitum differunt essentia, & attributa, non est rationis ratiocinantis, & absque fundamento ex parte objecti. Fundatur quidem distinctio rationis partim super intellectum, quia non fit nisi per cognitionem inadęquatam; eo modo, quo idem Ang.rem explicat 3.p.q.3.a.3: *potest intellectus noster intelligere Bonitatem, & Sapientiam, non intellectâ Paternitate, vel Filiatione, & abstractâ personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere Naturam.* Sed ex ijs, quæ solùm ratione ratiocinante distinguuntur, non potest intellectus unum intelligere, & non aliud: ergo Natura, & Relatio, essentia, & attributa non solâ ratione ratiocinante in Deo distinguuntur.2. à ratione: ea distinguuntur ratione ratiocinatâ, & cum fundamento ex parte objecti, quæ definiuntur diversis definitionibus; sed Dei essentia, & attributa secundùm explicitum diversis definitionibus, non eàdem, definiuntur: ergo distinguuntur ratione ratiocinatâ, & cum fundamento ex parte objecti. Minor est certa, & major constat: nam *ratio, & definitio* sunt termini convertibiles, iuxta Arist. 7.Metaph. c.3. text. 13. & juxta Ang. q.2.de Verit.

62 Denique essentia, & attributa distinguuntur secundùm conceptus implicitos, eà-

eàdem rationis distinctione, qua definitum,& definitio ; vel majore ? Si hoc : distinguentur secundùm conceptus implicitos distinctione rationis ratiocinatę ; qua non distinguuntur definitum, & definitio. Si illud ; rogo ulteriùs: an essentia, & attributa distinguantur secundùm conceptus explicitos eàdem distinctione rationis, qua distinguuntur secundùm conceptus implicitos; an majore? Si hoc: ergo secundùm conceptus explicitos distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ. Si illud : redeunt impugnationes factæ numero præcedente, desumptę ex authoritate Angelici, & ex ratione.

63 Suspicor, hanc esse Adversariorum mentem, ut distinctio rationis, qua secundùm explicitum distinguuntur essentia, & attributa, non sit præscisiva ex parte objecti ; qualem communissimè admittunt in creatis inter prædicata realiter identificata. Moveor: quia quærunt in divinis majorem identitatem, unitatem, atque simplicitatem illà, quæ est in creatis inter identificata realiter. Quòd si tantùm à divinis excludant distinctionem objectivè præscindentem, libenter, ut jam dixi, consentio ; ipsi autem viderint, quo jure in creatis admittant distinctionem rationis per cognitionem objectivè præscindentem, & occurrant huic illam negantium argumento:

in

in divinis non datur distinctio rationis objectivè præscindentis: ergo neque in creatis. Ratio consi. & paritatis: ideo verum est ant. quia in divinis realiter identificatis non datur una, & alia realitas, sed una, eademque simplicissima realitas; sed in creatis realiter identificatis non datur una, & alia realitas, sed una, eademque realitas simplicissima: ergo &c.

64. Paucis rem totam accipe. In Deo inter ea, quæ realiter identificantur, nullam actualem distinctionem, quæ nostras præscissiones antecedat, admittimus; & in hoc recedimus ab Scotistis. Nullam, quæ actu fiat per nostram præscindentem objectivè cognitionem, sed quæ actu fiat per præscisionem ex parte actûs, agnoscimus; & in hoc à multis, quibuscum Vazquius, discedimus. Si id tantum velint Thomistę, negantes distinctionem inter essentiam, & attributa Dei secundùm implicitum, & illam concedentes secundùm explicitum, in re convenimus, & differimus penes voces. Ab his tamen propositionibus, quibus explicatur distinctio rationis ratiocinatę, & cum fundamento in re, non dimovebimur. Totus Deus, ut apparet per hoc definitum formale *Ens à se*, non est intentionaliter idem secum ipso, ut apparet per hoc definitum formale *Omnipotens*; & vice versâ: & hoc est, quòd essentia, & attributa secundùm

im-

implicitum ratione distinguantur. Iterum: totus Deus secundùm quod appàret per formalem definitionem *essentiæ* non est intentionaliter idem secum ipso, ut appàret per definitionem formalem *Omnipotentiæ*; & viciſsim: & hoc est, quòd essentia, & attributa secundùm explicitum distinguantur ratione.

SECTIO V.

Respondetur Thomistis.

65 CUm ipsis etiam arguunt plures ex Nostratibus, qui sequuntur Eximium Suarium: omnes præcipuè nituntur authoritate Patrum. Urgentiora testimonia colligit Granado hìc tract. 2. d. 7. probans ex Augustino, Leone, Niseno, Anselmo, & Bernardo, attributa essentialiter de divinà essentia prædicari; nihil de essentià verè dici, quod dicatur in *quale*, vel in *quantum*; sed in eo *quod quid*; attributa in abstracto de se ipsis, & de essentià mutuò prædicari. Hæc probant, essentiam, & attributa non distingui viciſsim secundùm implicitum; se mutuo formaliter includere; & esse formaliter unum, & idem esse essentiale, & quidditativum: ergo.

66 Facilis est expositio: loquuntur Patres de identitate reali; excludunt à Deo vera accidentia, aut perfectiones, quę in se ipsis, & ex ipsarum naturà distinguantur actualiter; & argumenta solvunt, quæ voce tenus

præ

prędicationibus de Deo per nomina concreta fiunt: ut est *Sapiens*, *Bonus*, *Justus*. Constant hæc ex dictis cap. 2. à n. 38. ad 54. Ibi quoque exposuimus ea testimonia in sensu, quo non repugnant nostræ sententiæ de essentiâ metaphysicâ Dei consistente in cumulo omnium perfectionum absolutarum, & necessariarum. Hanc autem doctrinam de constitutione essentiæ metaphysicę Dei non ijs testimonijs, quę modò nobis objiciuntur, sed clarioribus alijs, & validis rationibus communivimus. Itaque in testimonijs contra nos adductis non agunt Patres de sensu formali, sed de sensu reali: & sic admissà maj. nego min.

67 Nota. Cùm in Deo prædicantur abstracta de abstractis, propositiones sunt veræ in sensu reali, non in sensu formali; ut cùm dicitur, *Voluntas est Sapientia*: *Justitia est Misericordia*. At cùm prædicationes fiunt in concreto, propositiones verę sunt etiam in sensu formali denominativo, non autem quidditativo. Sic dicitur: *Petrus est formaliter calidus, & formaliter albus*; hoc est, denominativè, quia formaliter habet formam caloris, & albedinis. Sed non quidditativè; quia ejusmodi formæ sunt extra essentiam subjecti, non solùm formaliter, & metaphysicè, sed & realiter, & physicè. Hinc istæ propositiones, *Omnipotens est Immensus*, *Immensus est Æternus*,

quæ in sensu reali sunt quidditativè veræ, in sensu formali sunt veræ denominativè, non quidditativè.

68 Opponis Angelicum D. ubique docentem, *omnia, quæ de alijs dicuntur accidentaliter, de Deo prædicari essentialiter*; & *intelligere Dei, aut velle, aut æternitatem esse ipsum esse Dei.* Occurro eàdem expositione; & de essentialitate reali concedo; & nego de essentialitate formali, hoc est, penes nostros conceptus inadæquatè explicantes Deum, & distinguentes ipsius perfectiones cum fundamento in re. Constat expositio ex locis adductis n. 61. Et quidem ex ijs, quę Ang. disputat 1. p. q. 3. a. 4: *Dei nomina diversas rationes significant secundùm diversos, quos de Deo formamus, conceptus*; diversos autem formamus conceptus, dum esse Omnipotentem, Æternum, & Immensum dicimus. Præluxerat D. Basilius, cujus verba dedimus c. 2. n. 42. docens, *absurdum esse, si propriam cujuscumque nominis potestatem abstulerimus*, cùm de Deo loquimur ergo alia est propria potestas nominis, quo Deum dicimus *æternum*, & alia nominis, quo ipsum dicimus *immensum*; ac proinde cùm dicimus unum, distinguimus formaliter intentionaliter illud unum ab alio; & quidem cum fundamento in re: quod nobis sufficit. A ratione deinde pro impugnatâ sententiâ

Arg.

69 Arg. 1: essentia divina est summè, & infinitè perfecta: est æquè simplex: est optima. Hæc ita esse non possunt, nisi essentia includat formaliter attributa, ab istisque secundùm implicitum non distinguatur: ergo. Prob. min: negatà eà inclusione, & indistinctione, essentiæ additur formaliter perfectio attributorũ: ergo non est summè, & infinitè perfecta. Rursus: attributa cum essentiâ component: ergo essentia non est summè simplex. Demum: perfectius quid erit totum ex essentiâ, & attributis, quàm ipsa essentia: ergo hęc non erit optima. Cùmque unumquodque Dei attributum sit infinitè, & summè perfectum, sit simplicissimum, sitque optimum, sequitur, quod eodem modo, quo essentia includit formaliter attributa, hæc includunt essentiam, & reciprocè singula attributa includantur alia in alijs.

70 Retorq. arg. Essentia divina secundùm explicitum includit formaliter attributa. Dicent, esse secundùm explicitum summè perfectam in ratione essentię, non autem in omni perfectione, nisi implicitè. Dicimus, essentiam esse summè perfectam unicè formaliter in ratione essentiæ; & esse in se realiter, & objectivè perfectam in omni linea entis. Sæpissimè notavimus, in præsenti nomine essentię divinę accipi, non omnes perfe-

tiones absolutas,& necessarias, sed illas tantùm, quæ sunt essentiales ex genere suo ; aut illas tantùm, quas pro diversitate sententiarum alij,& alij Theologi assignant. Quod per instantiam, & per directam solutionem diximus de essentiâ prout summè perfectâ, dictum esto de eâdem, prout est summè simplex, & prout est optima. Dictum pariter esto de attributis comparatis ad se invicem, & ad essentiam. Ad rem faciunt, quæ dicta manent c.2.n.55. de essentiâ divinâ tùm physicè, tùm metaphysicè acceptâ, comparatâ ad divinas Personas. Ea recolantur.

71 Arg.2. Attributum Dei v.g. Omnipotentia, si non est formaliter essentia, erit æquale essentiæ, vel inæquale. 1. dici non potest: nam essentiæ divinæ nil potest esse æquale nisi alia essentia divina; essentia autem divina est essentialiter una, sive unica.2. cogitari non potest; nam attributum erit inæquale per excessum, aut per defectum. Non prius: quia nihil potest excedere divinam essentiam. Non posterius: nam quod à divinâ essentiâ exceditur,est creatum, & finitum. Ergo Omnipotentia, & quodvis attributum est formaliter essentia, & reciprocè. Hoc argumentum magni fit : eo enim contra Gilbertum utebatur D. Bernardus.

72 Adest eadem retortio. Omnipoten-

tia

tia secundùm explicitum vel est æqualis divinæ essentiæ, vel est inæqualis per excessum, aut per defectum: & sic sequentur eadem impossibilia, quæ contra nos colligit argumentum. Dices: Omnipotentia secundùm explicitum est inæqualis, & non tantæ perfectionis, quantæ est essentia. At non est quid finitum, & creatum; quia secundùm implicitum est formaliter ipsa essentia. Dico: Omnipotentia intentionaliter, & præscisse secundùm suum formalem conceptum est præscisivè minoris perfectionis, quàm essentia; sed tamen in suâ lineâ est simpliciter infinita, & realiter est ipsa essentia: ac proinde non sequitur, Omnipotentiam esse quid creatum, aut finitum. Argumentum D. Bernardi contra Gilbertum efficacissimum est: nam ex distinctione admissâ à Gilberto realem strictè distinctionem inferebat Bernardus; & sic invictissimum est argumentum. Eodem utimur cum Thomistis contra distinctionem mediam, arguentes probabiliter ab absurdo contra Scotistas hoc c. sec. 2. præsertim à n. 16. ad 24.

73 Arg. 3. Attributa divina sunt formaliter ens à se. Prob: nam aliter essent ens ab alio; ac proinde essent creaturæ. Sed essentia divina est formaliter ens à se: ergo. Additur: essentia divina includit formaliter omnẽ perfectionem sine imperfectione; est enim infini-

tè perfecta in omni lineà entis. Sed attributa sunt perfectiones sine imperfectione: aliter secundùm quod formaliter sunt, non essent in Deo: ergo.

74 Redit facta retortio. Attributa divina secundùm explicitum non sunt ab alio: ergo secundùm explicitum sunt formaliter ens à se: ergo secundùm explicitum sunt formaliter divina essentia. Præterea: essentia divina secundùm explicitum est formaliter infinitè perfecta in omni lineà entis: ergo est formaliter secundùm explicitum omnis perfectio sine imperfectione; ac proinde secundùm explicitum est formaliter omnis perfectio attributalis. Occurrunt: attributa secundùm explicitum non sunt ens à se; sed non propterea sunt ab alio, neque quid creatum: quia secùndum implicitum sunt formaliter ens à se: similiter, essentia secundùm explicitum est infinitè perfecta in lineà essentię, non autem in omni lineà entis nisi solùm secundùm implicitè. Respondemus similiter, dato, quòd essentia Dei consistat adęquatè in conceptu entis à se attributum est realiter, & objectivè à se, non autem intentionaliter, & formaliter: saltem quatenus aseitas excludat formaliter non solum causam, sed etiam principium radicale, & virtuale. Vide dicta cap. 2. n. 16. In nostrâ sententiâ aseitas est prædicatum transcendès attri-

attributa, & Relationes divinas. Sed non propterea aut Relationes sunt de essentiâ physicâ Dei, aut singula attributa sunt de essentiâ metaphysicâ, si hæc accipiatur præscisse secundùm prędicata ex genere suo essentialia. Vide dicta eodem c. à n. 63. usque ad sect. finem. Quo autem sensu in nostrâ sententiâ essentia Dei formaliter includat omnia, & singula attributa, constat ex dictis; sicut & constat, quòd unumquodque attributum includat, seu, rectiùs, sit formaliter inadęquatè essentia.

75 Arg. 4. Essentia divina secundùm implicitum est formaliter, quod realiter est: aliter essentia divina esset chymærica; nam distingueretur ab eâ essentiâ, quæ realiter est. Sed essentia divina est realiter unumquodque divinum attributum: ergo essentia divina secundùm implicitum est formaliter unũquodque divinum attributum. Rursus: attributum secundùm implicitum est formaliter id, quod realiter est; est autem realiter essentia divina: ergo.

76 Perstat retortio eadem. Essentia divina secundùm explicitum est eadem essentia, quę realiter est; & rursus, divinum attributum secundùm explicitum est formaliter id, quod realiter est: ergo nec essentia divina secundùm explicitum distinguitur formaliter

ab attributis, neque attributa secundùm explicitum distinguuntur formaliter ab essentiâ. Respondebis: essentia divina secundùm explicitum est eadem essentia, quæ realiter est; nempe essentia secundùm explicitum est realiter, non verò formaliter, quidquid est realis essentia. Quod idem de essentiâ attributi cujusque secundùm explicitum comparatâ ad essentiam divinam, & ad alia attributa dicitur. Respondebimus: essentia divina realiter, & objectivè, non autem formaliter, & secundùm nostrum concipiendi modum est tota essentia physica Dei; imò in nostris principijs essentia metaphysica Dei adæquatè sumpta est formalissimè ipsa eadem physica Dei essentia. Quo autem modo essentia physica Dei non constituatur per divinas Relationes, quibuscum realiter identificatur, explicatum habes c. 2. sec. 1. per totam.

SECTIO VI.

Fertur sententia, & explicatione probatur.

77 CONclusio nostra. In Deo perfectiones absolutæ, & necessariæ, Natura, & Relationes non distinguuntur actu ex naturâ rei, sive distinctione actuali mediâ inter strictè realem, & rationis. Insuper: datâ cognitione præcisivâ, distinguuntur ratione, tam secundùm explicitum, quàm secundùm impli-

citum. Demum: non distinguuntur ratione objectivè præscindente, sed tantùm ex parte actùs. 1. conclusionis pars abundè probata manet hoc cap. sec. 2. & 3. contra Scotistas. 2. pars constat ex dict. sec. 4. & 5. contra Thomistas. 3. denique probata supponitur ex Philosophiâ, & firmabitur, si hæc duo explicentur: 1. dari in divinis ejusmodi distinctionem rationis præscisivam ex parte actùs. 2. intra lineam distinctionis rationis majorem aliam non requiri. Utrumque probabitur solutione objectionum.

78. Obj. 1. Eatenus distinguerentur ratione Omnipotentia, & Immensitas v.g. quatenus totus Deus per cognitiones præscisivas referretur ad diversos terminos, sive connotata distincta: sed hoc non sufficit; id enim præcisè est, quòd connotata realiter distinguantur, non quòd ipsa objecta distinguantur: ergo. 2. Ubi non est forma distinctionis, non est distinctio; ubi autem non est distinctio, non sunt extrema distincta. Atqui forma distinctionis non est in Deo; est enim ea forma consideratio nostri intellectùs: ergo. 3. Nō datur distinctio rationis, sed omnimoda identitas formalis inter definitum objectivum, & objectivam definitionem, v.g. inter animal, & principium sensationis: ergo hęc prædicatorum unitas posibilis ex terminis est. Sed in

Deo

Deo summè, & infinitè uno est unitas omnis, quæ ex terminis est posibilis: ergo. 4. Si ordo ad diversos terminos sufficit ad distinctionem rationis, ordo ad eosdem terminos sufficiet ad identitatem rationis: ergo Justitia in Deo non distinguitur à Misericordià; nec distinguuntur inter se Omnipotentia, Intellectus, Voluntas, &c. Ratio cons: Justitia respicit punitionem; hanc eamdem respicit Misericordia: est enim hujus effectus, quòd punitio sit citra condignum; & similiter discurrendum est de Omnipotentià, Immensitate, &c.

79 Ad 1. Admitto maj; cùm enim duæ formalitates respiciunt eumdem terminum, debet esse sub diversis rationibus formalibus, & istæ diversificabuntur ex eo, quòd diversos terminos respiciant. Exemplum: Omnipotentia respicit omnia posibilia; eadem respicit divinus intellectus: sed sub diversis rationibus, sub producibilitate, & veritate. Hæ autem rationes formales diversificantur ex ordine ad diversa connotata: neque enim Angelus est creabilis ab homine, à quo est cognoscibilis; neque calor est cognoscibilis ab igne, à quo producitur. Nego min. & probationem dist: illud est, quòd connotata realiter distinguantur, non quòd ipsa objecta distinguantur realiter, & intrinsecè, conc; extrinsecè, & denominativè, nego min. & cons. Distinctio explicatione non indiget.

Ad

80 Ad 2. Docent communiter Thomistæ, præcisionem objectivam esse per quamdam resultantiam, sive ens rationis in ipso objecto, aut per quamdam negationem rationis resultantem in objecto ex actione intellectus præscindentis objectivè unum ab alio prædicato. Hæc doctrina variè à suis Authoribus explicatur: sed omnes in hoc conveniunt, quòd distinctio rationis non est denominatio purè extrinseca objecto. Ideo suis terminis de distinctione secundùm explicitum, & secundùm implicitum videntur excludere à divinis distinctionem rationis objectivè præscindentis in Deo unum ab alio; ut notabam n. 63. hujus cap. Et quidem eam resultantiam negant ipsi loquentes de Deo: nam aliter resultaret in Deo objectiva compositio, quam jure merito negant. Dist. propositionem: ubi non est forma distinctionis, non est distinctio realis, & intrinseca, conced; purè extrinseca, & denominativa, neg. propos: & constat ad reliquum. Cognitio, & amor non sunt in objecto verè, & intrinsecè; sed purè extrinsecè, & denominativè: & objectum denominatur *cognitum*, & *amatum*. Similiter de formâ distinctionis rationis, quę intrinsecè est in intellectu, & extrinsecè in objecto, discurre; & nota, quòd actus, quibus fit præcisio, distinguuntur realiter, sed tamen cùm sint objecto extrin-

trinseci, non arguunt in ipso distinctionem realem. Hanc distingues propositionem: *quæ distinguuntur per formas realiter distinctas, distinguuntur realiter*; illamque concedes de formis realiter intrinsecis extremis, & negabis de formis extrinsecis.

81 Ad 3. Eo argumento uti non possunt pro re sua Thomistę: ponunt enim majorem distinctionem Omnipotentiæ v.g. secundùm explicitum ab Immensitate secundùm explicitum, quàm sit inter animal, & principium sensationis; & id fatetur Granado, acerrimus illius sententiæ defensor. Neque eo uti possunt Scotistæ pro sua distinctione mediâ, quamvis retorquere in nos conentur argumentum, quo ipsos impugnavimus n. 25. & 62. hoc cap. Cadit retortio; nam omnimoda identitas formalis, sive unitas, sicut & distinctio, & pluralitas formalis, est opus rationis, quamvis cum fundamento in re; ante cognitiones aut intentionaliter identificantes, aut intentionaliter distinguentes non est in re, seu objecto, nisi mera unitas realis, puraque simplicitas. Hinc in Deo non est major unitas inter Omnipotentiam, & virtutem productivam omnium possibilium, quàm inter Omnipotentiam, & Immensitatem: & vice versâ non est major distinctio Omnipotentię ab Immensitate, quàm Omnipotentiæ à virtute pro-

productivà omnium posſibilium. At per distinctionem mediam est in re, & in objecto inter extrema, quæ diversimodè definiuntur, major distinctio, quàm quę datur inter extrema, quæ eàdem definitione definiuntur. Hinc fiet in Deo, summè uno, non esse omnem unitatem posſibilem ex terminis; rursusque fiet, Deitatem non esse tàm unam, quàm quęlibet ipsius formalitas: imò & quàm est quælibet formalitas creaturæ. Ex dictis respondebis ad arg; dist. ant: non datur distinctio rationis, sed omnimoda identitas formalis inter definitum objectivum, et definitionem objectivam, ut appàrent per definitum formale, et formalem definitionem, conc: idque evincitur exemplo adducto; ut appàrent per cognitiones præscindentes, nego ant: & cadit reliquum. Sensus est: illud idem simplicissimum realiter, & in se objectum, quod appàret per has cognitiones *animal*, *principium sensationis*, & sic est intentionaliter idem secum ipso, appàret per has prescindentes *animal*, *principium ratiocinij*; & sic distinguitur intentionaliter à se ipso. Philosophare similiter de Deo, nullamque invenies objectivam, & in se unitatem, quę non sit in singulis, & in omnibus prædicatis divinis.

82 Ad 4. Concesso ant, nego cons. Ad probat. Iustitia respicit punitionem, & non

res-

respicit negationem condignæ punitionis; Misericordia respicit negationem condignę punitionis, non autem punitionem ipsam : unde respiciunt diversos terminos. Similiter discurrendum est de Omnipotentiâ, Immensitate, & alijs attributis, quę immediatè respiciunt eosdem terminos sub diversis rationibus formalibus.

83 Obj. 5. Datà distinctione rationis præscisivà tantùm ex parte actùs, non datur forma excludens unum conceptum à constitutione alterius; ac proinde non dabitur compositio, etiam per rationem. Ergo intra lineam distinctionis rationis requiritur major alia distinctio, quàm pręscisivà ex parte actùs; ac proinde requiritur pręscisio ex parte objecti. Ratio: nam aliter essentia, & attributa, Natura divina, & Relationes mutuò se formaliter includent, & nec per rationem component. Ant. prob: distinctio præscisiva tantùm ex parte actùs est purè secundùm implicitum, & explicitum; sed hæc non sufficit, ut detur forma excludens unum conceptum à distinctione alterius: ut patet in distinctione, quæ versatur inter animal, & principium sensationis: ergo. 6: Patres multiplicitatem perfectionum ponunt in Deo; dicuntque, non solùm esse omnipotentem, sed & immensum, sapientem, & sic de alijs attributis; his non fit satis

per

per prȩfciſionem ex parte actûs: nam Patres agunt contra Hæreticos, non de noſtris cognitionibus præſciſivis, ſed de re ipsa: ergo ſaltem agnoſcunt diſtinctionem rationis ex parte objecti, vi cujus verificetur, Deum re ipsà eſſe aliquid præter id, quod cognoſcimus, dum Omnipotentiam cognoſcimus.

84 Ad 5, nego ant, & diſt. maj. probationis: diſtinctio prȩſciſiva tantùm ex parte actûs eſt purè ſecundùm implicitum, & explicitum cum diverſitate cõnotatorum, conc; & ſic diſtinguitur *animal à rationali*, & Omnipotentia ab Immenſitate; cum omnimodà identitate connotatorum, nego maj: ſic enim non erit diſtinctio rationis, ſed identitas rationis: & ſic tantùm ratione ratiocinante diſtinguitur *animal à principio ſenſationis*, & Omnipotentia à virtute productivà omnium poſſibilium.

85 Ad *6*. Magis urget argumentum pro diſtinctione mediâ, quàm pro diſtinctione per objectivam prȩſciſionem, qua unum cognoſcatur prȩdicatum, non cognito alio. Conceſsà maj. nego min. Ad probat. dic, Patres contra Hæreticos agere de re ipsà; hoc eſt, quòd in Deo re verà ſint illæ perfectiones, quas nominibus divinis ipſi tribuimus: ſed addunt, eſſe in Deo cum ſummà, & ineffabili ſimplicitate. Hinc ex Patribus excluditur prȩci-

cipuè distinctio media; nec parcitur distinctioni rationis ex parte objecti: nam ista non compatitur cum identitate reali, ut bonis argumentis in Philosophiâ probatur. Quòd autem Patres non agant de nostris præscisionibus, falsum est: passim dicunt, nostras de Deo cognitiones esse ænigmaticas, imperfectas, inadæquatas; & addunt, in Deo considerationc, intellectione, & ratione nostrà distingui, quæ in ipso unum omnino sunt.

SECTIO VII.

De æqualitate attributorum Dei.

86 AGendum nobis jam est de aliquibus divinis attributis in particulari. Suprà notatum est, attributa Dei omnia esse positiva, & alia ideo affirmativa dici, quia de Deo per affirmationem enunciantur; alia ideo negativa dici, quia per negationem exprimuntur, affirmando perfectionem, & removendo imperfectionem. Divina attributa non esse numero (per rationem) infinita, supponitur à Theologis: horum alij plura, alij pauciora enumerant; ut videre est apud Granado hic d. 9. Esse autem aliqua saltem attributa, quæ complectuntur in suo uno simplicissimo conceptu objectivo formalitates in infinitum syncathegorematicè distinctas, constat in Omnipotentiâ, Æternitate, & similibus. A ratione divini attributi excludimus suprà actus Dei li-

liberos, aut contingentes; ac propterea deinceps, si de ipsis ut de attributis loquamur, cum alijs loquemur; quorum sensum sequitur Munieſſa hìc d. 7. n. 10. Ad hanc classem pertinent Dei actuale dominium, præscientia, decreta, providentia, & multa alia, quæ constitutivè involvunt actus liberos, aut purè contingentes. Ad ea, quæ de attributis in particulari dicenda sunt, sit

87 Assertio prævia. Dei attributa, prout formaliter distincta, & prout constituta in suo esse quasi specifico, sunt æqualis perfectionis. Ita melior Theologia, quam explicat Quiròs d. 18. s. 4. per tot. Prob. assertio. & comparemus intellectum divinum cum Immensitate. Ille ad lineam perfectiorem pertinet: nempe ad vitam infinitè perfectam; ista ad lineam minùs perfectam, ad præsentiam scilicet localem. Et tamen duo assignata attributa sunt æqualis perfectionis. Ratio: nam intellectus divinus dicit ordinem ad necessariam identitatem cum Immensitate; hæc autem dicit ordinem ad necessariam identitatem cum divino intellectu. Assumo: quantum ex suo genere, & in suà lineà excedit intellectus divinus Immensitatem, tantum ordo Immensitatis ad necessariam identitatem cum intellectu excedit ordinem intellectùs ad identitatem cum Immensitate. Ergo complexum ex

Immensitate, & ordine ad intellectum æquat perfectionem complexi ex intellectu, & suo proprio ordine ad Immensitatem. Probatur assumpta propositio: nam mensura perfectionis, quam dicit ordo, est ipsa perfectio termini; & sic major est perfectio cognitionis terminatæ ad Angelum, quàm terminatæ ad lapidem; & perfectior est virtus ad producendam substantiam, quàm ad producendum accidens: ergo &c.

88 Insurgis: eodem modo probabitur, materiam æquare perfectiones formæ; quod absurdissimum est. Infertur tamen: nam ordo, quem dicit materia ad formam, tantum excedit ordinem formæ ad materiam, quantum forma excedit materiæ perfectionem. Nego sequelam, & ad probat. dico, ordinem materiæ ad formam non esse identitatis, seu ad hoc ut materia sit forma: unde quamvis iste ordo excedat ordinem formæ ad materiam, quantum ipsa forma materiam excedit, nihilominus materia non æquat formæ perfectionem. Ratio: quia stante distinctione reali, ordo ille materiæ præstare non potest, ut ipsa realiter sit forma, & in materiæ quidditate insint per identitatem perfectiones formæ; ut sunt, esse actum, determinare speciem compositi, & aliæ similes. At ordo Immensitatis ad intellectum divinum est ad necessariam identitatem,

tem, facitque, ut Immensitas sit realiter ipse divinus intellectus. Verbo: tantæ æstimabilitatis subjectivè formaliter est Immensitas, quantæ subjectivè formaliter est intellectus infinitus propter ordines unius, & alterius attributi ad mutuam identitatem realem: quam vis terminativè formaliter non sint æqualis perfectionis ex eo, quòd termini illorum ordinum pertineant ad lineas ex genere suo non æquè perfectas. Alijs terminis: ordo necessariæ identitatis facit, quòd unum attributum habeat in suâ ratione formali æquivalenter aliud: est enim æquivalentia ad formalem habitionem. Æquivalentia autem ex ipsis terminis est æqualitas.

89 Replicabis: sequitur, quòd in creatis prædicata, quæ realiter identificantur, sint æqualis perfectionis; quod nemo dixerit. Disting. cons: concedo de prædicatis, quę in suâ quidditate dicant formaliter ordinem ad necessariam mutuam identitatem; & illud nego de prædicatis, quæ eum ordinem non dicant quidditativè formaliter. Istud nemo dixerit; illud caret absurdo. Animal, & rationale idẽtificantur in homine; neutrum ex suâ ratione formali dicit eum ordinem; separantur enim in diversis entitatibus. Hinc in suis rationibus formalibus non sunt ejusdem perfectionis. Contrarium erit, si in suis rationibus forma-

libus quidditativè dicant ordinem ejusmodi. Quidquid sit de rebus creatis, Dei attributa sunt characteristicè divina: ac proinde in suis rationibus formalibus quidditativè dicunt ordinem ad mutuam realem identitatem, & sunt modo explicato æqualis perfectionis. In viam redeamus.

90 Unitatem, veritatem, & bonitatem esse attributa entis supponitur ex Philosophia, sicut & eorum explicatio. In Deo esse unitatem transcendentalem, qua ens est indivisum in se, hoc est, dividi non potest in partes, quarum quælibet sit illud ipsum: deinde ens, constat. Hanc unitatem transcendentalem nō coincidere cum unicitate, qua unicè est, nec possibilis est alius Deus, supponitur. Veritatem transcendentalem Deo convenire, patet; ista enim veritas est capacitas entis ad verificandam propositionem, qua seu conditionatè, seu absolutè affirmetur, ipsum existere. Hęc autem capacitas, imò & necessitas verificandi propositionem, qua affirmatur Dei existentia, Deo inest. Transcendentalem bonitatem convenire Deo, dubitari non potest: Deus enim terminare potest actum amoris; ea autem transcendentalis bonitas in illà potentià, seu entis capacitate consistit.

91 Multa sunt divina in particulari attributa, quę integros in Theologià tractatus

tus sibi postulant: ut sunt Dei Invisibilitas, Intellectus, & Voluntas. Alia sunt, de quibus ubicumque se occasio offert, & sæpissimè sese offert, latè disputatur: ut sunt Sanctitas, & Iustitia. In præsenti, prętermissis attributis, quæ ad duas prædictas classes spectãt, de alijs paucis, quæ scitu necessaria sunt, exponemus: ac primò sit

SECTIO VIII.

De Simplicitate Dei.

92 CONclusio. Deus est substantia omnino simplex. Est de Fide ex Lateranensi sępè citato in c. *Firmiter* de summâ Trin. Ibi: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, una essentia, substantia, seu natura omnino simplex.* Deum non esse corporeum est de Fide contra Antropomorphitas: & hinc pariter certum est, non constare Deum ex corpore, & spiritu. Deum non esse compositum ex materiâ, & formâ spiritualibus, constat ex eâdem catholicâ definitione de omnimodâ simplicitate Dei. Videri potest C. Gotti hìc q. 3. dub. 1. & 2. §. 1. Conclusio certa de Fide ostenditur à ratione. Cogita in Dei substantiâ partes, seu realitates, ex quibus constituatur. Nulla pars est Deus: ergo Deus dependet ab eo, quod non est Deus. Hoc autem imperfectio est, ut ex terminis constat: nam est, quòd id, quod non est Deus, causet intrinsecè

Deum; & det illi intrinsecè esse. Ergo Deus summè infinitè perfectus excludit essentialiter partes, sive realitates, ex quibus constituatur; ac proinde est substantia omnino simplex. Rursus: quælibet pars esset positivè imperfecta: excluderet enim à suo esse perfectionem propriam compartis. Ergo ex positivè imperfectis constitueretur Deus. Ergo non esset summè, & infinitè perfectus; nam includeret in suà essentià positivas imperfectiones partium. Demum: eæ partes non constituerent Deum absque unione, coadunatione, aut applicatione. Nexus iste à quo esset? Non ab agente extrinseco: nam jam Deus non solùm dependeret à causà intrinsecà, sed etiam ab extrinsecà; quod est egregia implicatio: ergo. Neque esset ab ipsis partibus. Ergo impossibile est, quòd ex partibus constituatur Deus; ac per consequens ejus substantia est omnino simplex.

93 Subsumpta minor prob. Partes constituentes Deum cogitentur duæ. Vel utraque esset à se, vel altera ab alterà non mutuò; ut ipsæ per se ipsas absque nexu distincto uniantur, ut Deum constituant? Si posterius: ista, quæ sit ab alterà, erit creatura; illa autem, quæ sit à se, erit Deus. Si dicatur prius: quælibet pars erit essentia divina: nam quælibet erit substantia à se; ergo quælibet erit illi-

illimitata: habebit enim aſeitatem, quæ eſt radix illimitationis; atqui ſimul erit limitata; carebit ſiquidem in ſuo entitativo eſſe perfectione alterius compartis: ergo.

94 Excludit igitur eſſentialiter ſimplicitas Dei omnem realem compoſitionem tùm ex partibus conſtituentibus eſſentiam, tùm ex eſſentiâ, & exiſtentiâ, tùm ex ſubjecto, & accidenti, tùm demum ex partibus integralibus.

95 Oppon. 1. Simplicitas non eſt perfectio: ergo non eſt neceſſe, quòd Deo conveniat. Prob.ant. Simplicitas eſt negatio compoſitionis, ac proinde eſt nihil; quod autem nihil eſt, perfectio non eſt. Ant.prob: compoſitio eſt quid poſitivum: ergo ſimplicitas eſt negatio: per hanc enim excluditur, quod poſitivum eſt. Iterum: poſitâ compoſitione, ponitur quid poſitivum, & excluditur ſimplicitas; ſed quod excluditur per poſitivum, eſt negatio: & ſic tenebræ ſunt negatio lucis, quandoquidem excluduntur per lucem, quę eſt quid poſitivum: ergo. Nego ant: ſimplicitas, quæ indiviſibiliter complectitur omnem perfectionem, ſumma perfectio eſt; & talis eſt Dei ſimplicitas. Ad ant.probationem diſting. ant: ſimplicitas eſt negatio logica compoſitionis, concedo; phyſica, nego ant. Ad probationes ant.dico, quidquid ſit de poſitivis con-

tingentibus, quæ excludantur per negationes, impoſsibilia excluduntur per entitates poſitivas. Hoc explicatum eſt, tùm hoc cap. n. 5. tùm præcedenti n. 111. Simplicitas Dei eſt quid poſitivum formaliter excludens realem compoſitionem; quæ in Deo impoſsibilis eſt. Conſtat hinc ad exemplum tenebrarum, & lucis; hæc enim quid poſitivum contingens eſt: ac proinde omitto, quòd excludatur per negationem.

96 Oppon. 2. Cæteris paribus, major imperfectio videtur, poſſe eſſe partem potentem componere cum alio, quàm eſſe compoſitum ex partibus: & ſic tùm materia, tùm forma imperfectior eſt ipſo compoſito. Sed Deo non repugnat venire in compoſitionem cum alio: ut patet in Verbo divino componente cum humanitate unum Chriſtum; *ſicut* enim *anima, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*: ergo. Concedo maj. de parte ex indigentiâ, & ad ſui ulteriorem perfectionem potente componere cum alio; & nego de parte citra indigentiam, & abſque perfectibilitate: & cadit reliquum argumenti. Aliquid diximus n. 78. cap. præcedent. quo explicatur diſtinctionis ſenſus, plura ex profeſſo dicturi, Deo dante, in tract. de Incarnatione.

97 Oppon. 3. In Deo eſt pluralitas Perſona-

ſonarum ; ſed ibi eſt compoſitio , ubi pluralitas : & ſic binarium eſt compoſitum , quia in eo ſunt plures unitates: ergo. Urgetur: plura cum nexu ſunt quid compoſitum; Perſonæ divinæ ſunt plures , & nectuntur per realem identitatem in tertio : ergo conſtituunt compoſitum. Quòd ſi hoc Perſonis divinis non repugnat , nec eſſentię divinæ compoſitio repugnabit: quidquid enim ſit imperfectio,non minùs Perſonis divinis, quàm eſſentiæ repugnat. Conceſsà maj. nego min: pluralitas eſt fundamentum compoſitionis; hæc pro formali addit nexum, ſive unionem ; nexus autem, ſive unio, quæ ad realem compoſitionem ſufficiat , non eſt inter divinas Perſonas. Ad exemplum binarij ; iſtud in ſe non eſt quid ſimpliciter compoſitum , ſed *ſecundùm quid*, & *extrinſecè* : ea enim binarij compoſitio eſt relatio rationis , conſiſtens in actu intellectùs comparantis unitates, non ſeorſim,ſed ſimul. Et hoc modo non eſt inconveniens , quòd Deo applicetur compoſitio *ſecundùm quid*, & *extrinſeca* : in quantum comparantes divinas Perſonas dicimus , conſtituere *unam Trinitatem*. Ad urg. concedo de pluribus cum nexu ad compoſitionem requiſito , & de nexu non ſufficiente nego maj. & conceſsà min. nego conſ. Nexus compoſitivus debet nectere plura ; identitas Perſonarum cum eſſentiâ divinâ

non

non nectit ipsas Personas: neque enim Personę identificantur inter se, neque physicè uniũtur. Identitas Personarum cum essentiâ non facit, quòd Personæ cum essentiâ componant: neque enim essentia, & Persona sunt plura; deficiente autem pluralitate, quæ est fundamentum compositionis, non datur compositio.

98 Semotâ à Deo omni reali compositione, superest examinandum, an excludenda sit compositio formalis per rationem. Negant communiter Thomistę, & Nostrates multi, quibuscum Viva d. 1. q. 4. a. 3. Affirmant Scotistę, & communiter Nostrates, quos sequitur Munieſſa d. 15. sect. 3.

99 Assertum. In Deo est compositio formalis per rationem, & quidem ex genere, & differentiâ; Deusque ponitur in prædicamento substantiæ. Sic docui in Philosophiâ. Ratio: quia in Deo sunt plura per rationem, scilicet ex parte Dei fundamentaliter, actualiter in nostris pręcisivis cognitionibus. Ea autem plura nectuntur nexu nempe perfectæ identitatis; & ex ijs pluribus constituitur summa, & una Dei essentia. Ergo in Deo est compositio formalis per rationem. Ex genere autem, & differentiâ: nam sunt in Deo prædicata alia alijs universaliora, per quæ convenit cum pluribus, aut paucioribus; & insuper est

pri-

primaria differentia aseitatis, & aliæ essentiales differentiæ athomæ: ut explicatum est c. 2. à n. 59. ad 63. Quòd Deus ponatur in prædicamento substantiæ, suadetur: nam recta est hæc argumentatio: *Est Deus: ergo est intellectivum; ergo est vivens: ergo est substantia.* In hac serie prædicatorum, in qua Deus ponitur ut individuum, devenitur ad genus prædicamentale substantiæ: ergo Deus ponitur in prædicamento substantiæ.

100 Oppones contra compositionem rationis. Deus est actus purus: ergo expers compositionis per rationem. Nego consic compositio enim rationis non est vera compositio, sed secundùm *quid*, & penes nostrum modum concipiendi: quapropter est Deo extrinseca. Fundamentaliter quidem est intrinseca Deo: sed est ipsum simplicissimum Dei esse cum fœcunditate prædicatorum, per æquivalentiam eminentialem ad plura, & per ordinem ad diversa connotata. De hoc redibit sermo, cùm agamus de Intellectivo divino per modum actûs primi.

101 Oppones contra compositionem ex genere, & differentiâ. In nullo prædicato conveniunt univocè Deus, & creatura: ergo in Deo non est genus, quod contrahatur per differentiam. Nego ant; cujus oppositum docui in Philosophiâ. Nec capio, quo possit ne-

negari modo univocatio Dei, & creaturæ in conceptu entis, nisi negando aut Deum propriè esse ens, aut creaturam ens propriè non esse. Illud est absurdo majus: hoc est omnino falsum: nam aliter creatura aut esset quid impossibile, aut negatio entis. Instas. Differentia Dei, quippe quę est simpliciter infinita, includit formaliter omnem perfectionem: ergo non est extra illam formaliter aliqua perfectio, quę sit genus. Nego ant: differentia enim non includit formaliter genus, sive proximum, sive remotum; quod latè in Philosophia docui. Quòd si in oppositâ sis sententiâ, consule Oviedum controv. 1. Metaph. punc. 7. conciliantem formalem transcendentiam entis, & ejus univocationem. Itaque differentia Dei prout talis differentia est simpliciter infinita in esse differentiæ: quapropter permittit extra seipsam formaliter perfectiones, quę non sint differentiæ Dei ab omni non ipso.

102 Oppones, ut probes Deum non posse poni in prædicamento substantiæ. Deus est infinitus: ergo non potest claudi, aut finiri in prædicamento. Nego consi: inclusio in prædicamento est finitudo secundùm quid, & per rationem, quę non repugnat Deo; ut non repugnat, quòd repręsentativè includatur in hac expręsione *ens incomprehensibile.*

No-

Nota: conceptus ſubſtantiæ non eſt formaliter infinitus; ſed nec formaliter eſt finitus: præſcindit ab utroque. Hinc contrahitur ad Deum abſque finitate, & per differentiam Dei ſuperadditur infinitudo. Nota: idem conceptus ſubſtantię, cùm ſit formaliter perfectibilis, non eſt formaliter poſitivè finitus, ſed ſolùm formaliter negativè, hoc eſt, non eſt formaliter infinitus. Hinc conceptus ſubſtantiæ non imbibit differentiam finitatis, quæ excludat contractionem ad Deum per differentiam dicentem infinitatem.

103 Oppones adhuc. Plùs differunt Deus, & Angelus, quàm quantitas, & qualitas; hæ non poſſunt poni in eodem prædicamento: ergo nec Deus, & Angelus in eodem prædicamento ſubſtantię. Diſting. maj: illam concedo de differentiâ in rationibus prędicamentalibus inferioribus; & nego de differentiâ in primo genere prędicamentali. Eſt dicere: in conceptu ſubſtantiæ non differunt, ſed univocantur Deus, & Angelus; ſicut quantitas, & qualitas non differunt, ſed univocantur in ratione accidentis. At cùm Philoſophi nolint (per fas, ſive per nefas) rationem accidentis eſſe genus prædicamentale; inde eſt, quòd poni non poſſint in eodem prædicamento. Habes argumenti retortionem: nam gratia ſanctificans, & albedo magis differunt, quàm

quàm quantitas, & qualitas; hæ non possunt poni in eodem prædicamento: ergo nec gratia sanctificans, & albedo: ergo non pertinent ad idem prædicamentum, nempe qualitatis. Ut Adversarij negent hanc consequentiam, recurrere debent ad datam distinctionem.

104 Oppones demum. Deus in prædicamento poneretur sub genere; istud autem esset quid prius, & simplicius Deo. Hoc est absurdum: ergo. Urgetur: genus debet esse univocum; nullus autem conceptus potest esse univocus Deo, & creaturis: quod vel de ipso supremo conceptu entis sequutus Aristotelem negat Angelicus ubivis, præcipuè 1. contra Gent. c. 32: *relinquitur, nihil de Deo, & rebus aliis prædicari univocè*: ergo. Distinguo propositionem: esset quid prius in subsistendi consequentiâ, & simplicius penes nostros conceptus Deo, concedo; aliter, nego. Distinguo è contrà min. & neg. conf. Nihil est absurdi in his argumentationibus: *est Deus ergo est substantia*; et: *est substantia: ergo potest non esse Deus*. Et in his stat prioritas in subsistendi consequentiâ. Nec est absurdum, quòd conceptus genericus sit quid simplicius Deo: hoc enim nihil aliud est, nisi in Deo esse fœcunditatem perfectionum cum fundamento in re distinguibilium per rationem; & quod tot perfectiones non sint distinguibiles in

conceptu generico: sicut nec in singulis attributis, si comparentur ad Dei essentiam, tùm physicam, tùm etiam metaphysicam.

105 Ad urg. Docuit Philosophus, *ens non esse genus entium.* Si accipiatur ens in totâ suâ abstractione, dicendum est, non esse genus prædicamentale entium; sicut substantia est genus prędicamentale, determinans determinatam seriem entium. At ens in totâ suâ abstractione est genus commune omnibus entibus. Docuit insuper, ens ad substantiam, & accidens, quemadmodum *sanum omne ad sanitatem refertur*, hoc est analogicè. Sed accepit ens, non pro potente existere, quo sensu est univocum, sed pro existente per se: nam verbum græcum, quo Philosophus utitur, & quod correspondet verbo substantivo *sum*, non significat *esse* utcumque, sed *esse per se*. Sic notavit Oviedus controv. 1. Metaph. punc. 8. n. 4. In eâ usurpatione *ens* non dicitur univocum, sed analogum ad substantiam, & accidens.

106 Aristotelem secutus negat Angelicus, aliquid de Deo, & creaturis univocè prædicari. Sed quo sensu? Audiatur Ferrar. in Commentario loci, qui nobis objicitur. *Intelligitur, quòd ratio sit eadem secundùm formam, & secundùm essendi modum.* Ratio secundum formam est præcisè secūdùm essentiam; se-

ſecundùm eſſendi modum eſt ſecundùm differentias. Hinc nulla ratio ſecundùm formã, & ſecundùm eſſendi modũ eſt univoca Deo, & creaturis, ſed analoga: nam partim eſt eadem, ſcilicet ſecundùm formam; & partim eſt diverſa, nempe ſecundùm eſſendi modum. Et ſic Angelicus docet, rationem entis dici analogicè de prædicamentis ſubſtantiæ, & accidentis ad modum, quo ſanum prædicatur de animali, medicinà, &c.

107 Noſtram expoſitionem admittes, ni velis Angelicum Damaſceno, & Anſelmo eſſe contrarium. *Subſtantia, quæ continet ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem, cognoſcibiliter autem, & continuè omnem creaturam, generaliſsimum genus eſt*, inquit Damaſcenus cap. 8. Elementarij. En ſubſtantia eſt genus ad ſubſtantias increatam, & creatam. *Quamvis differat liberum hominis arbitrium à libero Dei arbitrio, & Angelorum bonorum, definitio tamen hujus libertatis in utrisque ſecundùm hoc nomen eadem debet eſſe; ſicut licèt animal differat ab animali, definitio tamen ſecundùm nomen animalis omnibus animalibus eſt eadem*, docet Anſelmus dial. de lib. arb. c. 1. En ratio liberi arbitrij univocè prædicatur de Deo, Angelo, & homine; ſicut ratio animalis de omnibus animalibus. Nota hanc paritatem, qua utitur Anſelmus, ut illam opponas paritati *ſani*,

qua

qua utuntur ex Div. Thomà, sed non ex ejus sensu, Adversarij.

108 Observa: sunt innumera Patrum testimonia, in quibus dicitur Deum non esse *substantiam*, sed *supersubstantiam*. Sed Patres non negant Deum esse propriè, & simpliciter substantiam secundùm quidditativum, quod dicit *ens per se*; sed secundùm quod in creaturis superaddit, nempe subjici, subsistare, seu esse subjectum accidentium. Dicunt Deum esse *supersubstantiam*, hoc est, esse substantiam infinitè excedentem omnem perfectionem substantiæ creatæ. De mente Sanctorum Patrum consuli potest noster Lynze 5. Metaph. tract. 2. c. 5. Non ergo ex Patribus concluditur Deum non esse in prædicamento substantiæ. Concedendum tamen est Deum excludi ab omni prædicamento, prout explicabatur ab Aristotele, Porphyrio, & priscis Philosophis, qui in prædicamento substantiæ solùm ponebant substantias finitas, & quæ physicè subsunt accidentibus. In hoc sensu accipitur D. Augustinus de cognitione ver. vitæ c. 2. Deum amovens à prædicamentis. At in sensu, in quo prædicamentum non involvit imperfectionē, *dicuntur duo tantùm esse prædicamenta in divinis*: nempe substantia, & relatio; cætera autem prædicamenta, quę non dicunt habitudinem identitatis, non dicuntur de Deo *propter*

ter summam Dei simplicitatem, docet Angelicus hìc q. 28. ar. 2. ad 1. totus ad rem nostram.

SECTIO IX.

Materiam præcedentis absolvit.

109 PEtes: quænam demum est simplicitas propria Dei, quæ creaturis convenire non potest? Simplicitas essentialis, sive expers compositionis ex subjecto, & formâ substantialibus, non est propria solius Dei: convenit siquidem Angelo. Simplicitas substantialis, qua natura identificet suam subsistentiam, juxta alios est propria solius Dei: juxta alios potest convenire substantiæ creatæ. De hoc dicemus, Deo favente, in de Incarnat. & videri potest Eximius Suarez d. 34. Metaph. sec. 3. à n. 9. Supereſt compositio ex essentiâ, & existentiâ: & de hac dicunt Thomistæ esse essentialem creaturæ, & oppositam simplicitatem esse solius Dei propriam. Resolutio dubij pendet ex quæstione metaphysicâ de distinctione, aut identitate inter essentiam, & existentiam rei creatę. Docui in Philosophiâ existentiam rei creatæ non consistere in modo substantiali superaddito distincto à re existente, & ab actione, qua producitur, ut volunt Thomistæ. Docui consistere formaliter existentiam rei creatæ in actione, *qua* producitur; ac proinde, si res producitur per ac-

actionem distinctam, distinguitur ab existentia; secus si per actionem indistinctam producatur. Possibilem esse rem, quæ secum identificet actionem, qua producitur, docui cum bonis Authoribus. His suppositis,

110 Resp. ad quæstionem. Simplicitas Dei propria hæc est, quæ excludit essentialiter tum partes physicè distinctas, tum etiam esse partem physicè perfectibilem. Da in Angelo simplicitatem, non solùm essentialem, sed etiam in esse suppositi, & in esse taliter existentis. Adhuc non pertingit ad Dei propriam simplicitatem. Ostenditur: implicat, quòd Angelus non sit pars physicè perfectibilis: nempè per vitam actualem, intellectivam, & volitivam distinctam ab ipsius substantiâ. Sed ea est Dei propria simplicitas, ut essentialiter excludat esse partem physicè perfectibilem: ergo implicat, quòd Angelus ad Dei propriam simplicitatem pertingat. Min. est evidens: Deus enim ex ratione entis optimi, ex illimitatione, ex aseitate dicit essentialiter omnem perfectionem, & excludit essentialiter omnem imperfectionem. At quæ de ratione partis physicè perfectibilis est non habere omnem perfectionem (nempe in se, & suâ quidditate) & habere imperfectionem perfectibilitatis: ergo ea est Dei propria simplicitas, ut excludat essentialiter esse partem

physicè perfectibilem. Rationem hanc desumo ex Patribus acclamantibus, *nihil Deo accidere posse*; pro quibus audiendus Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Thesauri: *Sapienter dicitur nihil accidere subsistantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est.*

111 Oppones ex Thomistis. *Actus in nullo receptus, sive in nullo existens, nullo terminatur*, docet Angelicus 1. cont. Gent. c. 43. sed substantia non composita ex essentiâ, & existentiâ esset actus in nullo receptus: ergo nullo terminaretur, essetque actus infinitus. Ergo simplicitas oppositâ compositioni ex essentiâ, & existentiâ est propria solius Dei. Iterum q. 1. de pot. a. 2: *esse Dei cum non sit in alio receptum, sed sit esse purum, non limitatur ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum esse in se habet.* Ergo proprium solius Dei est excludere compositionem ex essentiâ, & existentiâ.

112 Resp. actum in nullo receptum, & nullius receptivum nullo terminari; terminari autem actum, qui, etsi in nullo recipiatur, sit respectu alicujus receptivus. In hoc sensu accipio Angelici testimonium positum pro majore; & distinctâ similiter min. nego cons. Angelus identificans suam existentiam esset actus metaphysicus, & entitativus: & in eodē genere esset actus ipsa ejus existentia. Sed quo-

quoniam tota entitas Angeli esset actus, non receptus quidem, sed receptivus intellectionis, volitionis, aliorumque accidentium, & præterea supernaturalium, quibus à Deo amplius perfici posset, ideo Angelus esset actus limitatus, & non infinitus. Ad alterum Angelici testimonium dico, consultò, ut inferret, Deum non esse limitatum, sed habere in se totum esse, duo posuisse: nempe esse divinum, non autem receptum in alio, & esse actum purum, sive purum esse. Atqui Angelus identificans suam existentiam, seu existentia indistincta ab Angelo, quamvis non esset actus receptus, non esset *actus purus*, seu *purum esse*: tota siquidem Angeli substantia esset perfectibilis per accidentia tùm naturalia, tùm supernaturalia: ergo esse Angeli, & ejus existentia non esset illimitatum, & *purum esse*.

113 Instas. Si actus non est receptus in alio, non est, unde desumatur ejus limitatio; sed existentia est actus: ergo non est finita, & limitata, nisi in alio recipiatur; ac proinde impossibile est, quòd substantia creata simplex sit in esse actualiter existentis. Nego maj; quę, etsi vera omittatur de actu physico, falsa est de actu metaphysico, & entitativo. Constat: nam materia prima est talis actus metaphysicus, & entitativus; et, cùm essentia suà sit primum subjectum, implicat,

quòd sit actus in alio receptus. Itaque primaria limitatio rei creatæ desumitur ex eo, quòd sit ab alio, quod inseparabile est ab essentiâ rei creatę. Hinc vel in ipsis actibus physicis, seu formis physicis limitatio formalis, & primaria sumitur ex abalietate; limitatio secundaria, & illativa desumitur ex eo, quòd sint actus recepti: bene siquidem valet, *est actus receptus in alio: ergo est ens ab alio.* Vide, si placet, Vasquium hìc d. 25. c. 2. & 5. optimè probantem, non rectè demonstrari infinitatem Dei per hoc, quòd esse divinum in nullo recipiatur, sed per hoc, quòd non sit ab alio.

114 Instas adhuc. Priùs intelligitur in re creatâ, quòd sit finita, quàm quod non possit esse, nisi ab alio. Ideo namque ab alio debet esse, quia finita est. Sed non aliunde in illo priori potest intelligi esse finitam, nisi ex compositione ex essentiâ, & existentiâ: ergo in hac compositione stat radix limitationis. Nego maj. & ejus prob. in sensu rationis formalis: ideo enim creatura est quid finitum, quia illud illius esse, sive simplex, sive compositum, sive adæquatum, sive incompletum, sive substantiale, sive accidentale, pro statu possibilitatis est conditionatè, & pro statu actualitatis est absolutè ab alio. Quæro: an modus substantialis existentię, quem ponunt Adversarij, sit compositus ex esse, & essentiâ,

sive

sive ex quidditate, & actualitate? Negant; & jure, nè sequatur processus in infinitum. Et nihilominus ille modus est in se ipso finitus, & limitatus. Quare? Dicent: quia ex suâ essentiâ ordinatur, ut recipiatur in alio, cum quo componat. Dico similiter, Angelum indistinctum à suâ existentiâ se ipso ordinari ad recipiendum aliud, cum quo componat; ac proinde esse finitum, & limitatum.

115 Instas demum. Esse subjectum receptivum accidentium est proprietas substantiæ finitæ: ergo per prius intelligitur esse finitam: ergo, quòd sit composita ex essentiâ, & existentiâ. Transmisso enthym. nego cons. Ut substantia intelligatur finita, & limitata, sat est; quòd intelligatur abalietas: sic enim intelligetur potentialis, non equidem potentialitate physicæ receptionis, sed metaphysicâ essentialis imperfectionis. Adde retortionem: esse physicè receptibilem est proprietas formæ finitę, sive substantialis, sive accidentalis: ergo per prius intelligitur formam esse finitam: ergo, quòd sit physicè composita ex essentiâ, & existentiâ; hoc non: nam aliter substantialis modus existentię non esset forma finita. Directe, nego ant: nam de ratione substantiæ creatæ est esse radicem physicam suarum proprietatum; in conceptu autem physicæ radicis involvitur formaliter

tùm virtus activa accidentium, tùm virtus illorum receptiva: ac proinde esse subjectum receptivum accidentium non est proprietas, sed essentia substantiæ finitæ.

116 Ut alias instantias præoccupes, hæc notabis. 1: existentia est ultima actualitas de lineà entis, quà præcisè ens exercitè, & absolutè est; non autem quà est ens perfectum omni perfectione reali. Hinc Angelus identificans suam existentiam non propterea identificaret omnem actualitatem de lineà entis. 2: actus purus, & expers potentialitatis in aliquà lineà dicit tùm negationem compositionis, tùm omnem perfectionem de tali lineà. Infertur, Angelum habentem sine compositione physicà suam existentiam, sive de facto, sive de possibili, non esse actum purum in lineà existendi: neque enim haberet perfectionem independentiæ, & necessitatis in existendo. 3: da, quòd Angelus identificans suam operationem non dependeret à Deo in operando; non propterea sequitur, quòd identificans suam existentiam non dependeat à Deo in essendo. Disparitas est: nam ut creatura dependeat à Deo in operando, requiritur, quòd ipsi existenti possit à Deo impediri ejus operatio; quòd implicat, si identificet suam operationem. At, ut dependeat in essendo, sufficit, quòd possit à Deo produci, &

des-

destrui; quod stat, etiam si identificet suam existentiam. 4: si quæratur, cur substantia creata est susceptiva accidentium, respondebis, quia est finita, & limitata; si deinde quæratur, cur est limitata, non respondebis, quia est susceptiva accidentium, sed quia est ab alio. Unde vitabis vitiosum circulum, quem dificilè vitant Adversarij. Quære: cur substantia creata est finita? Respondebunt: quia est composita ex actu, & potentiâ. Quære iterum: cur sic est composita? Nisi ad responsionem nostram accedant, respondere tenentur: quia est finita, & limitata; & incident in circulum vitiosum.

117 Diutiùs, quàm vellem, in explicandâ Dei simplicitate immoratus sum; sed non absque utilitate: multas enim communes Iesuitarum sententias, quibus deinceps subscribam, Adversarij, præcipuè Thomistæ, impugnant argumentis petitis ex Dei simplicitate, ex ratione actûs puri, atque ex negatione omnis potentialitatis. Ista verò argumenta evanescent ex modò anticipatis circa divinæ simplicitatis attributum.

SECTIO X.

De Æternitate Dei.

118 TEmpus est numerus motuum secundùm prius, & posterius. Ævum est duratio rerum naturâ suâ incorruptibilium, quę

quę tamen per adventum, & deceſſum perfectionum immutari poſſunt. Æternitas eſt rei neque incipientis, neque deſinentis duratio; quòd ſi res non incipiat eſſe, dicitur duratio ejus æterna à *parte ante*; ſi verò nũquam amiſſura ſit eſſe, dicetur æterna à *parte poſt*: abſolutè autem erit æterna, ſi utramque interminatam durationem à parte antè, & à parte poſt complectatur. Æternitas pleniſsimè, & ſumpta pro famoſiori eſt duratio entis omnino indefectibilis excludentis mutationem omnem tùm in ſuo eſſe, tùm in ſuâ perfectione. Hæc explicatio deſumitur ex Boetio, 5. de Conſol. proſ. 6: *Æternitas eſt interminabilis vitę tota ſimul, & perfecta poſſeſsio.*

119 Concluſio. Deus eſt ęternus. Eſt de Fide, & definita in cap. *Firmiter* de Summâ Trin. Ex Scripturis adduxiſſe, ſufficiat illud Iſaiæ 57. *Excelſus, & ſublimis habitans ęternitatem.* Pro Patribus audiendus Athanaſ. in Symb. *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; unus* (Deus) *æternus.* Accedit ratio demonſtrativa. Deus eſt à ſe: ergo non incepit eſſe. A quo enim principio haberet eſſe, quod antea non habuiſſet? Si autem cogitetur tale principium; Deus non eſſet à ſe: ſed illud aliud principium eſſet à ſe, ac proinde eſſet Deus. Rurſus: ergo Deus non deſinet eſſe. Quę enim eſſet cauſa, cujus ceſſante actio-

tione, Deus, qui est à se, esse desineret? Egregia autem implicatio in terminis est, quòd entis à se alia sit causa, à qua habeat esse, & in esse accepto permaneat. Atqui illud ens est absolutè æternum, quod neque incipit esse, neque esse desinet: est enim æternum à parte ante, & à parte post: ergo Deus est æternus.

120 Confirmatur: mutabilitas est imperfectio: ergo Deus ens optimum est immutabilis. Atqui maxima omnium mutationum est inceptio, & desitio: ergo nec incepit, nec desinet esse: ac proinde est absolutè æternus. Antecedens, ex quo pendet discursus, est lumine naturæ notum, & in nobis ipsi percipimus propriam naturæ imperfectionem, & limitationem ex eo, quòd non fuerimus, quòd non erimus, & quòd in bonum, & in malum *mutamur in horas.*

121 Infer. 1: Deus est necessariò æternus. 2: est essentialiter, & à se ipso æternus. 3: est plenissimè, & antonomasticè æternus. Ratio hujus: nam Deus possidet simul, & perfectè totam suam vitam, perfectionem, & existentiam interminabilem, hoc est, sine termino tàm à parte ante, quàm à parte post. Sed hæc possessio est æternitas plenissima, & antonomasticè talis: ergo. Iterum: quidquid in Deo est, Deus est; Deus autem est æternus: ergo pariter existentia, vita, & quælibet Dei per-

perfectio est æterna: ergo Deus posſidet simul, & perfectè totam ſuam interminabilem vitam, ſingulas, & omnes ſuas perfectiones, & exiſtentiam. Audiatur rurſus Boetius nuper cit. ſic concludens. *Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac poſſidet, cui nec futuri quidquam abſit, nec præteriti fluxerit, hoc æternum eſſe jure perhibetur. Idque neceſſe eſt, & ſui compos, præſens ſibi ſemper aſſiſtere, & infinitatem temporis mobilis habere præſentem.*

122 Objic. 1: æternitas eſt duratio; duratio Deo repugnat: ergo & æternitas. Prob. min: duratio includit partes ſucceſsivas: ideò enim res una dicitur durare magis, quã alia, quia partes durationis unius rei exiſtunt tranſactà duratione alterius rei. Sed Deo repugnat omnis ſucceſsio: ergo. 2: duratio eſt menſura rei durantis: tandiu enim res eſt, quandiu durat; & propterea aliqua eſt menſura, ut cognoſcatur, *quandiu res durat*: quæ menſura non poteſt eſſe alia, niſi duratio. Atqui Dei nulla menſura eſſe poteſt: tùm quia infinitum, & illimitatum menſurari nequit; tùm quia menſura Dei eſſet indiſtincta æternitas, & inter menſuram, & menſuratum dari debet diſtinctio: ergo.

123 Ad 1. conceſ. maj. nego min. & maj. prob. Ideo res una magis durat, quàm alia, quia

quia una pluribus partibus temporis coexistit, & alia paucioribus: & sic magis durat homo coexistens partibus unius anni, quàm alius coexistens partibus unius mensis. Insurgis statim: ad hoc requiritur duratio intrinseca successiva. Negant hoc multi; de rebus creatis id concedo: quod docui in Philosophiâ. Sed non valet consequentia ad Dei intrinsecam durationem: cùm res creata sit indifferens ad existendum, vel non existendum in hoc determinato instanti, in pluribus, vel paucioribus; Deus autem essentialissimè sit determinatus ad semper existendum.

124 Ad 2. concess. maj. nego min: nam æternitas est mensura divini esse, ut contra aliquos rectè explicat Granad. tract. 3. d. 5. sec. 4. secutus sententiam D. Thomæ. Si quæras, *quantum Deus duret*, non recurrendum est ad tempus, aut ad aliud Deo extrinsecum; cùm sufficienter recurratur ad formalitatem æternitatis. Æternitas est tota simul, & perfecta possessio vitæ interminabilis; soli autem Deo convenit ista possessio: unde dignoscitur in Deo esse æternitatem, & tantum divinum esse durare, quantum postulat ipsius æternitas; hoc est, semper. Hoc, & nihil aliud est æternitatem esse mensuram activam divini esse. Ad 1. min. probationem. Infinitum, & illimitatum mensurari nequit mensurâ finitâ; potest tamē

men-

mensurà infinità: nam sicut infinitum mensuratum non habet terminum, ita & termino caret infinita mensura. Ad 2. prob. Sicut inter intellectum, & intellectionem non debet in Deo dari realis distinctio, sed sufficit formalis; sic inter mensuram, & mensuratum. Et quidem ut cognoscamus æternitate mensurari divinum esse, requiruntur nostræ præcisiones; sed non in istis consistit ratio mensurati, & ratio mensuræ: sed in ijs divinis perfectionibus, quæ præbent fundamentum ad distinctionem rationis.

125 Objic. 3. Dei æternitas concipi nõ potest, nisi facto recursu ad infinitas entitatulas negativas, quæ ab æterno præcesserint; vel saltem ad infinitum tempus imaginarium, cui Deus verè coextiterit. Uterque recursus absurdo non caret; ergo Deus non est æternus. 4: æternitas divina erit indivisibilis, & tota simul: ergo omnia, quæ coexistant æternitati divinæ, sibi mutuò coexistent, quod apertè falsum est. Probatur cons: quæ identificantur uni tertio indivisibili, identificantur mutuò inter se: ergo quæ coexistant divinæ æternitati indivisibili, mutuò inter se coexistent.

126 Ad 3. nego maj: æternitas siquidem Dei rectè concipitur per necessitatem semper existendi, & coexistendi tempori syncathegorematicè infinito possibili, in quocumque instan-

ranti, quod fuisset, & tempori syncathegorematicè possibili in infinitum, quod erit. Recursus ad infinitas entitatulas negativas, quæ præcesserint, mihi absurdissimum est: vel enim essent à se, quod est absurdo majus; vel essent à Deo. Si hoc: cùm dicantur esse necessariæ ad explixandam Dei æternitatem, non liberè, sed necessariò profluent à Deo dante illis esse, ijsdemque Deus indigebit; quod etiam est majus absurdo. De his latè egi in Philosophia, & videri potest Munièssa hìc disp. 13. s. 1. Recursus ad infinitum tempus imaginarium, in quo Deus verè extiterit, est fictitius: tempus enim imaginarium nihil fuit; ac proinde in illo Deus non potuit verè existere, aut illi verè coexistere. Erat Deus ante tempus, sed non in tempore, sed in suà æternitate. Hęc facilè capiuntur, sed non facilè explicantur; nam à fortiori de æternitate divina dicendum est, quod de tempore dixit Augustinus, 11. Conf. c. 4: *quid sit tempus. si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.*

127 Ad 4. concef. ant, nego, consf: Intellectiones successivæ coexistunt Angelo indivisibili, & evidenter est falsum, quòd mutuò coexistant inter se. Dices: quamvis eæ intellectiones coexistant eidem substantiæ Angeli indivisibili, non tamen coexistunt eidem durationi indivisibili; æternitas autem Dei est

indivisibilis duratio. Occurro: duratio intrinseca Dei est indivisibilis; sed pariter est infinita: quapropter quę inter se durationę distant, coexistunt divinæ æternitati, unumquodque secundùm suam propriam durationem. Probatio consequentiæ non urget: nam si non essent idem inter se, quæ identificantur uni tertio, essent, & non essent illud idem unum tertium; quod evidenter implicat. At ex eo, quòd non coexistant inter se, quæ coexistunt indivisibili durationi divinæ, non infertur, quòd huic divinæ durationi coexistant, & non coexistant pro durationę propriâ, qua unumquodque existat. Ex hac indivisibilitate divinæ æternitatis non inferri, futura physicè coexistere Deo in ęternitate ab ęterno; neque inferri Deum ab ęterno physicè coexistere futuris, in de Deo Sciente explicabimus.

SECTIO XI.

Prosequitur materiam præcedentis.

n. 8 ROgabis: quæ sit ęternitas propria Dei, & quæ creaturę non possit communicari? Duo hìc disputanda sunt. 1: an sit possibilis creatura essentialiter ab æterno existens? 2: an sit possibilis creatura, quæ semel producta essentialiter in æternum existat? Notabis istud adjectum *essentialiter* sumi pro necessitate metaphysicà, quam vinci sit omnino

nino impossibile ; non autem pro exclusione principij , à quo habeat esse : cùm de ratione creaturæ sit , quòd sit ab alio. Audiendi non sunt, qui essentialem illam æternitatem à parte ante , & à parte post posse creaturæ convenire concedunt eo præcisè , quòd ejus æternitas non habeatur à se, sed ab alio.

129 Contra istam cogitationem est nam omne divinum attributum eo , quòd sit à se, habet talem , & tantam perfectionem in suâ linea , ut creaturę convenire non possit. Sic Dei Scientia est comprehēsiva ipsius Dei, & cùm hac plenitudine non potest convenire creaturę. Sic Omnipotentia est virtus ad infinitos effectus perfectiores, & perfectiores, & hoc modo incommunicabilis est creaturæ. Probaitaque , quod numquam probabis , ratione aseitatis solius non convenire Deo necessariam prorsus ęternitatem à parte *ante*, & à parte *post*.

130 Æternitatem à parte *post* esse communicabilem creaturæ , & communicatam esse Angelo , & homini , quibus destinata est ęterna sors fœlicitatis , aut infœlicitatis, certum est de Fide; substantias autem spirituales esse naturâ suâ indestructibiles citra metaphysicam durandi necessitatem , communis, & vera Philosophorum , & Theologorum sententia est. Æternitatem à parte *ante* repug-

nare creaturæ, quod in Philosophiâ docui, mihi certissimum est ex Patribus videndis apud Petavium t. 1. dogmat. lib. 3. c. 6. per totum; sed in præsenti admitto, rem creatam saltem permanentem potuisse ab æterno existere: quæ est probabilissima sententia cum D. Thomâ, Suario, Vasquio, quos sequitur Peinadus 8. Physic. d. unic. sect. 2.

131 Respondeo ad quæstionem propositam. Æternitas plenissimè, & antonomasticè accepta est propria solius Dei; impossibilis est creatura, quæ essentialiter ab æterno existat; pariter impossibilis est creatura, quæ semel producta, essentialiter existat in æternum. Pars 1. conclusionis evidens est ex explicatione datâ n. 117. & elucidatâ n. 120. Prob. 2. pars: nam essentialissimum est creaturæ, ut possit non fuisse; id non haberet creatura, quæ essentialiter peteret ab æterno existere: si enim non fuisset, defeciisset terminus suæ exigentiæ essentialis; quod egregia implicatio est: ergo. Maj. ex terminis videtur nota; & mihi evidentissimè probatur ex PP. docentibus impossibilitatem creaturæ ab æterno existentis. Athanas. in 2. contra Arianos disp: *Tametsi Deus possit semper facere; at res creatæ æternæ esse non possunt: quippe ex non extantibus sunt, & non erant, antequàm fierent; quæ autem non sunt, antequàm fiant, potuerunt cum Deo, qui semper est,*

est, existere? Cyrill. Alexandrin. lib. 32. Thesaur. probans ex eo, quòd Verbum in principio fuit, non esse creatum: *quid enim omnino per creationem, ad hoc, ut esset, deductum est, non potest intelligi à principio extitisse.* Maximus Martyr lib. de Charit. cap. 6: *ex æterno cum Deo creaturas existere, fieri non potest: quomodo enim cum eo, quod omnino est infinitum, simul existere possunt ab æterno, quæ omnino definita sunt; aut propriè opera sunt, si opifici coæterna?* Hæc argumenta Patrum evincunt, si non impossibilitatem creaturæ contingenter existentis ab æterno, certè impossibilitatem creaturæ essentialiter abæternæ.

132 Prob. 3. pars: nam quod potuit esse ex nihilo, potest ad nihilum reduci; sed essentiale est creaturæ potuisse esse ex nihilo: ergo, & posse ad nihilum adduci: ergo impossibilis est creatura, quæ semel existens in æternum existat essentialiter. Maj. suadetur: quia eo modo, & certiùs explicatur essentialis mutabilitas creaturæ; nempè mutatio per inceptionem, cùm ex nihilo esse possit; & mutatio per desitionem, cùm possit ad nihilum reduci. Urgetur: aliter non bene explicatur supremum Dei dominium, ac per consequens nec bene explicatur summa creaturæ subjectio ad Deum. Expende illud Sap. 11: *quomodo aliquid posset manere, nisi tu* (Deus) *voluisses?*

Hoc est, nisi voluisses, ut maneat; non præcisè, nisi tu voluisses, ut inciperet esse. Expende illud Augustini 5. de Genes. ad litt. c. 20. explicantis divinum Dominium per hoc, *quòd, si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intereant.* Requiritur igitur, quòd à creatura possit Deus suam operationem subtrahere, & quòd sic possit facere, quòd creatura intereat. Et quidem tot sunt pro re istâ Scripturę, & Patrum testimonia, ut Suarius, Vasquius, & multi alij hanc doctrinam esse de Fide judicent apud Quirós tr. 3. de Vis. Dei s. 1. n. 2.

133 Arg. 1. Da, quòd Deus creaverit Angelum ab æterno, & quòd illi infuderit actum supernum fidei, qui reflectat super se, sic enuncians de se ipso: *sum ab æterno, & in æternum.* Iste actus supernus esset intrinsecè, & essentialiter æternus à parte *ante*, & à parte *post*. Ostenditur: est intrinsecè, & essentialiter verus; sed non potest esse verus intrinsecè, & essentialiter, nisi sit utrinque æternus: ergo iste actus est essentialiter, & intrinsecè utrinque æternus. Maj. supponitur; & min. constare debet: nam hoc est, quod actus ipse enunciat: quapropter si posset non esse ex aliquâ parte æternus, posset esse falsus; cùm autem sit essentialiter, & intrinsecè verus, falsus esse non poterit. Ne tentes argumenti so-

lu-

lutionem, asserendo intellectionem includere actionem essentialiter successivam, seu determinatam ad hoc *nunc*, in quo de præsenti est: ut docui in Philosophiâ; admittenda nunc est sententia ostendens intellectionem in qualitate absolutâ, & permanente: aut etiam in actione, quæ non sit essentialiter successiva, quę determinetur ad hoc *nunc* per durationem superadditam.

134 Do hypothesim argumenti, & nego desumptam propositionem: ille enim actus existeret contingenter ab æterno; & absolutè contingenter in ęternum. Ad prob: est intrinsecè, & essentialiter verus, sumpto ly *est* conditionatè, & in vi copulę, conc; absolutè, & in vi verbi, nego maj. Explica distinctionem exemplo hujus propositionis: *homo est intrinsecè essentialiter homo.* Ex distinctione constat ad reliquum argumenti. At ille actus non potest esse falsus. Verum est; sicut falsę esse non possunt propositiones, quę ęternæ veritatis dicuntur. Quid si ab æterno non existeret? Non falsificaretur: scientia enim, quæ impeditur, nihil enunciat, & sic falsificari non potest. Si instaures argumentum hoc modo; enunciet actus ille supernus hąc tendentiâ: *ego sum essentialiter ab æterno, & in ęternum*: nugaberis. Esset, & non esset essentialiter ab æterno: esset, ut conaris; non esset,

quia cùm sit quid creatum, potuit ex nihilo esse.

135 Arg. 2. Quod proprium est solius æternitatis divinæ, est, quòd necessariò, essentialiter existat semper; sed creatura ex suis intrinsecis essentialibus ab æterno existens, dummodo non exigat essentialiter durare in æternum, non semper existeret necessariò, & essentialiter: posset enim destrui: ergo.

136 Nego maj: id enim, & simultatem totius, & interminabilis vitæ possessionis perfectæ postulat essentialiter Dei plenissima æternitas; cui non esset satis necessariò, & essentialiter semper existere. Unde si aliquid æternitatis divinę, quod non esset communicabile creaturæ, sufficeret, ut Dei æternitas explicaretur, esset possibilis creatura essentialiter ab æterno, & in æternum existens; adhuc enim non esset communicabilis creaturæ tota simul, & perfecta possessio vitæ interminabilis. Atqui argumentum, quod solvimus, supponit, non esse possibilem creaturam exigentem essentialiter ab æterno, & in æternum existere: ergo.

137 Arg. 3. Creatura exigens essentialiter durare in æternum, dummodò potuerit non extitisse, possibilis est: & sic excogitatur ille actus supernus, *ego in ęternum sum*; qui quidem actus admitti debet in visione beatificà,

ficâ, qua Cœlites ſecuri infallibiliter ſunt de perpetuitate ſuæ beatitudinis: ergo eſt poſsibilis creatura eſſentialiter æterna à parte *poſt*; imò de facto talis eſt viſio beata. Prob. ant: æternitas propria Dei, & creaturæ repugnans eſt neceſsitas antecedens, & indefectibilitas in exiſtendo. Sed creatura exigens eſſentialiter durare in æternum, dummodò potuerit non extitiſſe, neque eſſet antecedenter neceſsitata ad exiſtendum, neque eſſet indefectibilis: ſi enim non extitiſſet, deficeret in æternũ, quamvis exiſteret, in æternum duraret, & eſſet eſſentialiter indeſtructibilis: ergo. Conſ: poſsibilis eſt creatura eſſentialiter impotens conſervari: ergo & quæ ſit eſſentialiter incapax deſtructionis: ergo &c.

138 Conſtat ex dictis ad arg. præcedens, non ſtatim hunc, vel illum æternitatis modum eſſe poſsibilem in creaturâ, quia adhuc non pertingeret ad perfectionem divinæ æternitatis. Hinc ſicut C. Lugo, Eſparza, & Munieſſa admittunt poſsibilem creaturam eſſentialiter indeſtructibilem; quia non eſſet antecedenter neceſſaria in exiſtendo, neque eſſet ſimpliciter indefectibilis à parte *poſt*, ſed ſolùm ex contingenti ſuppoſitione, quòd exiſtat ſemel: ſic eodem diſcurrendi modo dici poſſet, non eſſe impoſsibilem creaturam eſſentialiter determinatam ad exiſtendum ali-

quando, & in æternum, dummodò non fuerit essentialiter determinata ad existendum ab æterno. Imò eodem modo dici posset, esse possibilem creaturam essentialiter determinatam ad existendum ab æterno, & in æternũ, dummodò incapax adstruatur habendi totam simul, & perfectam interminabilis vitæ possessionem. Nego itaque ant. arg. ad cujus prob. constat ex præmissis. Quod additur de securitate, quam habent Beati de perpetuitate sui statùs, explicabitur, quin admittatur visio, aut alius supernus actus, qui in individuo sit indestructibilis, Deo dante, in eo de Beatitudine tract: & videri potest Viva ibi disp. 1. q. 10.

139 Ad conf. concess. ant. nego conf. Admisi in Philosophiâ modos durationis rei creatæ essentialiter successivos. Disparitas, ut non valeat consequentia ad creaturam essentialiter destructivam, hæc est: quia ex ipsis terminis videtur implicatorium, quòd creatura ex propriâ perfectione Deum essentialiter necessitet, ut ipsi conservet illud esse, quod ex liberalitate, & abundantiâ suæ bonitatis illi contulit; quod derogat perfectioni divini dominij. At non est implicatio in ente creato, quòd tale ob propriam imperfectionem sit, ut illi non possit Deus conservare illud, quod ipsi semel donavit; & pro possibilitate talis entis

entis ſtant efficaciſsima argumenta, quibus probatur modus durationis creatæ: quę videri poſſunt aqud Peinadum 4. Phyſic. d. 3. ſec. 2. Adde: creatura inconſervabilis eſſet planè mutabilis; poſſet enim incipere, & deſinere; deſinere autem non poteſt creatura deſtructionis eſſentialiter incapax. Adde: de ratione divini dominij eſt, quòd res intereat, ſi Dei operatio ſubſtrahatur; ſubſtrahetur neceſſariò à re intrinſecè inſtantaneà ex ſuppoſitione, quòd ſit: creatura verò eſſentialiter in ęternum duratura eſſet impotens perire ex ſubſtractione illà. Adde: in omni perfectione creatà perveniri non poteſt ad creaturam omnium maximam, ſecùs ad omnium minimam: ut docui in Philoſophià cum communiſsimà ſententià. Durare autem eſt perfectio creata: ergo eſt impotens creaturæ convenire eſſentialis duratio in ęternum, quæ eſſet in hoc genere omnium maxima, & poteſt creaturæ convenire minima omnium duratio: nempè eſſentialiter inſtantanea.

140 Inſtas. Probetur aliunde impoſsibilitas actùs ſupernaturalis de ſe enuncians durationem in æternum. Si hoc non præſtemus, non aliunde probabimus eam impoſsibilitatem, niſi ex ejus indeſtructibilitate, quod eſt petitio principij. Urg: à conſervatione eſſentialiter in æternum exactà ad abæterni-

ta-

tatem pariter essentialiter exactam non est consequentia : ergo possibilis est creatura essentialiter in æternum duratura. Ratio ant: nam ex eo, quòd creaturę permanentes intrinsecè naturaliter exigant suam durationē, non est consequentia, ut naturaliter intrinsecè exegerint suam antecedentem existentiam: ergo &c.

141 Ad inst. occurritur : nam eodem modo petam ab his, qui possibilitatem creaturæ essentialiter abæternę jure negant, ut aliunde probent ejus creaturæ impossibilitatem ; & similiter id ipsum petam ab ijs, qui rectè negant possibilitatem creaturæ exigentis incipere, & in æternum essentialiter durare. Directè: non petimus principium in nostris probationibus ; sed impossibilitatem illius actùs supernaturalis probamus ex essentiali mutabilitate creaturæ, ejusque essentiali subjectione ad Dei dominium : ex his enim principijs oritur impossibilitas illius actùs.

142 Ad urg. nego ant: nam sicut creatura in æternum essentialiter duratura posset deficere per totam æternitatem, ita quę essentialiter exigeret abæternitatem, posset deficere per totam æternitatem à parte post. Ad prob. ant. est disparitas : ante primam creaturę permanentis productionem nihil est, quod exigat productionem; ipsa enim creatura, cùm non

non sit, nihil potest exigere. At semel existens ipsa suam conservationem exiget: nempè si desit contrarium, & adsit causa conservativa. Hinc Patres dicunt, creationem esse opus gratiæ, & meræ voluntatis divinæ; & de conservatione rebus de se permanentibus debità illud habemus: *sine pœnitentiâ sunt Dei dona.* Vide Quirozium in Indice ad D. Thom. quæst. 10. art. 3. à n. 20.

SECTIO XII.

De Immensitate Dei.

143 PRo explicatione hujus divini attributi revoca in memoriam, quæ in Philosophiâ didicisti de loco tùm extrinseco, tùm intrinseco, tùm reali, tùm imaginario. Immensitas est intima præsentia per essentiã, & propriam entitatem omnibus locis, rebus que omnibus, qualiter anima præsens est corpori. Non hìc agimus de modo essendi, quod determinatè dicitur per *præsentiam* condistinctè ad essendi modum per essentiam: ille enim modus est intentionalis, hoc est, per cognitionem; qualiter intellectus præsens est rebus, quas cognoscit. Nec loquimur de præsentiâ per *potentiam*, sive per operationem: qualiter causa præsens est rebus, quas producit. Duo isti modi concernunt intellectum, & omnipotentiam Dei; de quibus celsissimis attributis modò non agimus.

Con-

144 Conclusio. Deus est immensus. Est de Fide: quam profitemur in Symb. Athanas. *immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus; non tres immensi, sed unus immensus.* Ex Scripturis adest illud Hierem. 13: *Cœlum, & terram ego impleo.* Et illud Sap. 1: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Ex quo loco Ricardus Victorinus, de missione Spiritus Sancti pulchrè arguit: *Si est ubique terrarum, quantò magis ubique Cœlorum? Erit igitur ubique locorum.* Thesaurum eruditionis sacrę pro Dei immensitate habes apud Petav. t. 1. dogmat. lib. 3. c. 7. Demonstratur à ratione naturali: nam esse substantiam rebus intimè præsentem, hoc est, penetrativè, est perfectio sine imperfectione: ergo substantia, quò perfectior est, eò pluribus rebus est præsens; ut patet in animà rationali, quæ præsens est toti corpori, & singulis ejus partibus. Constat autem evidentissimè, Deum esse substantiam infinitè, & summè perfectam: ergo est intimè præsens rebus omnibus, quotquot existant; quod est esse immensum. Antecedens ex terminis notum est: nam substantiam alicui rei non esse intimè præsentem imperfectio limitationis est; est namque circumscribi loco, eoque contineri: ergo è contrario substantiã esse intimè præsentem, &c. Urgetur: da rem creatam existere, & quòd illi Deus non sit

per

per essentiam præsens. Poterit nè esse deinceps præsens, vel non? Si hoc: ergo in Deo est limitatio, & coarctatio ad locum; quod est apertissimè imperfectio. Si illud: ergo in Deo esset mutatio, quod implicatorium est. Sequitur tamen: nam illud accidere non posset sine mutatione; sed hæc non esset ex parte creaturæ, quæ eamdem existentiam, eamdem que ubicationem retineret: ergo ea mutatio esset in Deo.

145 Itaque, Deum esse immensum est *communis animi conceptio, & veritas, qua naturali instinctu omnes ita sentiunt*, ut ex communi Philosophorum sensu dixit Plotinus. Contrarius error tribuitur Aristoteli opinanti Deum esse solùm in summo Cœli culmine, unde incipit motus primi mobilis. Immensitatem Deo denegavit VVostrius Calvinista asserens Deum esse in Cœlo dumtaxat, non in rebus omnibus. Basso l, & Smising. docuere non esse naturali ratione demonstrabilem Dei immensitatem; sed ex dictis constat, quàm immeritò hoc docuerunt. Dissipandæ veniunt nubeculæ, quibus hæc veritas obscurari posset.

146 Obj. 1. Dedecet, ut divina majestas sit intimè præsens rebus vilissimis, imò & effectibus, à quibus moralis turpido separari non potest; ergo Deus non est ubique, atque adeo

adeo non est immensus. Nego ant: corrigatur per rationem humana imaginatio. Rebus assignatis subsistantia sine indecentia præsens intimè esse non potest, quoties ab ijs rebus per qualitates disconvenientes mutari, & deturpari posset; hujus autem mutationis Deus incapax est. Rursus: res sunt turpes tùm physicè, tùm moraliter, quas vir honestus, & prudens non potest videre, & operari sine dedecore, at res ejusmodi Deus videt; & illas ex munere cáusæ universalis operatur absque omni indecentia; quod est in illis esse per præsentiam, & per potentiam: ergo pariter sine indecentia illis per essentiam est præsens.

147 Obj. 2. Si Deus est intimè præsens rebus omnibus, hæ omnes erunt præsentes intimè inter se; hoc est evidenter falsum: ergo. Prob. maj: Deus esset intimè præsens rebus omnibus per immensitatem indivisibilem: ac proinde illę essent intimè præsentes indivisibili immensitati. Cogita punctum A indivisibile: sit intimè illi præsens Petrus, atque etiã Paulus; necessarium erit, quòd Petrus, & Paulus compenetrati, & intimè præsentes inter se sint. Ergo similiter compenetratę inter se erunt res, quæ indivisibili immensitati intimè præsentes sint. Simile argumentum solutum est suprà n. 126. loquendo de indivisibili Dei æternitate. Nego maj. cujus prob. non urget:

nam

nam immensitas indivisibilis est pariter infinita; quapropter facit Deum præsentem rebus non solùm expenetratis, sed etiam semotis per interpositam localem distantiam. Punctum indivisibile non est infinitum: quapropter necessum est, ut quæ cum illo penetrantur, pariter penetrentur inter se. Itaque quæ inter se non sunt penetrata, intimè præsentia sunt Deo; sed unumquodque secundùm suum *ubi* intrinsecum: quod est finitum. Hæc doctrina modo alio communiter explicatur, asserendo, Dei immensitatem indivisibilem realiter esse virtualiter divisibilem: unde quæ præsentia sunt immensitati secundùm distinctas virtualitates non sunt intimè inter se præsentia quoad locum.

148 Obj.3. Deus non est præsens extra mundum: neque enim extra mundum aliquid est; nam quidquid non est in mundo, vel sunt spatia imaginaria, aut negationes, aut impossibilia, aut demum merè possibilia: quodcumque autem ex enumeratis nihil est, non est. Ergo mundus est locus commensuratus Deo; sed mundus non est immensus: ergo nec Deus. Ratio cons. quia repugnat, duo hoc modo commensurari, ut unum tantùm sit in loco, in quo aliud est, & quòd unum sit immensum, & alterum non sit. Nego ant; & cadit reliquum; nam Deus extra mundum in se ipsos

so, in suà immensitate est; & non est alibi, quia extra mundum non est istud *alibi*. At, inquis, Deus extra mundum non est in loco aliquo positivo, aut in aliquà reali entitate. Verum est; sed non propterea immensus non est. Ostenditur: nam quod non sit in loco reali extra mundum, & quòd non fuerit in loco reali ante mundum, non provenit ex limitatione in Deo; sed ex defectu loci realis. Et hinc, quamvis Deus non sit in loco, in quo mundus non est, non sequitur, quòd mundus sit immensus: nam quòd mundus alibi non sit, non provenit dumtaxat ex defectu loci realis, sed etiam, & præcipuè, ex ipsius mundi limitatione.

149 Ut probes, immensitatem Dei non esse naturali ratione demonstrabilem, dicas. 1: ægrè probatur immensitas, nisi ex præsentià Dei in spatijs imaginarijs; sed non est evidens, sed ad summum est probabile, Deum ijs spatijs esse præsentem: ergo. 2: præcipua demonstratio divinæ immensitatis desumitur ex eo, quòd Deus res omnes operatur; sed hæc probatio firma non est: ergo.

150 Nego maj. 1. objectionis. Docui in Philosophià, Deum non esse in spatijs imaginarijs. Rationem dedi ex Angelico in 1. d. 37. a. 1. *In quocumque est aliquid, illud oportet esse: quia in nihilo nihil omnino est.* Sed spatia imagina-

ginaria, dum tantùm imaginaria sunt, non sunt: ergo Deus in illis non est. An non est extra cœlos? Abs dubio; sed non extra cœlos in spatijs imaginarijs: nam ad hoc requiritur, quòd extra cœlos sit Deus, & sint illa spatia; Deus evidentissime extra cœlos est, sed evidentissimè extra cœlos illa spatia non sunt. At ubinam, & in quo Deus extra cœlos est? Audi Tertullianum lib. contra Praxeam c. 5. *Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi mundus, & locus, & omnia.* Audi Augustinum lib. de Fide c. 37. asserentem, fuisse Manichæorum dementiam inquirere, *ubi erat Deus antequàm esset cœlum, & terra; quia*, inquit, *cùm nihil esset tunc, nisi Deus, non in alio, nisi in se ipso esse poterat.*

151 Reclamas: sed ipse Augustinus 11. de Civit. c. 5. *vaniloquij* notam affigit negantibus, Deum esse in spatijs imaginarijs. Hoc nego: nam disputat contra illorum errorem, qui dixere, Deum ab æterno produxisse mundum, quia cogitabant infinita spatia temporis ante mundum (si incœpisset, ut incœpisse, de Fide est) in quibus asserebant, Deum ab operatione vacare non potuisse. Cogitent pariter, arguit Augustinus, infinita spatia locorum extra mundum, *in quibus, si non potuit ab operatione vacare Deus, infinitos mundos somniare cogentur.* Quòd si in istis cogitatis loco-

rum ſpatijs vacare ab operatione potuit Deus; cur vacare non potuit in infinitis ſpatijs temporis cogitatis? Hoc eſt intentum Auguſtini; non autem, quòd Deus ſit in ſpatijs imaginarijs locorum, ſicut nec quòd fuerit in infinitis ſpatijs temporis imaginarij.

152 Ad 2. object. nego maj: probata namque manet immenſitas Dei evidenti ratione naturali ex titulo perfectionis ſine imperfectione, & ex Dei immutabilitate. Non itaque eſt opus, recurrere ad Dei operationem producentis res omnes. Docui in Philoſophiâ ex operatione immediatâ non inferri intimam agentis præſentiam, imò nec localem indiſtantiam; quod à fortiori urget loquendo de Deo. Ratio: quia quò agens perfectius eſt, eò minori indiget approximatione ad paſſum, & ad effectum; ſed Deus eſt agens infinitè perfectum: ergo non indiget maximâ approximatione ad effectum, & ad paſſum; quæ maxima approximatio eſſet intima præſentia penetrationis. Ergo ex eo, quòd Deus operetur *ubique*, non infertur, quòd *ubique* ſit. At, dices, Deus operatur per virtutem ſibi intraneam; agens autem, quod in diſtans operatur, ut Sol diffundens lucem, operatur per virtutem extraneam; hoc eſt, à ſe foras emiſſam. Contrà: quia agens intimè operativum, quodcumque ſit, non emittit foras ſuam

vir-

virtutem, sed suam actionem, atque effectum: ergo nulla est infinuata disparitas.

153 Insurgis. Eà demonstratione utitur Angelicus hac q. 8. a. 1. Et meritò: quia ex Scripturâ desumitur. 1. ex illo Ps. 138. *si ascendero in Cœlum, tu illic es:: etenim illuc manus tua deducet me.* Ergo ex operatione Dei adducentis evincitur Dei præsentia. 2. ex Paulo Act. 17. *Non longe abest ab unoquoque nostrùm; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Ergo Dei operatio demonstrat ejus præsentiam. Occurro: Angelicus utitur illà argumentatione; sed non dicit, esse demonstrationem: unde satis est, quòd probabilitatem habeat. Est igitur utilis ea argumentatio, ut ostendatur, argumenta contra immensitatem non concludere evidenter, cùm contra se habeant argumentum probabile. Non acquiescis, & infers: ergo Angelicus non demonstravit immensitatem Dei. Respondeo: convincerer, si in eo articulo legissem titulum, quem posuit art. 2. q. 2: *utrùm, Deum esse, sit demonstrabile*? Demonstrationem pro immensitate, & pro aliquibus alijs attributis habemus ex Angelico alibi demonstrante, Deum esse infinitum essendi pelagus, esseque immutabilem; & ex his principijs ratione evidente probavimus suprà, Deum esse immensum.

154 Ad arg. ex Scripturâ. Duo ab eo

utentibus probari evidenter debent: & Sacri Scriptoris intentum esse, probare Dei intimã præsentiam; & evidenter constare, Deum immediatè res omnes producere. Hæc autem duo difficulter demonstrabuntur. Ad textum ex Psalmo: probabile est, particulam *etenim* non esse illativam; sed significare idem, quod *etiam*; & erit sensus: non fugiam à facie tuà; illic quoque tu es, quò me deducet dextera tua. Ita Genebrard. Ad textum ex Actis: sermo est de facilitate, qua Deum cognoscere possumus, quem Athenienses *Deum ignotum* nominabant; & est sensus; facilè Deum cognoscere possumus, quoniam in ipso vivimus, movemur, & sumus. Ita Lorin. Non est igitur in ijs textibus argumentatio ab operatione immediatà ad intimam in rebus præsentiam.

SECTIO XIII.

Appendix ad præcedentis doctrinam.

155 IMmensitatem Dei includere *Ubiquitatem*, certum est. Nec obest familiaris Patrum locutio, dicentium, *Deum nusquam esse*, seu non esse in loco; sensus enim est, quòd non sit in loco, prout accipitur: *ultima superficies corporis continentis immobilis*. Evidentissimum est, Deum nullo corpore posse contineri, quin extra illud sit infinitè difusus; sed

non

non minùs est certum, Deum esse penetrativè præsentem omni loco, & rebus omnibus: & in hoc sensu Deus est in omni loco. Et sic pariter familiaris est Patrum locutio asserentium, *Deum esse nusquam, & esse ubique.* Rectè Ricard. Victorin. 2. de Trinit. c. 23. dixit: *Deum in omni loco esse præsentialiter, in nullo localiter*; hoc est, in nullo contineri, in omni præsentem intimè esse.

156 Rem creatam posse esse in omni loco reali, atque adeo ipsi posse convenire ubiquitatem, constat. Dixit Angelicus cit. quæst. a. 4. *Granum milij esset ubique, supposito, quòd nullum aliud corpus esset.* Ratio; quia illud granum esset in loco, saltem intrinseco, qui est ubicatio, & nullus locus alius esset, in quo non esset: ergo tunc ubique esset. Corpus Christi Domini, sicut definitivè est in locis innumerabilibus in Eucharistiâ, posse esse in omnibus locis realibus, probant Theologi: unde potest esse ubique. Quòd autem Christi Domini humanitas per unionem ad immensitatem non sit ubique, ex eo probatur, quòd non sit in loco per immensitatem, sicut non est æterna per divinam æternitatem. Videri potest Eximius d. 32. in 3. P. Hæc cùm ita sint de ubiquitate.

157 Quæres: an, & quo sensu immensitas sit propria solius Dei, quin possit creatu-

re convenire? Ex dictis in simili constat, essentialem immensitatem non posse admitti in re creatà per hoc, quòd dicatur, Deo à se haberi; creaturæ non posse convenire, nisi communicatam à Deo. Vide hoc caput n. 127. Immensitatem esse propriam solius Dei, ubiquitatem verò posse Deo non convenire, & convenire creaturæ, docuit Martinonus, ductus ex eo, quòd ubiquitas sit præsentia ad omnem locum, & ad omnem rem; hęc præsentia potest convenire creaturæ, potest autem non convenire Deo: nam si nullus locus, nullaque res existat, nulli loco, nullique rei Deus erit præsens. Doctrina est vera; sed modus loquendi exorbitat à communi.

158 Conclusio: Immensitas, & ubiquitas primò, & per se sumpta sunt perfectiones propriè solius Dei, quę nulli creaturæ possunt convenire. Conclusio explicatione probatur, & quidem mihi videtur, immensitatem aliquid essentialiter dicere supra ubiquitatem, etiam primò, & per se sumptã. Ratio: quia hoc modo *ubiquitas* accepta est necessitas essentialis existendi intimè in omni loco, & in omni re, si existant. At immensitas superaddit existentiam extra omnem locum, & extra omnem rem; & est *ubi* intrinsecum Dei, vi cujus sibi ipse ante mundum erat locus, & extra mundum in se ipso est. Atqui

evidentissimum est, hanc perfectionem esse Dei, & creaturæ esse incommunicabilem: ergo hoc de immensitate tenendum est. Subsumo iterum: sed *ubiquitas* accepta pro necessitate essentiali essendi intimè omnibus rebus, & in omni loco, si locus, & res existant, proprium Dei est, & creaturæ incommunicabile, ut in simili probatum est sect. 11. à n. 130. loquendo de essentialibus *abæternitate*, & *inæternitate*: ergo ubiquitas primò, & per se accepta est perfectio propria Dei, & incommunicabilis creaturę. Hinc ubiquitas, quæ potest communicari creaturæ, est ubiquitas accidentalis, & contingenter, hoc est, non per essentialem exigentiam habita. Et hæc est Angelici expressa sententia, citatis q. 8. a. 4.

SECTIO XIV.

De Ineffabilitate Dei.

159 QUandoquidem Dei attributa divinis nominibus significantur, quæritur, quo pacto proprium Dei sit attributum *ineffabilitas*? Statim illud occurrit Genes. 32: *cur quæris nomen meum?* Illud etiam Prov. 30: *quod est nomen ejus... si nosti?* Accinit Nacianzenus de Theolog. orat. 2: *impossibile est, dicere, quid Deus essentiâ suâ, ac naturâ sit*; additque orat. 4: *Deus nullo nomine exprimi*

potest. Disputatur hìc: an à Viatoribus imponi Deo posit nomen, quod significet Deum, ut est in se? Hanc difficultatem prætermitto; nam, cùm nomina ad hominum placitum significent, & supponantur pro conceptibus formalibus, quos habet intellectus, difficultatem à vocibus ad conceptus mentales transfero. Quæro itaque: an à nobis Viatoribus concipiatur Deus conceptu positivo, proprio, & quidditativo? Conceptu intuitivo, multoque minùs conceptu comprehensivo posse à nobis Deum concipi, negandum omnino est; & probatum manet cap. 1. num. 28. Tribus modis Viatores Deum cognoscimus. Removendo imperfectiones; & hoc modo dicimur cognoscere per ignorantiam: ut cum dicimus, Deum esse indefectibilem, & incorporeum. Addendo perfectiones ad perfectiones, quas de Deo cogitamus: ut cùm dicimus, Deum esse supernaturam, & supersubstantiam. Per viam causalitatis, ex ordine ad creaturas: ut cùm dicimus, Deum esse Dominum, & Creatorem.

160 Conclusio. Ineffabilitas simpliciter talis est attributum proprium solius Dei; & tamen Viatores Deum cognoscimus conceptu positivo, proprio, & quidditativo. Constat præcipua conclusionis pars ex C. *Firmiter* de Summ. Trinit. Et sub hàc explica-

tio-

tione est lumine naturæ nota: quatenus scilicet Deus est incomprehensibilis, & à creaturâ naturaliter videri non potest, ut est in se. Atqui ut Deus esset simpliciter effabilis, requireretur, quòd intellectus creatus ipsum posset comprehendere, aut saltem naturaliter videre: ergo. Rursus: nulla est possibilis creatura, quæ ab aliâ non possit naturaliter videri, aut etiam comprehendi; sed hoc ipso nulla est possibilis, quę sit simpliciter ineffabilis: ergo. Est igitur nomen taxatum conceptui mentali; cumque Deus solus sit supra omnes vires comprehensivas intellectûs creati, & supra vires naturaliter intuitivas: sequitur solùm Deum esse simpliciter ineffabilem: seu ineffabilitas accipiatur relativè ad nomen, sive relativè ad conceptum mentalem.

161 Prob. altera pars conclus: nam conceptus ille est positivus, proprius, & quidditativus rei, quo res positivè explicatur per prædicatum illi soli conveniens, & ipsi essentiale; tali prædicato, seù formali conceptu Deus à nobis Viatoribus explicatur: ergo à nobis Viatoribus explicatur Deus conceptu positivo, proprio, & quidditativo. Major constat, factà inductione per definitiones rerum creatarum in positivis entitatibus consistentium: ut Angelus, Homo, & Leo. Minor videtur innegabilis; nam Deus à nobis con-

ci pi-

cipitur his, & similibus conceptibus: *Ens à se*; *intellectivum à se*. Isti sunt conceptus positivi, & attributa affirmativa Dei; ipsi soli conveniunt; sunt de illius essentia, tùm physicà, tùm metaphysicà: ut probatum est cap. 2. per totum: ergo &c.

162 Hęc doctrina est communissima Theologorum sententia, cui resistunt plerique Thomistarum, & objiciunt. 1: Patres docent, Deum à nobis explicari per id, quod ipse *non est*, non autem per id, quod *ipse est*: ergo non explicatur conceptu positivo, proprio, & quidditativo. 2: si concipitur conceptus proprius Dei, concipitur, ut actus purus, & expers cujuscumque potentialitatis: ergo dicit negationem potentialitatis ad existendum, vel non existendum, & sic de alijs potentialitatibus; atque adeo non concipitur conceptu undequaque positivo. 3: id concipitur conceptu quidditativo, quod cognoscitur immediatè per propriam speciem, aut mediatè in medio excellentiore; hoc modo Deum agnoscere, alienum est à nobis Viatoribus: ergo & quòd Deum cognoscamus conceptu quidditativo. 4: cognoscere Deum conceptu quidditativo, est illum cognoscere, ut est in se; hoc superat Viatorum mentes: nam cognoscere Deum, ut est in se, est Deum videre: ergo.

Ad

163 Ad 1. In priore illius propositionis adversativæ parte, loquuntur Patres de modo cognoscendi Deum per *remotionem*, & per *ignorantiam*; in posteriore autem parte loquuntur de cognitione adæquatè, & clarè percipiente, quod Deus est. At nec negant, nec negare possunt modos cognoscēdi Deum per *additionem*, & ex ordine ad creaturas, sive viâ *causalitatis*. Expende illud notissimum Apostoli: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Numquid inter invisibilia Dei nihil est positivum; aut nihil positivum est Dei virtus, & gloria? Ergo cognoscimus, quod Deus ipse est.

164 Ad 2. Concesso ant. dist. cons: ergo dicit negationem physicam potentialitatis, aut se tenentem ex parte Dei, nego; negationem logicam se tenentem ex parte nostræ cognitionis, subdist: si explicentur Dei attributa per modum remotionis, admitto; si per additionem, & viâ causalitatis, nego cons. & in eodem sensu subillationem. Constat solutio ex dictis. Deum esse actum purum, explicatur sic undequaque positivè: est substantia se ipsâ identificās omnem possibilem perfectionem non admixtam imperfectione. Eodem modo esse increatum explicatur sic: ens sibi sufficiens, nulliusque principij effectivi

in-

indigens. Esse infinitum, sic explicatur positivè: ens, cujus qualibet perfectione cognitâ, alia, & alia supereſt cognoſcenda; juxta explicationem Ariſtotelis: *infinitum eſt, cujus eſt extra ſemper aliquid accipere.* Quod ſi ſolum contendas, conceptum noſtrum de Deo ex parte actûs debere eſſe logicè negativum, dummodò concedas, non eſſe negativum ex parte objecti, non multum reſiſtam. Vide c. 2. à n. 112. ad uſque finem ſect.

165 Ad 3. nego maj: nam per ſpeciem alienam, & in medio non ſuperiore poſſumus rei quidditatem cognoſcere; aliter nec quidditatem animi noſtri, nec Angeli ſubſtantiam quidditativè cognoſceremus. Imò & non poſſemus abſtractivè per ea, quę facta ſunt, quidditatem Dei cognoſcere: ſed aliquid tunc cognoſceremus, quod non eſſet Deus. Hoc abſurdum ex ſe eſt, & alienum ab Apoſtoli teſtimonio adducto. Hujus autem loci non eſt, exponere modum, quo ſpecies materiales depurantur ad cognoſcenda immaterialia quidditativè; ſpecies rerum corruptibilium ad cognoſcenda æterna; ac demum ſpecies creaturarum ad cognoſcendum Creatorem.

166 Ad 4. Conceſsà maj. nego min. & diſt. probat. Illam concedo de cognitione immediatâ, & per ſpeciem propriam, aut in medio

dio excellentiore immediatè, & clarè cognito; & nego de cognitione rei, ut est in se, mediatà, per speciem alienam, & non in medio perfectiore. Et hæc dixisse, sufficiat de ineffabilitate Dei; qui plura, & meliora velit de hoc, & de paucis alijs attributis in particulari, de quibus disputavi, tùm etiam de ijs, quæ prætermisi, aut in alios locos remisi, adeat egregios Theologos, quos citat Munieſſa integro, & justo volumine plenè, & acutè differens de Essentiâ, & Attributis Dei.

INDEX

CAPITUM, ET SECTIONUM, QUÆ IN HAC DE DEO PRIMA Disputatione continentur.

Numerus unicus marginalem designat.

DISPUTATIO PRIMA.

DE DEO IN ESSENTIA UNO, ET DE EJUS ATTRIBUTIS.

CAPUT PRIMUM.

DE ESSENTIA DEI.

SECT. I. *Fundamentales pro dicendis Notiones.* num. 1.

SECT. II. *An, Deum existere, sit veritas per se nota?* num. 24.

SECT. III. *An, Deum existere, sit demonstrabile?* num. 36.

SECT. IV. *Objectiones quæ directè pugnant contra naturalem demonstrabilitatem Essentiæ Dei, solvuntur.* num. 49.

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA DEI TUM PHYSICA, tùm metaphysicâ.

SECT. I. *Explicatur Essentia physica Dei.* n. 1.

SECT. II. *In quonam consistat Essentia metaphysica Dei?* num. 11.
SECT. III. *Pro solutione argumentorum.* n. 32.
SECT. IV. *Doctrinæ datæ elucidatio.* num. 59.
SECT. V. *An in Deo sit subsistentia absoluta?* num. 67.
SECT. VI. *Respondetur argumentis.* num. 79.
SECT. VII. *Solvuntur reliqua argumenta* n. 93.
SECT. VIII. *Appendix de subsistentijs relativis.* num. 105.

CAPUT TERTIUM.

DE ATTRIBUTIS DEI IN COMMUNI, & in particulari.

SECT. I. *Prævia doctrina per Notationes.* n. 1.
SECT. II. *Rejicitur communissima Scotistarum sententia.* num. 12.
SECT. III. *Respondetur Scotistis.* num. 32.
SECT. IV. *Rejicitur communissima Thomistarum sententia.* num. 57.
SECT. V. *Respondetur Thomistis.* num. 65.
SECT. VI. *Fertur sententia, & explicatione probatur.* num. 77.
SECT. VII. *De æqualitate attributorũ Dei* n. 86.
SECT. VIII. *De simplicitate Dei.* num. 92.
SECT. IX. *Materiã præcedentis absolvit.* n. 109.
SECT. X. *De Æternitate Dei.* num. 118.

SEC-

SECT. XI. *Prosequitur materiam præcedentis.* num. 128.
SECT. XII. *De Immensitate Dei.* num. 143.
SECT. XIII. *Appendix ad præcedentis doctrinam.* num. 155.
SECT. XIV. *De Ineffabilitate Dei.* num. 159.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE SACROSANCTO DIVINÆ Trinitatis Mysterio, hoc est, de Deo in Personis Trino, qui est in essentiâ Unus, disputaturis religiosum horrorem his verbis injicit Augustinus 1. de Trinit. c.3: *Neque periculosiùs alicubi erratur, neque laboriosiùs aliquid quæritur, neque fructuosiùs aliquid invenitur.* Multâ hìc disputatione, multâque explicatione cùm sit opus, pro more tamen nostro in specimen difficultatis abstrusissimi mysterij paucas, sed selectas quæstiones breviter discutiam, cæteras per doctrinales Notationes, seu verius per remissiones, leviter attingam.

CAPUT PRIMUM.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET COGNOSCIBILITATE Mysterij.

SECTIO I.

Præluditur præcipuę difficultati.

1 DOctrina catholica de mysterio Trinitatis hisce propositionibus continetur. 1: Deus ita est perfectè unus, ut implicet plures esse Deos: Deus enim est essentialiter omnium primum, & summum; omnium autem primum, & summum est necessariò unicum. 2: Personæ divinæ sunt plures, & distinctę: hoc est, in essentiâ Dei perfectè unâ sunt tres Personæ verè, ac realiter inter se distinctę. 3: tres divinæ Personę sunt consubstantiales, & æquales: quatenus sunt unus Deus, ejusdem sapientię, potentiæ, & majestatis, absque inęqualitate, & divisione. 4: ex his divinis Personis una est improducta, & dicitur prima; alia procedit à primâ per viam cognitionis, & dicitur secunda; alia procedit à primâ, & secundâ per viam amoris, & dicitur tertia. 5: tres divinæ Personæ sic referuntur inter se, ut prima sit verè Pater, secunda Filius, tertia licet verè producta, & utrique con-

consubstantialis, non tamen sit Filius. Hæc est summa catholicæ doctrinæ, quam expressit Concilium Lateranense sub Innocentio III. C. *Damnamus* de Summâ Trinit.

2 Circa hoc mysterium variè errarunt Hætetici. 1: Sabellius docuit Deum esse unicum in Personâ, sicut in naturâ; appellarique diversis nominibus Patris, Filij, & Spiritùs Sancti per ordinem ad diversas operationes. 2: erravit Arius admittens quidem Personas Trinitatis, & docens, solum Patrem esse Deum, Filium esse primam creaturam in tempore factam, & per hunc Spiritum Sanctum, & creaturas cæteras. 3: Macedonius Patri, & Filio concessam catholicè divinitatem hæreticè illam negavit Spiritui Sancto, quem esse creaturam asseruit. 4: Tritheistæ, qui censuere tres Personas esse tres Deos, etiam quoad essentias distinctos; cui errori favet Abbas Joachimus docens tres Personas esse unum Deum per solam aggregationem, seu collectionem moralem, ut multi homines dicuntur una Ecclesia. Doctrinam catholicam propugnant, & Hæreticorum errores expugnant latè Cardinalis Bellarm. tom. 1. Controv. 2. lib. 1. & 2. & breviter Becanus hìc cap. 3. à q. 1. ad 6.

3 Sed quoniam ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, ut habetur ex D.

Hieronimo, oportet explicare vim catholicam aliquarum vocum, & locutionum, quarum multus est usus in hac materiâ. De vocibus *Usia*, *Hypostasis*, ac de *Natura*, & *Personalitas*, tùm etiam de *subsistantia*, & *subsistentia*, satis dixi disp. 1. c. 2. à sect. 5. usque ad finem cap. Aliæ sunt voces, quarum sensum suis locis exponemus in progressu Disputationis. Tales sunt *Absolutum*, *Relativum*; item *Commune*, & *Proprium*; & *Personale*, & *Notionale*.

4 Notabilissima est hæc vox *Omousios*; id est, Consubstantialis, sive ejusdem substantiæ. Varia fuit apud Patres, & Concilia ante, & post Nizœnum ejus vocis usurpatio. Ea, cum de Deo, divinisque Personis est sermo, exponi debet de unâ, eàdemque substantiâ numero. Ratio: nam alioqui tres divinæ Personæ essent plures Dij; quod est contra Fidem, & contra evidentiam. De hac voce legatur Floravantius l. 1. c. 3. part. 2.

5 Notabilis quoque est vox ista *Circuminsessio*; quæ quidem non reperitur in Scripturâ, & Patribus: & eâ Scholastici utuntur ad explicandam immanentiam, inexistentiam, & inhabitationem divinarum Personarum ad invicem, quam immanentiam habemus ex Scripturâ, & Patribus. Clarissimum illud est Christi Domini Joan. 14. ad Philippum: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in*

me

me est? Quid simile de Spiritu Sancto non habetur expressè in Scripturâ; sed tamen ex ipsâ hanc circumincessionem S. Spiritûs in Patre, & Filio, & vicissim inferunt Patres. Audiatur Damascenus docens, quòd *omnes tres divinæ Personæ inconfusam habent invicem circuitionem, non quòd misceantur, aut confundantur, sed quòd invicem inhabitentur.*

6 Nota. Per circumincessionem sunt invicem divinæ Personæ, non solùm secundùm naturam, sed secundùm proprietates: ita ut proprietas sit in proprietate; & sic una Persona est tota in aliâ. D. Nissenus Orat. de divinitate Filij ad fin: *Totus Pater in toto Filio est, & totus Filius in toto Patre.* D. Cyril. 1. Thesauri c. 6. in Patre totum Filium esse sic explicat, non per unitatem tantùm naturæ, sed etiam, quia *hypostasis Filij est in hypostasi Patris, ut Solis splendor est in Sole.* Et quidem hypostasis uniuscujusque Personæ est primò, & per se, & non secundariò, & ex consequenti in alijs Personis: nam primò, & per se totus Pater in Filio est; ut constat ex Scripturâ, & Patribus. Sed totus Pater constitutivè dicit naturam, & hypostasim: ergo non solùm natura, sed hypostasis Patris est primò, & per se in Filio. Sensus denominativus, ut quando dicitur *totus homo generatus*, est satis diminutus ad explicandam divinam circumincessio-

nem : neque enim verificatur, quòd anima simpliciter generetur, aut quòd ratione animæ totus homo sit generatus. Atqui hypostasis unius Personæ divinæ est simpliciter in alijs Personis, ut dictum est ex D.Cyrillo, qui eodem lib.c.8. addit: *Pater in Filio est, & Filius in Patre : non tantùm ut idem ; Pater enim in suâ, & Filius in suâ proprietate est*: ergo. Vide Vasquium d.169 c.2.

7 Nota insuper. Istam divinarum Personarum circuminsessionem sic probabis. Personæ divinæ habent per identitatem unam, eamdemque naturam : ergo mutuò in se ipsis inexistunt. Desumitur ratio ex Patribus ; pro quibus audiendus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1: *nullus horum extra quemlibet illorum est propter divinæ naturæ unitatem.* Et quidem Angelicus, etsi alijs rationibus petitis ex relatione divinarum Personarum, & ex operatione immanente utatur, præcipuè insistit in unitate naturę. Et meritò: nam ibi est Persona, ubi est ejus essentia, sed essentia cujuslibet divinæ Personæ est in quàlibet Personà : ergo in quàlibet est unaquæque Persona. Opponis: ergo Pater est in Patre : nam ibi est Pater, ubi ejus essentia; essentia autem Patris est in Patre. Nego cons: quia unum esse in alio importat distinctionem: hęc non datur Patris à Patre, datur autem Patrem inter, & Filium.

Sic

Sic Petrus albus similis est Paulo albo, à quo distinguitur, & tamen similis sibi ipse non est. Dices: ergo Pater est per identitatem in Filio: est enim eo modo, quo natura unius est in alio; natura autem Patris est in Filio per identitatem. Nego conf: quia Pater debet esse in Filio, tanquam subsistens in subsistente, in suâ hypostasi, & proprietate; quod est esse tanquam distinctum in distincto. Insistis: Filius est in divinitate, & hæc in illo; ex illo Apostoli, *qui cùm in formâ Dei esset*. Responderi posset in hoc textu esse impropriam locutionem; sicut enim non propriè accipitur vox illa *forma*, sic nec præpositio *in*. Distinctione est opus: concede divinitatem esse in Filio, & vicissim tanquam constituens in constituto; quo pacto Pater non est in Filio: nega divinitatem esse in Filio, & vicissim, tanquam unum simpliciter in alio. Hoc pertinet ad circuminsessionem; illud ad identitatem.

8 Nota denique. Circuminsessio consistit formaliter in intimâ, purissimâ, ac indissolubili præsentiâ divinarum Personarum ad invicem ratione immensitatis. Probatur: nam ad hanc rationem Patres recurrunt. Fulgent. 3. ad Monim. c. 7: *non sic de mente Verbum nascitur, ut ab eâ localiter secernatur*. Damascen. 1. de Fide cap. 7. de Personis divinis inquit, *non habere localem distinctionem, nam immanentes*

nentes in se invicem existunt. Compara has duas Christi Domini assertiones: *Ego, & Pater unum sumus; & Pater in me manet.* Verificativum formale primæ est unitas naturę, verificativum formale secundæ est immensitas; quod quidem verificativum nascitur ex unitate naturæ, quæ est verificativum radicale. At opponis: non alio modo erit Persona in Personâ, ac est Deus in creaturis. Nego sequelam: nam Personæ sunt invicem in se ipsis necessariò, essentialiter, & insolubili præsentiâ; & hoc modo non est Deus per immensitatem in creaturis: cùm hæ possint non existere, atque etiam præsentia ipsarum in Deo sit solubilis, nempe per ipsarum destructionem. Persona autem divina non potest non habere intimam, & insolubilem præsentiam in alijs. Opponis iterum: ex circuminsessione infertur unam Personam videri visâ aliâ, juxta illud Christi Domini: *qui videt me, videt & Patrem meum; nam ego in Patre, & Pater in me est* Ad hanc verò illationem non sufficit immensitas, sed formaliter requiritur unitas naturę. Dico: mutua præsentia per immensitatem fundata in unitate naturæ ad illam sufficit illationem: nam Persona inexistit Personæ, quia habent unam, eamdemque naturam; hæc autem videri non potest, quin omnes Personæ videantur, seu visio sumatur propriè, seu latè

pro

pro cognitione: de quo modò non disputamus. Videatur Suarius hìc lib. 4. cap. 16.

SECTIO II.

Prosequitur materiam præcedentis.

9 SUpersunt exponendæ aliquæ propositiones, de quibus lis est inter Theologos, an, & quo sensu admittendę, vel rejiciendæ sint? Et quoniam in illis sępissimè est vel subjectum, vel prædicatum terminus *Deus*, ex alibi disputatis hæc in memoriam revocabis.

10 1: concretum *Deus* dicit constitutivè subsistentiam, non quidem absolutam, sed relativam, non determinatè trinam, aut unam, neque potiùs unam, quàm aliam. Est itaque significatum ejus nominis *Deitas subsistens*, seu habens subsistentiam. Et quidem Deitas significatur in recto, subsistentia verò in obliquo: aut si mavis, quòd utrumque significetur in recto, dic Deitatem significari formaliter, & expressè, subsistentiam autem significari materialiter, & confusè. 2: pro priori logico, & in subsistendi consequentiâ ad Relationes divinas determinatè, & in individuo acceptas intelligitur concretum *Deus*, *hic Deus*, & *individuum Deitatis*; at non pro priori ad Relationes indeterminatè, & in confuso acceptas, secundùm quod conveniunt in ratione subsistentiæ constituentis suppositum.

11 3: ejusmodi concretum *Deus*, et *hic Deus* est realiter communis divinis Personis secundùm Deitatem ; est prædicamentaliter communis secundùm subsistentiam , seu personalitatem. Hinc istud concretum *hic Deus* est Deus subsistens; sed significatà expresè,& in recto Deitate : subsistentià autem in obliquo, aut confusè, & indeterminatè , & vagè, quę in Deo est relativa , & trina. Inde rursus *Deus subsistens* , est quid commune divinis Personis realiter secundùm Deitatem, & prędicabiliter secundùm subsistentiam. 4: cùm sint tres Personæ habentes unam,eamdemque Deitatem , unus est Deus ; quia licèt concretum *Deus* significet *habens Deitatem* , *& tres Personę illam habeant , est tamen alius modus significandi ; quia Deus dicitur subsistantivè ; & habens Deitatem dicitur adjectivè : unde licèt sint tres habentes Deitatem,non tamen sequitur, quòd sint tres Dij* , concludit Angelicus hìc quæst. 31.a.3.ad 1.Docet etiam terminos istos *Deitas*, & *Deum* idem significare , sed diverso modo : per utrumque enim directè , formaliter , & expresè significatur essentia; per terminum *Deitas* abstractivè , sed per terminum *Deus* concretivè substantivè. Sensus est : per terminum *Deus* significatur Deitas habens subsistentiam ; cùmque Deitas habens subsistentiam sit una , inde est , quòd multiplicatis perso-

personalitatibus habitis non multiplicetur Deus.

12 Propositiones, quibus in Trinitatis mysterio utimur, ad tria genera reducuntur. 1: ad significandam distinctionem Personarum. 2: ad essentiæ unitatem. 3: ad actiones, quibus una Persona procedit ab alià.

13 Circa 1. genus: Explicatur Personarum distinctio per voces differentiam insinuantes. Hæc propositio, *una Persona distinguitur ab alià*, difficultate caret, & ab omnibus admittitur. Hęc, *una Persona differt ab alià*, communiùs rejicitur, quàm admittitur: quia nempe differentia simpliciter dicta ex communissimà acceptione usurpatur pro distinctione in formà essentiali; quę distinctio in essentià non convenit divinis Personis. Sic in solemnitate Trinitatis canit Ecclesia, quod de Patre, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, *sine differentia discretionis sentimus*. Nihilominus illa propositio sensum catholicum admittit, scilicet de differentià, & discretione personali; & sic accipitut à Patribus, & Theologis, quos citat Pater Herrera q. 2. sect. vltim. Sed præstat eam propositionem omittere, nisi addatur expresè, quòd subintelligitur, hoc modo: una Persona differt ab alià *differentiâ personali*. Idem judicium esto de his alijs dicendi modis; una Persona *diversa* est ab alià; se-

separatur ab aliâ; ab aliâ *dividitur*; has enim propositiones non sine ductu Patrum alij Theologi admittunt, rejiciunt alij.

14 Explicatur etiam divinarum Personarum distinctio per nomina relativa diversitatis: ut sunt *alius*, & *alter*. Hęc nomina absolutè, & sine addito posita in masculino tutas propositiones reddunt: ut *Filius est alius, & alter à Patre*. At neutraliter posita reddunt propositiones erroneas: ut, *Filius est aliud, & alterum à Patre*; hoc enim modo significaretur Filium esse alterius essentiæ. Doctrina ista desumitur ex Concilijs Toletan.I.& XI.in confessione Fidei. Si illis relativis diversitatis aliquid addatur, propositiones erunt bonæ, vel malæ juxta qualitatem additi. Sic hæreticæ erunt istę: *Filius est alius Deus à Patre*; *est in essentiâ alter à Patre*. Si autem dicatur, *Filius est alia Persona*, aut *aliud suppositum à Patre*, propositio vera est.

15 Per nomina denique numeralia explicatur Personarum distinctio; quorum numeralium alia significant collectivè, ut *Trinitas*, alia quasi divisivè, ut *duo*, *tres*. Quoad ista divisiva certum est, divinis Personis adaptari; rectè enim dicitur simpliciter, & absolutè, *Pater*, *& Filius sunt duo*; & *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres*. At quemadmodùm de Personis non dicuntur nomina re-

la-

lativa diversitatis *alius*, & *alter* neutraliter, sed masculinè; ita dicendum de istis numeralibus divisivis. Rectè dicitur, Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt tres, sed non rectè dicitur, sunt tria: rectè dicitur, sunt plures; sed non rectè, sunt plura. Id notavit D. Bernardus Epist. 190. Si ijs numeralibus masculinè positis aliquid addatur, ex addito dignoscetur aut rectitudo, aut absurditas locutionis. Rectè dices: sunt *plures Personæ, sunt plures in Deo Relationes*; erroneè, *Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt tres Dij*, aut *plures Dij*. De numeralibus collectivis dubium non est, quòd vox *Trinitas* sit sancta, prædicante Ecclesiâ, *nos laudare Deum in unius Trinitate substantiæ*; & passim orante, *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis*. Imò jam aliena ab omni errroris periculo est ex usu Ecclesiæ hęc expressio, *Trina Deitas*, de qua expressione fuit olim magnum dissidium. Rejiciendæ tamen sunt hæ propositiones: *Deus triplex est*; *Deus multiplex est*; præseferunt enim multitudinem Deorum. At cur non dicatur Deus *triplex*, cùm dicatur *trinus*? Ratio in promptu est: quia ex Ecclesiâ, Patribus, & Concilijs apud Theologos istæ expressiones Deus *Trinitas*, & *Trinus*, accipiuntur pro Trinitate Personarum in unitate substantiæ; quam acceptionem authenticam non habent istæ, Deitas *triplex*, Deus

Deus *multiplex*. Nihilominus dici potest, in Deo est *duplex processio*, *triplex personalitas* &c.

16 Circa 2. genus de vocibus, & propositionibus, quibus explicatur unitas essentiæ, firmum est, eo modo loqui oportere in asserendâ essentiæ unitate, ut non excludatur divinarum Personarum consortium.

17 Occurrit hæc propositio: *Deus est unicus*. Admittenda est: nam synonimi sunt *unus tantùm*, & *unicus*: & sic dicitur *unica* Deitas; & *unicus* Dei Filius. Sed Deus est unus tantùm: ergo & *unicus*. Hæc itaque vox afficit formaliter Deum ut Deum; ac proindè excludit Deorum consortium, non Personarum. Admittenda etiam est hæc propositio: *Deus est singularis*; eàque usi sunt Lactantius, & Sophronius apud Herreram nuper citatum. Ratio: nam ex communi sensu *singulare* dicitur contrapositè ad universale, & prout est idem, ac unum numero; sed Trinitas est unus numero Deus, ut loquitur D. Anselmus de Incarn. Verbi cap. 3: ergo Deus est singularis. At aliqui Patres, quos inter D. Leo, dicunt in Deitate non esse *singularitatem*. Sed accipiunt singularitatem pro incommunicabilitate; sensus autem proprius est, quem dedimus: Deus est singularis, hoc est, unus numero.

Reji-

18 Rejicienda est hæc propositio, *Deus est solitarius*; quæ quidem ab omnibus Patribus rejicitur: quia vox illa ex communi sensu, atque usu excludit omnem Personarum societatem. Hinc propositio ista *Deus est solus*, tuta est, prout *solus* idem est, quod unus tantùm, sive unicus; & in hoc sensu accipitur illud Christi Domini Math. 19: *nemo bonus, nisi unus Deus*; & Luc. 18: *nisi solus Deus*. Cavendum est, nè *solus* accipiatur pro solitario. Vide harum propositionum differentiam: *solus Deus est Omnipotens*, & *Deus Omnipotens est solus*. 1. est tuta: quia sensus est, quòd prædicatum conveniat Deo, & non alteri. 2. est ambigua: quia insinuat Deum Omnipotentem esse solitarium; ideo rejicienda, saltem propter ambiguitatem.

19 Hæc propositio *Deus est unitus* absona est; illam rejicit D. Bernardus l. 5. de Consid. ad Eugen: quia inquit, *Deus unus est non unitus*. Nacianzenus orat. 23. dixit essentialia Dei nomina esse *unita*; sed accepit unionem pro unitate identitatis. An dici possit, Personæ *unitæ* sunt *in Deitate*, quæritur? Dici non potest, esse unitas Deitati: quia unio præsefert distinctionem; Personæ autem non distinguntur à Deitate. Dici potest, Personas esse unitas in Deitate, atque Deitate. Ratio: quia Personæ unitæ sunt inter se, non equidem unio-

unione physicà, sed unione, vinculo, seu conjunctione identitatis in tertio; id est, *in Deitate*. Et iste nexus est ipsa Deitas, quæ identificatur cum Personis, & cui istę identificantur. Propter hunc identitatis nexum abstinendum omnino est ab his vocibus: Personę *divisæ* sunt, *sejunctæ*, *separatæ*; sed tamen istis uti possumus, Personę *secernuntur*, *discernuntur*. Ratio: quia his postremis vocibus solùm significatur distinctio Personarum in unitate essentiæ; illis prioribus indicatur illarum à Deitate distinctio.

20 Præcipua hic observatio est de concretis, & abstractis substantivis absolutis non transcendentibus; de transcendentibus abstractis, quę multiplicantur in Personis, recurret sermo. De abstractis substantialibus absolutis non transcendentibus certum est, de Deo, ac de Personis singulariter, non pluraliter prędicari. Ratio: quia ejusmodi abstracta formaliter, & expressè significant formam, non significato suppositò: ejusmodi sunt hęc abstracta, Deitas, Omnipotentia, Æternitas. Sed forma per ejusmodi abstracta significata est una: ergo singulariter, & non pluraliter de Deo, & de Personis prædicatur. Dici itaque non potest, Deum, Personasque divinas esse tres Deitates, Omnipotentias, Æternitates, &c.

Sed

21 Sed neque ejusmodi concreta substantiva absoluta non transcendentia possunt pluraliter de Deo prædicari, ut est communissima sententia cum Angelico. Ratio: quia concreta substantiva significant substantiam: ergo substantiam, quæ per se unitatem, aut pluralitatem habeat: ergo si substantia significata sit una, non poterit pluraliter, sed singulariter prædicari. Atqui in concretis substantivis prædicabilibus de Deo, & de Personis substantia significata est una: ergo ejusmodi concreta non pluraliter, sed singulariter de Deo, & de Personis prædicantur. Adest istud Fide catholicâ tenendum, *non tres Dij, sed unus est Deus*. Hinc arguitur: ideo concretum *Deus* non prædicatur nisi singulariter, quia Deitas significata directè est una; sed in concretis substantivis, de quibus agimus, forma directè significata est una: una enim est Omnipotentia, Æternitas, Immensitas, & similiter de cæteris: ergo ejusmodi concreta non prædicantur nisi singulariter. Huc respexit D. Nissenus lib. *Quod non tres Dij*, propè fin: *multitudinis significationem...non admittit, sed una dicitur natura; ita cetera quoque nomina singulariter nominantur: Deus, Bonus, Sanctus*, & sic de cæteris. Ergo in re præsenti exacta est paritas à concreto *Deus* ad cętera, de quibus agimus.

22 Quid, si ejusmodi concreta substantiva prędicentur adjectivè? Dummodò constet, modo adjectivo accipi, possunt pluraliter de Deo, & Personis prædicari. Constat in concretis, quibus significatur forma absoluta cum relatione Personæ ad Personam: & sic dicimus de Personis divinis sunt *consubstantiales, similes, equales, coæternę, &c.* Quòd autem alia concreta substantiva absoluta possint cum debitâ cautelâ adjectivè accipi, constat ex III. Concilio Romano in professione fid. in qua dicitur: *si quis tres personas non dixerit... semper viventes, omnia continentes, omnipotentes, &c. anathema sit.* Nihilominus rarò, & cautè ijs concretis substantivis utemur, adjectivè sumptis; sed Athanasium imitabimur, docentem nos in Symbolo. *Non tres eterni, sed unus eternus; non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus, &c.*

23 Circa 3. genus de modis loquendi ad significandos actus notionales. Isti prædicari de Deo possunt, significato nomine notionali, aut nomine essentiali; & utrumque nomen potest sumi in concreto, aut in abstracto.

24 De Deo significato per nomen notionale in concreto rectè prædicantur operationes notionales; ut *Pater generat; Spirator spi-*

ſpirat; & ſimiliter paſsivè : ut, *Filius generatur*; *Spiritus Sanctus ſpiratur*. Cavendum nè aliquid addatur, quod non ſit aut terminus, aut principium illius actionis notionalis; & ſic dicetur, *Pater generat Filium*; *Filius generatur à Patre*. Dubium eſt : an de proprietatibus Perſonarum in abſtracto prædicentur actus notionales? Affirmant aliqui, quibus non eſt abſona hęc propoſitio: *Paternitas generat*; hac autem propoſitione uti non oportet: quia generatio eſſentialiter dicit utrumque principium *quo*, & productivum termini, & communicativum naturæ; Paternitas autem non eſt principium *quo* communicativum naturę divinæ. Et quoniam apud multos eſt principium *quo* adæquatum productivum (de quo poſtea diſſeremus) ideo ab ipſis hęc admittitur propoſitio : *Paternitas producit Filium*. Quoties aliud non poſtulet neceſsitas, abſtineamus à prędicationibus in abſtracto, & utamur nominibus notionalibus in concreto, juxta illud: *actiones ſunt ſuppoſitorum*.

25 De Deo ſignificato per nomina eſſentialia in concreto rectè prædicantur notionalia: ut *Deus generat*; actio enim iſta ſoli Patri conveniens determinat vocem *Deus* ad ſignificandum Patrem. Nihil addatur in ejuſmodi enũciationibus niſi terminus illius operationis; ut Deus generat *Filium*. Dicinè po-

test: *Deus generat Deum?* Potest utique, sed in hoc sensu : *Deus generat alium , qui est idem Deus.* Opponis : si Deus generat Deum , aut generat alium Deum , aut se ipsum Deum; utrumque implicat. Occurro: *alius Deus* simpliciter multiplicat Deos ; unde neganda , ut jacet, est illa propositio : *Deus generat alium Deum.* Nec propterea admittenda est ista: *Deus generat se ipsum Deum* : quia , ut acutè notavit D. Bonaventura, nec admittenda hìc sunt nomina purè distinctiva , nec purè identificativa. Si contendas in illà propositione, *Deus generat alium Deum*, vocem *alium* accipi pro Personà, & appositivè addi vocem *Deum*; dic expressè , & habebis illam indubiam propositionem : *Deus generat alium , qui est idem Deus.*

26 Sicut nuper dicebamus de proprietatibus Personarū sumptis in abstracto, sic dicimus de Deo significato nominibus essentialibus in abstracto sumptis ; scilicet , quòd de abstractis non prędicentur notionalia. Itaque rejicienda est hæc propositio: *Deitas, Essentia generat* ; quæ rejicitur in cap. *Damnamus* de Sum. Trinit. Ratio est manifesta : nam notionalia afferūt realem distinctionem inter principium , & terminum ; hæc autem distinctio non datur inter Deitatem , & Filium , qui est terminus generationis. Dices : Patres notio-

nalia

nalia prædicant de essentialibus in abstracto; ut cùm dicunt, *Filius natus est ex innascibili essentiâ*. Respondeo: quoniam essentialia non distinguntur à Personis, aliquandò Patres accipiunt abstracta pro concretis, ut *Deitas* pro *Deo*; & in hoc sensu explicandę sunt objectę, & similes propositiones.

27 Actus notionales, qui verè enunciantur de Deo significato per nomen notionale, aut per essentiale non possunt de eodem cum veritate negari. Itaque quia rectè dicitur *Pater generat*, non potest cum veritate dici *Pater non generat*; similiterque; quia rectè dicitur *Deus generat*, dici cum veritate non potest *Deus non generat*. Ratio: quia eæ propositiones sunt contradictoriæ: ergo si affirmativa est vera, negativa est falsa. Constat ant: nam juxta Dialecticos, in propositionibus affirmativâ, & negativâ pro eodem supponunt termini; & sic si in affirmativâ terminus *Deus* supponit pro Patre, pro eodem supponit in negativâ: ac proinde ejusmodi propositiones non possunt non esse contradictoriæ. Dices: in affirmativâ nomen *Deus* supponit pro Patre; in negativâ supponit pro hoc Deo, qui est in tribus Personis: rectè autem de Personis Filij, & Spiritus Sancti, quòd generant, negatur.

28 Contra est: nam ex D. Augustino

lib. 5. de Trinit. c. 3. in illis propositionibus, de quibus agimus, sicut & in omnibus, id tantùm negatur, quod sine negatione ajebat, scilicet propositio affirmativa. Sed in hàc propositione: *Deus generat* affirmatur de Deo personaliter sumpto: ergo per negativam removetur prædicatum illud à Deo personaliter sumpto; & sic negativa est falsa. Præterea ex D. Bonavent. in 1. d. 4. ar. 1. q. 1. si termino immultiplicabili additur negatio, removetur prædicatum à formà immultiplicabili, & consequenter à quocumque suppositò, in quo est; ut constat in his falsis propositionibus: *Deus non est homo, non est passus.* Ergo per hanc propositionem *Deus non generat* removetur prædicatum ab omnibus Personis; ac proinde propositio est falsa. Itaque vera est hæc propositio: *Deus generat*: nempè in Personà Patris; & hæc negativa *Deus non generat* includit illius contradictoriam, quę proinde est falsa, quia scilicet facit hunc sensum *Deus neque in Personà Patris, neque in alià divinà Personà generat.*

29 Non pauca dedimus, sed plura omisimus circa modum loquendi de mysterio Trinitatis. Legi potest Floravantius lib. 2. titul. *de modo loquendi in hàc materià*, & ipse rem breviter exponens; sed in margine citans Authores, qui argumentum hoc plenissimè versant.

Su-

Supereſt, ut judicium feramus de hac propoſitione: *Perſonę divinæ non ſunt ejuſdem naturæ notionaliter, ſive relativè acceptę.* Ea propoſitio abſurdo, & errore caret, ſed eà ſine cautelà uti non oportet. Ruizius ſic ſtatuit diſp. 24. ſect. 5. num. 4. Notandum eſt ab hujuſmodi locutionibus abſtinere prudentioris eſſe conſilij, niſi eàdem oratione perſpicuis verbis explicaveris, unam eſſe quidditatem abſolutam, quæ ſola ſimpliciter, & abſolutè quidditas appellatur; ſed extenſo vocabulo, nec ſine improprietate, dici tres quidditates relativas. Hucuſque Eruditiſ. Author. Itaque propoſitio, qua de agimus, abſurdo, & errore caret; ſed expreſsè addendum eſt, unicam eſſe naturam abſolutam, quæ ſimpliciter, & abſolutè appellatur natura, & extendi vocabulum cum improprietate ad naturam relativè acceptam.

SECTIO III.

Myſterij difficultas capitalis exponitur.

30 SUpponitur principium illud metaphyſicum: *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.* Subſumitur; ſed Perſonæ divinæ ſunt eædem realiter uni, eidemque indiviſibili prorſus naturę divinæ: ergo Perſonę divinæ ſunt idem realiter inter ſe. Ex hoc ſyllogiſmo plures alij enaſcuntur; ſequentes ſubjicio, ſine quorum ſolutione nequit explicari

Trinitatis myſterium. 1: hęc eſſentia eſt hæc Filiatio; ſed hęc Filiatio realiter, & à parte rei producitur: ergo hæc eſſentia realiter, & à parte rei producitur. 2: hæc Paternitas eſt realiter hæc eſſentia; ſed hæc eſſentia eſt realiter communicata Filio: ergo hæc Paternitas eſt realiter communicata Filio. 3: hæc Paternitas eſt realiter hęc eſſentia; ſed hæc eſſentia eſt realiter hęc Filiatio: ergo hæc Paternitas eſt realiter hæc Filiatio. Horum ſyllogiſmorum ſolutio ſtare non poteſt ſine aliqua diſtinctione inter Eſſentiam, & Relationes divinas; quæritur: quænam ſit hæc diſtinctio?

31 Præmiſſum. Ineffabile Sanctiſsimę Trinitatis myſterium eſt ſupra, non tamen contra rationis naturale lumen. 1. pars colligitur ex illo Chriſti Domini Mat. 11: *nemo novit Patrem, niſi Filius; & Filium quis novit, niſi Pater, & cui voluerit Filius revelare?* Rurſus: Patres dicunt, myſterium hoc ſuperare omnem ſenſum, & eſſe tàm ſublime, ut de illo accipiatur propheticum effatum: *niſi credideritis, non intelligetis.* Demùm: Intellectus ſibi relictus, judicaret, aut formidaret, hoc myſterium repugnare notiſsimis illis principijs: *Quę ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; & Quodlibet eſt, vel non eſt.* Ergo myſterium hoc eſt ſupra naturale rationis lumen. 2. pars: nam *verum non opponitur vero*; & argumenta

illa,

illa, quibus ex principijs metaphyſicis impugnatur poſsibilitas,& exiſtentia hujus myſterij, pleniſsimè ſolvuntur : ut conſtabit ex dicendis hoc capite. Videatur Montoja hìc d.41.

32 Queres : quid, ſuppoſità revelatione ? Poſſet quidem per effectus ſupernaturales evidenter cognoſci hoc myſterium. Da, quòd alicui reveletur hoc myſterium cum evidentià in atteſtante. Iſte ita evidenter cognoſceret hoc myſterium, ut illud negare, aut de illo dubitare non poſſet. At per effectus naturales, etiam ſuppoſità revelatione, iſtud myſterium non poteſt evidenter cognoſci. Ratio: nam divina revelatio non facit, quòd naturalis effectus connectatur evidenter cum Trinitate Perſonarum in unitate naturæ:ergo præſtare non poteſt, quòd effectus naturalis ſit medium ad evidentem myſterij cognitionem.

33 Quæres inſuper : an hoc myſterium poſsit ratione naturali cognoſci probabiliter? Negativa ſententia eſt communis ſenſus. Ratio : quia Patres dicunt, myſterium hoc eſſe omnino occultum, abſtruſum, & ſupra omnem rationem creatam ; quę autem naturali probabili ratione cognoſcimus, non ſunt omnino occulta, abſcondita, & ſupra omnem rationem creatam. Dices; ergo intellectus ſi-

bi

bi relictus necesitatur ad hoc mysterium negandum. Distinguo cons. si attendat ad principia metaphysica, & non reflectat ad disparitatem, quę est inter Deum infinitum, & res finitas, conc; si reflectat ad istam disparitatem, nego cons. Si ad id reflectat, dubius manebit, aut saltem manere potest, an aliquid lateat, vi cujus ea principia, quæ evidenter concludunt in creatis, non concludant in divinis.

34 Instas: ergo intellectus sibi relictus, hoc est, independenter à revelatione, posset probabiliter negare hoc mysterium. Quòd non possit illud negare, semel præstito assensu revelationi, supponitur: nam contra certitudinem semel habitam neque est probabilitas, neque dubitatio. Ad instantiam dist. cons: posset negare probabiliter hoc mysterium, probabilitate non excedente verisimilitudinem, & excludente temeritatem in judicando, conc; majore alià probabilitate, neg. cons. Sensus est: intellectus sibi relictus posset judicare in ijs principijs naturaliter sumptis, & sine exceptione, esse apparentiam veri, sive verisimilitudinem; indeque excusari à temeritate in judicando, Deum non esse Trinum, & Unũ. Quòd autem in ijs principijs sine exceptione acceptis sit verisimilitudo, mihi certissimum est; ex eà enim verisimilitudine fit, quòd *Intel-*

tellectum captivemus in obsequium Fidei; quod maximè præstamus, dum huic mysterio assentimur. Quòd si probabilitas usurpetur pro fundamento gravi, cui nitatur propositio, quę de se sit indifferens ad falsitatem, & veritatem; sic posse negari probabiliter ab intellectu sibi relicto hoc mysterium firmiter, & cum evidentià (suppositâ revelatione) nego.

35 Quæ dicta sunt circa cognoscibilitatem mysterij, intelligenda sunt tàm de ipso secundùm positivum, quàm secundùm negativum. Secundùm negativum accipitur, quatenus in Deo non sunt plures, nec pauciores tribus Personis in unitate essentiæ; secundum positivum quatenus in eà unitate sunt tres Personæ. Probatur doctrina hæc: nam si Trinitas secundùm negativum nequit naturaliter probabiliter cognosci: ergo à fortiori neque secundùm positivum. Ratio hujus: principia metaphysica, quæ mysterium impugnant, magis impugnant positivum mysterij, quàm negativum; unitas enim naturæ cum distinctione reali Personarum est, quæ directè impetitur illo principio: *quę sunt eadem uni tertio &c*; & illo: *Quodlibet est &c.* Adde, quod suppositâ revelatione, bonis, & probabilibus rationibus explicatur, divinas Personas nec plures, nec pauciores esse tribus, ijsque ante assensum fidei suaderi potest probabiliter hęc con-

conditionalis : *si in Deo uno sunt plures Personæ, non sunt, nisi tres.* At nec ante, nec post revelationem nulla est ratio suadens Personarum distinctionem in unitate naturę, quæ non extinguatur prorsus, attento naturali lumine, ab illis principijs allatis.

36 Objicitur. Probabile est, dari in creatis distinctionem virtualem, v.g. inter animam, & ejus potentias, interque istas mutuo: & sic explicatur hoc exemplo Trinitatis mysterium. Ergo probabiliter adstruitur istiusmodi distinctio in divinis, attento lumine naturali. Sed eà distinctione adstructà, naturali probabili ratione ostenditur probabiliter possibilitas mysterij, & ex eà facilis est gradus ad existentiam: nam positâ hac distinctione, non urgent illa principia: *Quę sunt eadem*, et: *Quodlibet est*, &c: ergo mysterium secundùm positivum, &c.

37 Dist. maj. probabile est, dari in creatis distinctionem virtualem sufficientem ad identitatem realem in tertio extremorum, quæ realiter inter se distinguuntur, neg; insufficientem ad hoc, conc. & constat ad reliquum. Est infinitè excellentior distinctio virtualis, quę est in mysterio Trinitatis, quàm quæ probabiliter ab aliquibus admittitur in creatis. Reclamas: est probabile, quòd ex distinctione virtuali reali infertur distinctio realis

lis extremorum, quæ realiter identificantur in tertio. Occurro: hæ duæ propositiones non sunt comprobabiles: *in creatis datur distinctio virtualis, & hæc distinctio infert distinctionem realem identificatorum in tertio*; aliter esset probabile, in creatis esse possibile mysterium Trinitatis. Ideo, qui unam ex illis propositionibus admittunt, alteram negant.

38 Assertum prævium. De essentiâ divinâ, & de divinis Relationibus verificantur prædicata quędam de se oppositâ, quæ in creatis verificari non possunt sine reali extremorum distinctione. Sic communis Theologorum sensus, à quo recessit Pater Ramirez, tom. 1. de Scient. disp. 4. c. 4. & 5. hæc docens. 1: in divinis nil verificatur de essentiâ, quod eodem modo non verificetur de Relatione, & vicissim. 2: nulla est in Trinitate difficultas, quæ in creatis non inveniatur. Ratio hujus: quia de actu contritionis verificatur *esse Dei*, & *non esse Dei*; nimirum esse Dei amorem, & non esse Dei odium: de actione, & passione verificatur *esse agentis*, & *non esse agentis*; quia est actio agentis, & non est passio agentis: de ipsâ materiâ primâ verificatur *esse unius*, & *non esse unius*; in quantum est exigentia unius formæ, & capacitas plurium. Efforma, inquit citatus Doctor, in his exemplis syllogismos expositorios, & eamdem, quam in Trinitate, dif-

difficultatem invenies, ut si dicas: *hic amor est hoc odium; & hic amor est Dei: ergo hoc odium est Dei.* Rejicitur hæc cogitatio, &

39 Probatur assertum nostrum. Concilia, & Patres uno ore prædicant, Trinitatis mysterium esse supra omnem etiam Angelorum intelligentiam. Pro omnibus audiatur Augustinus 1. de Trinit. c. 2. *humanæ mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur.* Audiatur & Angelicus de exemplis à creaturis ad Trinitatem explicandam desumptis sapienter admonens in 1.d.33.q.1.a.1. ad 2: *plus habent de dissimilitudine, quam de similitudine; & omninò magis abducunt à veritate, quàm in verum intellectum inducunt.* Ergo in mysterio Trinitatis difficultas est, quæ in creatis non invenitur; alioqui aut mysterium illud non excedit creatam mentem, aut absonè dicendum erit, esse supra hominum, & Angelorum captum, quòd idem actus sit amor Dei, & odium peccati, & sic de alijs exemplis. Quæro: an hęc prædicata *identificari, distingui*, possint componi in creatis in eodem esse reali? Fatetur citatus Doctor, ejusmodi prædicata in creatis numquam inveniri. Atqui ejusmodi prædicata verificantur in divinis: nam de *essentiâ* verificatur *identificari cum Filiatione*; de Paternitate autem, quæ est idem esse rea-

le

le cum essentiâ, verificatur, *distingui à Filiatione*: ergo in divinis verificantur prædicata, quę in creatis verificari non possunt sine reali extremorum distinctione; & in Trinitate est difficultas, quæ in creatis non invenitur.

4o Urgetur. *Communicari realiter per identitatem cum alio*, & *non communicari realiter per identitatem cum alio* sunt prædicata sic opposita, ut in creatis verificari nequeant sine distinctione reali; sed ejusmodi prędicata verificantur de essentiâ, & de Paternitate: ergo. Item: duo extrema *identificari* cum uno tertio, & *non identificari* inter sę, sunt prædicata, quæ in creatis verificari non possunt; sed illa verificantur in Trinitate: ergo. Occurrit citatus Doctor hac distinctione: essentia *relativè* non communicatur, & Paternitas *essentialiter* communicatur; & vicissim, sicque in divinis nil verificatur de essentiâ, quod non verificetur de Relatione, & vice versâ. Contra est, & instauratur argumentum: essentia *essentialiter* sumpta *communicatur realiter*, & essentia *relativè*, seu paternaliter sumpta, *non communicatur realiter*. Sed communicari realiter, & non communicari realiter sunt prędicata, quæ in creatis verificari non possunt sine reali distinctione: ergo de essentiâ *essentialiter*, & de essentiâ *relativè* sumptâ verificantur prædicata quæ in creatis sine distinctione reali

ve-

verificari non possunt. Ulteriùs: sed essentia *essentialiter*, & essentia *relativè* sumpta sunt summè realiter identificata: ergo in divinis de summè realiter identificatis verificantur prædicata, quę in creatis sine distinctione realì non possunt verificari. Hic maximè observandum, his terminis *essentia essentialiter sumpta*, *essentia relativè sumpta* aliud non obtineri, nisi mutari penes voces extrema, de quibus juxta Concilia, Patres, & Theologos verificanda sunt opposita: nam de *essentia*, & *Relatione* verificanda sunt ejusmodi prædicata; *essentia autem essentialiter* sumpta, & *essentia relativè* sumpta idipsum sunt, quod essentia, & Relatio.

41 Ad exempla, quibus utitur rejecta opinio, respondetur facilè. 1: negatur in creatis de eàdem realiter entitate verificari prędicata ex se contradictoria: de actu v.g. contritionis verificatur esse Dei amorem, & non esse Dei odium: quæ prædicata non sunt ex se contradictoria. Prædicata contradictoria sunt affirmatio, & negatio ejusdem: de illo actu affirmatur, esse amorem Dei, sed id non negatur; negatur, esse Dei odium, sed id non affirmatur. At in divinis hæ propositiones verę sunt: *essentia divina est realiter Filiatio*, *Paternitas non est realiter Filiatio*; in his autem propositionibus veniunt affirmatio, & nega-

tio

tio ejusdem prædicati. 2: omittitur in creatis posse verificari prędicata contradictoria ; ac proinde in creatis reperiri distinctionem virtualem realem. Sed negatur, in creatis verificari prædicata contradictoria, quæ postulant distinctionem realem in tertio; qualia in divinis sunt ista : *essentia est Filiatio* ; *Paternitas non est Filiatio* : quæ afferunt distinctionem realem Relationum, quæ identificantur in tertio, nempe in essentiâ. Ex dictis manet, in divinis verificari prędicata de se opposita, quæ in creatis sine distinctione reali verificari non possunt : aut quia in divinis, non autem in creatis, de eodem esse reali verificantur prædicata de se contradictoria ; aut quia in divinis verificantur, non autem in creatis, prędicata opposita, quę afferunt distinctionem realem in tertio.

42 Jam verò, cum hæ propositiones, *essentia est realiter Filiatio*, &, *Paternitas non est realiter Filiatio*, sint affirmatio, & negatio ejusdem prędicati, aliquam inter subjecta distinctionem supponere debent, ut sine contradictione verificentur. Quęnam igitur est distinctio inter essentiam, & Paternitatem, aliasque divinas Relationes? Erravit Gilbert. Porretan. Episcop. Pictavienf. asserens, Relationes divinas esse re ipsà distinctas à naturà, ita ut possint de ipsà negari, esse tamen eter-

nas, & Deo affixas. Contra hunc errorem pugnavit egregiè D.Bernardus:illum damnavit Eugenius III.in Concilio Rhemensi;& Gilbertus illum retractavit. Argumenta circa istum errorem sunt. 1: quia jam Persona divina non esset summè simplex, sed veris partibus constaret. 2: quia Relatio distincta à Deitate non esset Deus, ac proinde non esset à se, sed ab alio; ac per consequens Persona divina per aliquid creatum constitueretur. 3: Relatio vel est supra, vel infra, vel æqualis Deo? Si supra: Relatio esset Deus, & Deus non esset Deus. Si infra: Relatio esset creatura; & sic Persona divina constitueretur per aliquid creatum. Si æqualis: ne Relatio sit alter Deus, debet esse indistincta à Deo. Non benè audit Durandus docens, inter essentiam, & Relationes dari distinctionem realem, non quidem rei à re, sed rei à modo; sicut inter causam, & actionem. Rejicitur ijsdem argumentis, quibus præcedens error Gilberti. Additur: distinctio rei à modo præstat, ut simpliciter de re negetur modus; & sic vera est, ut jacet, hæc propositio: *causa non est actio*: ergo datà distinctione actuali rei à modo inter essentiam, & Relationem, negabitur simpliciter de essentiâ Relatio; & sic vera erit, ut jacet, hęc propositio, quę erronea est: *essentia divina non est Paternitas.*

Pri-

43 Prima acutissima, solidèque probabilis sententia est, quam tradit Subtilis Doctor Scotus, quem sui sequuntur. Ponit inter essentiam divinam, & Relationes distinctionem mediam formalem ex naturâ rei; & asserit, istam distinctionem sufficere ad explicandam, solvendamque difficultatem mysterij Trinitatis. Sententiam istam latè impugnavi d. 1. c. 3. sect. 2. & 3. integris: quia in re coincidit cum errore Gilberti, & officit summæ Dei unitati, atque simplicitati.

44 Rejicitur modò distinctio formalis ex naturâ rei, quia insufficiens ad enodandam difficultatem mysterij Trinitatis: nam verificantur prædicata, quæ in creatis verificari non possunt sine distinctione strictè, & simpliciter reali. Hæc nimirum: *hæc natura realiter non producitur, hęc Filiatio realiter producitur*; hęc etiam, *hæc extrema Paternitas, & Filiatio identificantur realiter cum uno tertio; eadem ista extrema non identificantur realiter inter se*: & similia alia. Si recurras ad infinitatē, qua est in divinis distinctio formalis ex naturâ rei; contrà est: ergo distinctio formalis ratione infinitatis æquivalet distinctioni strictè reali quoad munus verificandi contradictoria, quæ in creatis sine distinctione strictè reali verificari nequeunt: ergo similiter distinctio virtualis, seu eminentialis ratione infinitatis

æquivalet distinctioni actuali quoad munus verificandi prædicata, quæ sine distinctione actuali in creatis verificari non possunt. Rursus: in divinis verificatio illorum prædicatorum non provenit à distinctione formali, sed ab infinitudine extremorum, inter quæ versatur: ergo ad ejusmodi verificationem inutilis est ista distinctio. Demum: tàm sunt simpliciter realia hęc prędicata opposita, *producitur realiter, non producitur realiter*, quàm sunt actualia; sed in divinis verificantur de essentia, & Relatione sine distinctione simpliciter reali: ergo & verificari possunt sine distinctione actuali inter essentiam, & Relationem; ac proinde sine distinctione formali ex naturà rei. A contrario sensu; quia ea prædicata sunt contradictoria *actualia*, nequeunt verificari sine distinctione *actuali* extremorum, ut volunt distinctionis formalis defensores; sed eadem sunt contradictoria *simpliciter realia*: ergo non possunt verificari sine distinctione *simpliciter reali*: ergo non sufficit distinctio formalis ex naturà rei.

45 Expendamus difficultatem desumptam ex illo principio: *quæ sunt eadem uni &c.* Illam ex suà distinctione sic solvit Scotus; *illud sic est intelligendum: quæcumque aliquà identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sunt eadem; quia non potest concludi aliqua iden-*

identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadem medio: & per hanc propositionem tenet omnis forma syllogistica. Sic in 1.d.2.quæst.4. ad 1.articul. En contra istam distinctionem urgens argumentum. Eàdem identitate, qua extrema sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater, & Filius sunt identitate reali, licèt non formali, eadem uni tertio, nempe eidem essentiæ: ergo Pater, & Filius sunt idem inter se identitate reali, licèt non formali.

46 Occurrit Subtilis. Non valet hoc argumentũ: quia in præmissis solùm ponitur, quod Pater, & Filius sint idem *essentialiter*, hoc est, una res, quę est essentia; in conclusione autem efformatur, quòd sint idem *suppositaliter*: hoc est, unum suppositum. Contrà: quia syllogismus rectus est, quamvis in conclusione inferatur, quòd sint unum suppositum. In nullo siquidem differt ille syllogismus ab hoc legitimo: *Hic homo est hoc rationale; Petrus est hic homo: ergo Petrus est hoc rationale.* Et ratio est; quia in utroque syllogismo medium est singulare; unde rectè in utroque identitas extremorum concluditur; nisi Scotista velit limitare sui Doctoris regulam, ut non procedat de extremis, quę sunt suppositа, principium illud, *Quæ sunt eadem uni &c.*

47 Dices. In eo syllogismo, *Pater est*

Deitas; *Deitas est Filius*: *ergo Filius est Pater*, committitur fallacia figuræ dictionis: quia nempe commutatur *quale quid* in *hoc aliquid*. Non itaque rectus est; sicut nec iste: *animal est homo; equus est animal: ergo equus est homo*. Et est ratio: quia medium *animal* est terminus multiplicabilis; & medium *Deitas* est terminus communis. Contrà: medium, cui identificantur homo, & equus, non est idem realiter animal; at medium, cui Pater, & Filius identificantur, est eadem realiter una Deitas: ergo ab illo syllogismo fallaci ad nostrum syllogismum, nè rectus sit, non est paritas. Rursus: noster syllogismus eò tendit, ut appareat, naturam singularem non posse esse identicè communem pluribus absque ejus plurificatione: infertur enim necessariò, quòd illa plura non essent plura; nam essent eadem uni tertio singulari, ac proinde essent eadem inter se. Supponitur ex Fide, Deitatem esse communem, & immultiplicabilem. At quo enodatur modo per distinctionem formalem difficultas, quam involvit syllogismus efformatus ex illo principio, *Quæ sunt eadem uni &c.* Nullo profectò.

48 Respondebis: syllogismus ille exorbitat: nam tantùm excludi debet, quòd Pater, & Filius sint idem in essentiâ, sic: *ergo Pater est idem cum eo, quod est Filius*. Contrà: hoc mo-

modo non infertur extremorum identitas inter se, sed eorum identitas uni medio, contra principium illud, *Quæ sunt eadem &c.* Hinc evertitur ars syllogistica, quam totam indemnem servare conatur Subtilis; hæc ars aliam identitatem docet colligere ex identitate posita in præmissis: juxta responsionem autem solùm colligitur identitas extremorum in medio, quæ asserebatur in præmissis. Adde: hic syllogismus rectus est, *Petrus est hic homo; hic homo est hoc rationale: ergo Petrus est hoc rationale.* Non esset rectus, imò nec esset syllogismus, si consequens istud poneretur, *ergo Petrus est idem cum eo, quod est hoc rationale:* esset enim mera repetitio præmissarum: ergo similiter rectus est syllogismus ille, in quo ex identitate Patris, & Filij cum Deitate &c.

49 Secunda sententia, eaque communissima Thomistis, & Jesuitis, solam distinctionem rationis agnoscit inter Relationes, & essentiam divinam; sed plerique ad eminentissimam Dei infinitatem confugiunt, ut explicent difficultatem mysterij: pauci aliqui dicunt, prædicata opposita verificari in Deo per solam actualem distinctionem rationis. In horum Authorum mente aliquid latet nobis incognitum, aut ipsorum opinio Trinitatis mysterio non congruit: ut ex Patre Ant. Perez rectè notavit Pater Herrera hìc s. 1. q. 4.

Sententia ista posteriori modo exposita impugnatur efficaciter: nam si ponat, quòd in prædicationibus intrat conceptus noster formalis, ut pars subjecti, ut cùm dicitur, *Paternitas non est Filiatio, essentia est Filiatio*, & subjectum non sit sola essentia, sed etiam noster conceptus formalis illam exprimens, dicit apertè falsum. 1: quia jam esset falsa propositio ista, *essentia est Filiatio*: conceptus enim formalis mentalis *essentia* neque est Filiatio ipsa, nec identificatur cum istà expressione mentali *Filiatio*. 2: quia in hac propositione, *essentia est Filiatio*, terminus *essentia* non est secundæ intentionis, sed primæ, non supponit simpliciter, sed personaliter; se habet ut terminus *homo* in hac prædicatione, *homo est animal rationale*, & non sicut terminus *homo* in istà aliâ *homo est species*. 3: quia ante omnem actualem præcisionem nostram verum est, quòd in Patre est aliquid realiter identificatū cum Filiatione, & aliquid realiter distinctum à Filiatione. Superest, ut dicatur, prædicationes illas esse solùm de essentiâ divinâ, & Relationibus; sed tamen per distinctionem rationis actualem verificari. Contrà: quia mysterium Trinitatis est omnino independēs à nostris præcisionibus: ergo independenter ab ipsis est in Patre aliquid, quod identificatur realiter cum Filio, & aliquid, quod distinguitur

guitur realiter à Filio. Item: distinctio rationis non sufficit, ut animal hominis producatur, & non producatur rationale hominis: ergo aliquid est supra distinctionem rationis id, vi cujus in divinis Filiatio producitur, & essentia non producitur. Demum: distinctio rationis non sufficit, ut communicetur intellectus, & non communicetur voluntas: ergo nec sufficit, ut communicetur essentia, & non communicetur Paternitas. Paucis: per distinctionem rationis aliud non obtinebitur, nisi sensus merè præcisivus, sicuti cùm dicitur: *rationale hominis prout rationale discurrit; animal hominis prout animal non discurrit*; sensus autem merè præcisivus non quadrat mysterio Trinitatis; ut est evidens.

50 Dices 1: ad verificanda opposita in divinis sufficit distinctio, quam Patres, & Concilia agnoscunt; sed agnoscunt solam distinctionem rationis, ut dictum est suprà ex Florentino: ergo. 2: Divus Thomas ubique docet, distinctionem rationis sufficere ad verificanda contradictoria: ut constat ex ijs testimonijs, quæ congerunt Salmaticenses hìc d. 5. §. 6: ergo. 3: non minùs opponuntur *cognosci*, & *non cognosci*, quàm *communicari*, & *non communicari*; sed ut cognoscatur essentia, & non Relatio, sufficit distinctio rationis præcisiva ex parte objecti: ergo & sufficit, ut commu-

municetur essentia, & non Relatio : ergo &c.

51 Ad 1. Concilia, & Patres agnoscunt solam distinctionem rationis ad explicandam unitatem, & simplicitatem Dei; ad conciliandа autem prædicata opposita recurrunt ad Dei infinitatem: & in hac ad distinctionem virtualem realem; ut ex jam dicendis constabit. Ad 2. Angelicus accipitur de fundamento distinctionis rationis, seu de distinctione intrinsecà virtuali, quæ est in Deo inter essentiam, & Relationem. In creatis fundamentum distinctionis rationis non sufficit ad verificanda prædicata ex se contradictoria propter limitationem; sufficit autem in Deo propter infinitatem. Ad 3. Negatur illa contradictoria *cognosci*, & *non cognosci* posse verificari nisi præsupositâ distinctione virtuali reali; & additur, quòd hac præsupositâ, non debent illa verificari, *essentia cognoscitur*, *Relatio non cognoscitur*. Ratio: quia distinctio virtualis ad ea tantùm contradictoria extenditur, pro quibus urget fides, aut ex fide desumptum efficax argumentum; pro illorum autem verificatione nec fides, neque argumentum ex fide desumptum urget efficaciter. Dicunt aliqui illa contradictoria *cognosci*, & *non cognosci* esse extrinseca, & intentionalia, ad ipsorumque verificationem sufficere distinctionem

nem extrinsecam, & intentionalem; indeque desumunt disparitatem ad ista alia, *communicatur realiter*; *non communicatur realiter*. Alijs placet hęc disparitas, quòd illa contradictoria, *cognoscitur*, *non cognoscitur*, verificantur solùm post operationem intellectùs; ista verò alia, *communicatur realiter essentia*; *non communicatur realiter Paternitas*, verificantur ante omnem præcisionem intellectùs: ac proinde pro istis non sufficit distinctio rationis, etiam objectivè præscindentis.

52 Ut sua argumenta instaurent, & nostra solvant ad hanc mirabilem cogitationem ex Adversarijs recurrunt Thomistæ aliqui. Alia, inquiunt, sunt nomina, quæ significant res divinas, ut sunt in se; id generis sunt *entitas*, *realitas*: & sic dicimus, *entitas*, *realitas* essentiæ est entitas, realitas, *quæ est Relatio*. Alia sunt nomina, quæ res divinas significant, ut ab intellectu pręcisas: qualia sunt, *Essentia*, *Relatio*, *Deitas*, *Paternitas*. Inferunt: hæ propositiones veræ sunt, *natura est communicabilis*, & *Paternitas est incommunicabilis*; quia important perfectiones divinas ut distinctas; important proinde subjecta apta, ut de illis affirmetur, & negetur idem prædicatum, sicut in creatis dirimitur contradictio ob realem subjectorum distinctionem. Quod si dicatur, *essentia, ut est à parte rei, est incommu-*

municabilis, &, *Paternitas*, *ut est à parte rei*, *est communicabilis*, negant suppositum: quia essentia, & similiter Paternitas, ut eo nomine significata, videlicet ut distincta, non est à parte rei. At verò, si nomina significent divinas perfectiones, ut sunt in se, utraque propositio affirmans, & negans idem vera est; *entitas essentiæ generat*; *entitas essentiæ non generat*: &, *entitas Relationis communicatur*; *entitas Relationis non communicatur*.

53 Contrà est. Sequitur, quòd propositiones ut jacent certę de side negandæ sint ut falsæ, vel illis est negandum suppositum. Exempla sint: *Deus unus à parte rei creat mundum*; *Deus à parte rei est unus tantùm*. In his propositionibus catholicis præscindimus à Personarum Trinitate; & quis, illis auditis, dicat, *nego suppositum*? Quòd scilicet à parte rei, & ante omnem operationem intellectùs detur Deus, ut hoc nomine significatur, nempe præcisus à Trinitate, præscinditur autem, quia eo nomine Trinitas non explicatur. Ergo non aptè negabitur suppositum hujus propositionis: *Deitas à parte rei est communicabilis*; dicendo, quòd à parte rei non datur Deitas, ut significatur eo nomine. Rectène negabis suppositum hujus propositionis, *à parte rei homo differt ab equo*? At à parte rei non est homo, ut significatur, præcisus nempe à singu-

gularitate. Si dicam, *à parte rei omnis homo discurrit*, negabis suppositum; quia à parte rei non datur omnis homo, prout significatur confusè illo termino, sed solùm datur à parte rei Petrus, Paulus, & cæteri discreti per singularitates? Ergo immeritò negabis suppositum hujus, & similium, propositionis, *Deitas à parte rei est communicabilis.* Et ratio est, quã suprà dedimus, quia sicut terminus *homo* non est secundæ intentionis, ita nec hic terminus *Deitas*, & similes, *natura, Persona, &c.*

54 Contrà est insuper. Isti termini non involvunt contradictionem, ob quam in propositionibus sit negandum suppositum: *realitas* essentiæ, *entitas* essentię; ut docent Adversarij: ergo neque in his contradictio involvitur, *essentia ut est à parte rei.* Probatur consequentia: quia isti termini sunt synonymi: *realitas essentię*; *essentia secundùm realitatem*: ergo & isti sunt æquivalentes; *essentia secundùm realitatem*; *essentia realiter sumpta*; *essentia ut est à parte rei.*

55 At videamus, quid Adversarij dicant, dùm avertunt de nominibus significantibus Dei perfectiones, ut sunt in se, sustinere affirmationem, & negationem ejusdem prædicati absque verà contradictione, sed tantùm apparenti. Quantum capio, id dicunt: *aliqua realitas, quæ est essentia, generat*, scilicet

Pater ; &, *aliqua realitas, quæ est essentia, non generat*, scilicet Filius ; quę quidem propositiones sunt particulares, & subcontrariæ. Desumo : à parte rei est *realitas*, quę est essentia communis : ergo à parte rei est essentia communis, quæ est realitas. Bona est consequentia per conversionem logicam. Quęro : ista realitas, quę est essentia communis, vel generat, vel non generat ? Si 1: ergo essentia, quæ est realitas generat, & realitas, quæ est essentia, non generat; sed utraque realitas est una, eademque simplex : ergo de unà, eàdemque simplicissimà entitate utrumque verificatur. Si dicatur 2: idem infertur: nam realitas, quæ est essentia communis, generat, & essentia communis, quę est realitas, non generat; utraque autem realitas est una, eademque simplicissima entitas.

56 Redit ex dictis difficultas : à parte rei, & ante omnem distinctionem rationis ista determinata realitas, quę est essentia communis, non generat ; sed Pater est à parte rei ista determinata realitas, quæ est essentia communis : ergo Pater à parte rei non generat. Quo igitur modo solvenda est difficultas, quam ingerunt principia metaphysica, *Quodlibet est, vel non est*; &, *Quę sunt eadem &c.*

SEC-

SECTIO IV.

Resolvitur difficultas.

57 CONcluſio ſit. Arcani myſterij difficultas per diſtinctionem virtualem realem Perſonalitates inter, & eſſentiam (quātum humanæ tenuitati conceditur) unicè poteſt explicari. Dixi, *quantum humanę tenuitati conceditur*; quia unitas divinæ eſſentiæ cum Perſonalitatibus non tàm verbis eſt explicanda, quàm *ſilentio veneranda, & ſtupore contemplanda*: ut continuò monent nos Patres.

58 Tertia ſententia admittit in divinis inter eſſentiam, & Relationes diſtinctionem virtualem realem; & aſſerit, illam eſſe neceſſariam, & ſufficientem ad explicandam difficultatem myſterij Trinitatis. Hanc ſententiam, exceptis Scotiſtis, pauciſque alijs, tenent reliqui Theologi, licèt non omnes ijſdem terminis utantur. Familiarior explicatio deſumitur ex Cajetano, & Patre Valencia, quos ſequuntur multi apud Patrem Iſquierdo in Pharo diſp. 13. q. 6. Igitur unum æquivalere pluribus, tùm in perfectione, tùm in virtute, certum eſt; & inde deſumitur diſtinctio fundamentalis, ſeu fundamentum ad diſtinctionem rationis. Unum æquivalere plutibus in diſtinctione, hoc enimvero difficilè eſt, & hoc in Deo concedendum eſt propter emi-

eminentiſsimam, & infinitam perfectionem. Hęc æquivalentia pluribus in diſtinctione, ſeu quoad diſtinctionem, dicitur *diſtinctio virtualis realis*, ſeu *diſtinctio eminentialis*: non quia æquivaleat diſtinctioni reali quoad effectum primarium; ſed quia æquivalet quoad ſecundarium. Effectus primarius diſtinctionis realis eſt reddere formaliter, & conſtitutivè unũ ens realiter diſtinctum ab alio; & iſte effectus convenire nequit diſtinctioni virtuali reali, quę ex ſuo conceptu ſupponit identitatem realem extremorum. Effectus ſecundarius diſtinctionis realis eſt, reddere extrema realiter diſtincta apta ad verificanda prædicata contradictoria; & iſte effectus convenit diſtinctioni virtuali reali. Prædicata oppoſita, quæ in vi diſtinctionis virtualis verificantur, dicuntur *ex ſe contradictoria*, ſive *aliàs contradictoria*: quia interveniente diſtinctione virtuali, evaneſcit contradictio exercita; ſive ejuſmodi prædicata ſolùm contradictoriè opponuntur reſpectivè ad ſubjectum realiter, & virtualiter idem.

59 Concluſionis jactę probatio deſumenda præcipuè eſt ex Concilijs, & Patribus docentibus ex unà parte inter eſſentiam, & Relationes eſſe *perfectiſsimam unitatem*; & ex alià *eſſe conjunctas diviſim, ac diviſas conjunctim; hanc que unitatem eſſe diviſivam*. Pro omnibus

nibus audiatur Augustinus in sermonibus ad Fratres serm. 15. ad medium: *Trinitas dividitur indivisibiliter, & conjungitur divisibiliter*: quia nempe divisio est indivisibilis, & conjunctio divisibilis: ergo siquidem conjunctio perfectissimæ identitatis Personalitatum, & essentię excludit omnem actualem distinctionem à parte rei, supereſt, ut divisio, seu distinctio sit tantùm eminentialis, æquivalentię, seu virtualitatis, ratione cujus quoad verificanda opposita æquivalent pluribus essentia, & Relatio. Confirm: docent Patres, unitatem divinarum Relationum, seu proprietatum cum essentiâ excedere, non solùm unitates creaturarum, sed &*reliquas unitates ejusdem Divinitatis*. Audiendus pro omnibus D. Dionys. c.2. de divinis nominibus n.4. de unitate Personarum, & essentiæ sic affirmans: *summa omnium ejus, quę supra omnia est, totius proprietatis identitas*. Speciale autem hoc non est, quòd sit infinita identitas; neque quòd sit incomprehensibilis, neque qnòd sit inter extrema, quę excedunt creatum intellectum; hæc enim omnia conveniunt unitati, & identitati Omnipotentiæ, & Immensitatis. Ergo illud speciale, quod est in unitate essentiæ, & Personalitatum in hoc stat, quòd in unitate conjugatur, non quidem distinctio, sed virtus ad effectum distinctionis. Confirmatur ite-

rum: Patres sæpe hoc inculcant, *infinitam unitatem, quæ supra omnia est, naturis finitis non esse mensurandam*; per hoc autem satis exprimunt distinctionem infinitæ unitatis Dei à finitâ unitate entis creati in eo stare, quòd unum creatum unitate simplicitatis non æquivaleat pluribus quoad verificationem oppositorum; æquivaleat autem summa unitas essentiæ divinæ, & Relationis: ergo hęc æquivalentia datur. Subsumo ex hucusque dictis; sed realis virtualis distinctio nil est aliud, quàm explicata æquivalentia: ergo inter divinam essentiam, & Relationes, &c.

60 A ratione suadetur conclusio. Inter essentiam divinam, & Relationes est aliquid, ratione cujus verificantur prædicata *ex se*, & *aliàs opposita*, quæ in creatis verificari non possunt sine distinctione reali. Sed istud neque est distinctio formalis ex naturâ rei, neque est distinctio rationis: ergo est distinctio æquivalens, eminentialis, & virtualis realis. Consequentia est bona; præmissæ probatæ manent sectione præcedenti: major videlicet in asserto prævio, minor autem in impugnatione falsarum sententiarum.

61 Dices 1. Supereſt identitas non omnimoda, & similiter non omnimoda distinctio inter essentiam, & Relationes. Contrà: quia hęc ipsa distinctio, & identitas non omnimo-

nimoda est mysterij difficultas; quæ in hoc consistit, ut *cùm dividitur S. Trinitas numerabilibus subsistentijs, identitate essentiæ, atque naturæ conjungitur, & omnimodam partitionem non recipit*, ut loquitur sexta Synodus Generalis sub Agathone Papà art. 11. §. *Huic proinde.* Hæc non omnimoda partitio, distinctio, & identitas, aliud non est, nisi quòd divinæ Personæ distinguuntur in proprietatibus, & non distinguuntur in essentià. Sed adhuc explicandum restat, quo fieri possit modo, ut unum identificetur realiter cum alio, & non identificetur realiter cum omni eo, cum quo illud aliud realiter identificatur; hoc est, quomodo Paternitas realiter identificetur cum essentià, & non identificetur realiter cum Filiatione, cum qua realiter identificatur essentia? Hoc ab eo non præscindit, quòd de eodem esse reali in divinis verificentur prædicata opposita, quæ in creatis sine distinctione reali verificari non possunt: ergo distinctio non omnimoda ab hujusmodi oppositorum verificatione non præscindit: ergo neque à virtute ad illam verificationem; ac proinde recidendum est in distinctionem virtualem realem.

62 Dices 2. Supereſt identitas inadæquata, & similiter inadæquata distinctio inter Relationes, & essentiam. Contrà: quia hæc

propositio, *Paternitas non identificatur adæquatè cum essentiâ*, dupliciter exponi potest. 1, *Paternitas non identificatur cum omni eo, quod est essentia divina constitutivè in usurpatione Theologicâ*; & sic est falsa: nam essentia divina in eâ usurpatione solùm dicit constitutivè omnes perfectiones absolutas, & cum ijs omnibus identificatur Paternitas. 2, *Paternitas non identificatur cum omni eo, quod est identicè essentia*; & sic est vera: nam essentia divina est identicè Filiatio, à qua distinguitur realiter Paternitas. Sed superest explicandum quì fieri possit, ut Paternitas identificetur realiter cum essentiâ, quę realiter identicè est Filiatio, quin realiter identificetur cum Filiatione? In creatis bene percipitur identitas inadæquata partis cum toto, quia in toto sunt partes realiter inter se distinctæ: cum autem inter essentiam, & Relationes non detur realis distinctio, stare non potest identitas inadæquata, quin de eodem esse reali verificentur prędicata opposita, nimirum *identificari realiter*, & *distingui realiter*, quæ in creatis sine distinctione reali verificari non possunt. Ergo identitas, & distinctio inadęquatę, quę sunt in Trinitatis mysterio, explicari non possunt, nisi beneficio distinctionis virtualis realis.

63 Jam verò procedendum est sic. Distinctio

tinctio ista eminentialis, & virtualis non potest demonstrari impossibilis: nam intellectus humanus progreditur ex notis ad ignota cognoscenda. Quęcumque nota, aut noscibilia intellectui nostro sunt, ea limitata, & finita sunt; ex his autem dupliciter potest assumi argumentum. 1. à paritate: & istud statim infringitur evidentissimà disparitate illimitationis, & infinitudinis, quę evidentissimè convenit Deo. 2. à ratione; & istud sic debilitatur: omnis ratio, quam intellectus humanus efformare potest, habetur medijs speciebus rerum finitarum; species autem istę repræsentant imperfectissimè, imò & cum infinità distantià amplitudinem, & illimitationem Dei simpliciter infiniti: ergo fortè aliquid latet in Deo, ratione cujus argumenta, quæ convincunt, in creatis de eodem esse reali non posse sine contradictione exercità hęc, aut illa prædicata verificari, eamdem vim convincendi non habeant in divinis. Constitutus intellectus humanus in hoc statu, in quo sibi non appareat evidenter impossibilis distinctio virtualis realis in Deo, & deinde *per justitiam fidei vegetatus*, ut dictum est suprà ex Augustino, beneficio distinctionis realis solvere potest difficultates, quæ ex principijs metaphysicis oppugnare videntur mysteriũ Trinitatis.

64 Prima difficultas desumitur ex illo principio, *quodlibet est, vel non est*, cum impossibile sit rem simul esse, & non esse. Subsumitur; *sed Paternitas non est Filiatio, & essentia est Filiatio: ergo Paternitas non est essentia*; aut sic: *ergo vel Paternitas est Filiatio, vel essentia non est Filiatio.* Solvitur: principium illud, ut sit metaphysicum, ambiens totam amplitudinem entis, & verum in omni materia, intelligitur de eodem, non solùm realiter, sed & virtualiter indistincto. Sic principium est verum in creatis: quia extrema limitata, quæ sunt realiter eadem, non distinguuntur virtualiter; est verũ in divinis, nempe in ijs perfectionibus, quæ non distinguuntur virtualiter, in ijs autem, quæ virtualiter distinguuntur, non falsificatur principium: quod procedit de quolibet ente realiter, & virtualiter eodem. Habito verò illius principij sensu, & concessà 1. parte minoris, distinguitur 2: essentia est realiter, & non virtualiter Filiatio, conceditur; essentia est realiter, & virtualiter Filiatio, negatur hæc pars, & 1. syllogismi consequentia. Negatur & 2: quia in hac disjunctivà, *vel Paternitas est Filiatio, vel essentia non est Filiatio*, subjectum utriusque simplicis est virtualiter multiplex, seu virtualiter distinctum: quapropter sicut hæc disjunctiva est falsa, *vel Petrus est homo, vel Pau-*

Paulus non est homo, propter distinctionem realem subjectorum, ita & illa est falsa propter virtualem distinctionem Paternitatis, & essentiæ in ordine ad identitatem cum prædicato *Filiatio*.

65 Secunda difficultas emergit ex illo principio, *dici de omni*, *dici de nullo*; ex quo efformatur iste syllogismus de medio communi, *omnis natura divina est Pater*; *sed Filius est natura divina: ergo Filius est Pater*. Solvitur: principium illud procedit de perfectâ distributione termini universalis complectentis plura realiter adæquatè distincta, quorum unumquodque realiter virtualiter cum ratione superiore identificatur, cumque terminus *natura divina* non sit uniuersalis, sed purè communis, & rursus cum Personę divinæ ita identificentur realiter cum naturâ divinâ, ut ab ipsâ distinguantur virtualiter; hinc est, quòd signum illud *omnis* non distribuat perfectè terminum *natura divina*, ac proinde syllogismus non concludit. Quòd si ponatur signum aliquod perfectè distribuens medium, quod non distinguitur à naturâ divinâ, syllogismus concludet sic, *omne, quod est natura divina, vel quidquid est natura divina, est Pater*; *sed Filius est natura divina: ergo Filius est Pater*. Syllogismus est bonus; sed major est falsa.

66 Tertia difficultas oritur ex illo principio, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; ex quo efformatur iste syllogismus expositorius, seu de medio singulari, *hæc Paternitas est hæc essentia; sed hæc essentia est hęc Filiatio: ergo hęc Paternitas est hæc Filiatio.* Solvitur: principium illud in totà suà abstractione est de identitate extremorum cum uno tertio realiter, & virtualiter indistincto. Hinc in quocumque ente creato concludit: quia in ente limitato repugnat distinctio virtualis realis inter realiter identificata. Concludit etiam in ijs perfectionibus Dei, inter quas virtualis distinctio non datur: ideoque bene concluditur, Omnipotentiam, & Immensitatem esse eadem inter se, quia sunt eadem cum Deitate. Non concludit identitatem Relationum inter se, ex eo quòd sint eadem cum essentià divinà: quia nempe inter essentiam, & Relationes datur virtualis distinctio. Syllogismus ex eodem principio efformatus non est expositorius: neque enim est de medio purè singulari, sed de medio realiter communi; communitas autem hujus medij *essentia divina* non auffertur, imò exprimitur per adjectum *hęc*: nam de conceptu hujus essentiæ est, esse realiter communem. Eadem est solutio ad alios syllogismos positos

De-

67 Dedimus (omissis novis cogitationibus) quæ clariora sunt, & quibus familiariter utuntur Theologi pro explicatione gravissimarum difficultatum in re præsenti. Qui datis nō acquiescunt, sic replicāt: principium illud, *quę sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ut traditur ab Aristotele, est metaphysicum ambiens totam abstractionem entis, ac proinde valet in divinis; sed, ut traditur ab Aristotele, non accipit explicationem ex reali virtuali distinctione petitam: ergo hæc explicatio rejicienda est; & alia quærenda, qua salvum sit principium illud.

68 Occurritur: aut principium illud, ut traditur ab Aristotele, admittit explicationem datam, aut non? Si 1: est principium metaphysicum, & universaliter verum. Si 2: ergo vel non est metaphysicum, & ambiens totam abstractionem entis, vel est omnino falsum. Quid itaque, erravit Aristoteles in illo principio? Erraverit quidem, sicut in multis erravit: præcipuè cum de Deo philosophari est aggressus. At probari poterit, principium illud in sensu Aristotelis esse verum? Minimè prorsus: nam probabitur vel ab inductione rerum finitarum, vel à ratione acquisitâ per species rerum earumdem; neutrum argumentum est firmum, ut ostensum est nostro numero 63: ergo. Cum itaque, attentis principijs

pijs naturalibus, Trinitatis mysterium sit supra rationis lumen, satis est ostendisse, non esse contra rationis lumen; & dicendum superest cum Divo Basilio Epist. 43: *mira est, & enigmati similis trium istorum* (divinarum Personarum) *discreta conjunctio, & conjuncta discretio.* Addendum cum D. Bernardo 5. de consideral. c. 8: *quærit aliquis, quomodo illud, quod catholicum esse dicimus, possit esse; sufficiat ei tenere, sic esse; atque hoc esse, non rationi perspicuum. sed fidei persuasum.* Concludendum cum D. Augustino per hoc naturę lumine evidentissimum argumentum: *Deus non foret Deus, si sub scientiam caderet creatam.*

SECTIO V.

Objectionibus respondetur.

69 OBjicitur 1: Distinctio virtualis opponitur simplicitati Dei. 1: quia magis simplex est, quod nec formaliter, nec virtualiter distinguitur; quia ibi est major convenientia in esse, quàm in ijs, quæ virtualiter distinguuntur: unde major esset simplicitas in essentià, quàm in essentià, & Relatione, datà inter hæc extrema distinctione virtuali. 2: ubi est distinctio virtualis est pariter virtualis compositio; hæc autem opponitur Dei summæ simplicitati. 3: distinctio major distinctione rationis opponitur simplicitati Dei; ideoque Concilia, & Patres solam distinctionem ra-

rationis admittunt inter Relationes, & essentiam: distinctio autem virtualis est major distinctione rationis. Subsumitur ex dictis; in divinis non est admittenda distinctio opposita simplicitati summæ: ergo non est admittenda distinctio virtualis realis.

70 Respondeo negando assumptum. Ad 1. probationem: non est magis simplex quod nec formaliter, nec virtualiter distinguitur: nam quæ in divinis virtualiter distinguuntur, sunt summè idem. Ratio: quia ibi est summa identitas, ubi nulla est distinctio; distinctio virtualis non est distinctio, sed virtus ad secundarium effectum distinctionis. Hinc essentia divina non est magis simplex, quàm essentia, & Relatio; & oppositum eveniret, si daretur distinctio formalis ex naturâ rei; nam hæc non est æquivalentia ad distinctionem quoad effectum secundarium, sed est actualis ex parte rei se tenens distinctio. Ad secundam probationem: sicut distinctio realis habet effectum primarium, reddere unum ens realiter distinctum ab alio, & habet effectum secundarium, reddere extrema apta ad sustinenda prædicata opposita: sic pariformiter distinguimus de compositione reali. Igitur in Deo non est compositio virtualis per æquivalentiam ad effectum primarium compositionis

nis realis, qui est, facere unum ea, quæ unum non sunt; est autem compositio virtualis per æquivalentiam ad effectum secundarium compositionis realis, qui est, *suscipere prædicationes oppositas*: quod necessariò convenit partibus realiter componentibus totum. Hanc compositionem virtualem satis insinuant Patres dicentes de Deo, *esse totum, & esse partem; & nec esse totum, nec esse partem*: ut signanter dixit D. Hierotheus ad cap. 2. D. Dionysij de divin. nomin. Ad 3. probationem: distinctio major distinctione rationis opponitur summæ simplicitati, cum excludat summam identitatem; sed negatur suppositum, quòd scilicet distinctio virtualis sit distinctio, cum solùm sit major distinctione rationis non in esse distinctionis, sed in esse virtutis ad secundarium effectum distinctionis realis. Hinc claudicat iste syllogismus: *Concilia, & Patres in divinis solùm admittunt distinctionem rationis; sed distinctio virtualis non est distinctio rationis: ergo Concilia, & Patres distinctionem virtualem non admittunt in divinis.* Claudicat, inquam; quia minor debet sic poni, *sed distinctio virtualis non est distinctio rationis, & est distinctio*; sic autem posita esset falsa quoad secundam partem.

71 Objicitur 2. Omnis distinctio eà ratione, qua est actu distinctio, excludit aliquam

quam identitatem; sed inter essentiam, & Relationem est actu distinctio virtualis: ergo hęc excludit aliquam identitatem essentiæ cum Relatione: ergo essentia, & Relatio, quippe quæ excludunt aliquam identitatem, actu distinguuntur. Major constat; & minor est ipsa virtualis distinctionis affirmatio. Confirmatur: hæc propositio est vera, *Paternitas non est virtualiter essentia*; sed in omni propositione negativà verà negatur aliqua identitas: ergo in illà propositione negatur cum veritate aliqua identitas Paternitatis cum essentia. Confirmatur iterum à contrario sensu: Paternitas est actu formaliter sine aliquà distinctione essentia; sed essentia est actu formaliter indistincta virtualiter ab essentià: ergo Paternitas est actu formaliter indistincta virtualiter ab essentià.

72 Respondeo, concessis præmissis, negando consequentias; quæ ut inferantur, præmissa minor debebat esse ista, *sed distinctio virtualis est actu distinctio*: & sic statim negabitur, quia non est distinctio, sed virtus ad effectum secundarium distinctionis. Constat hinc manifestum discrimen distinctionis virtualis à distinctione mediâ: per hanc negatur aliqua vera identitas inter Paternitatem, & essentiam, ita ut in aliquo sensu dicatur vera hæc propositio, *Paternitas non est Divinitas*;

per distinctionem virtualem nullo sensu negatur aliqua vera identitas inter Relationem, & essentiam, & hæc propositio, *Paternitas non est Divinitas*, rejicitur ut falsa. Igitur distinctio virtualis supponit summam identitatem; & solùm negat, illam identitatem esse talem, ut simul identificetur cùm incapacitate ad verificanda opposita. Ad 1. confirmationem, concesis præmissis, negatur consequentia. Sensus præmissæ majoris est iste, *Paternitas est essentia*; *& Paternitas, & essentia non sunt incapacitas ad opposita*; negatur itaque identitas cum ejusmodi incapacitate: unde ex eo, quòd per ejusmodi propositionem negativam, *Paternitas non est virtualiter essentia*, negetur cum veritate aliqua identitas, non infertur, quòd negetur aliqua identitas Paternitatis cum essentiâ. Ad 2. confirmationem, concesis præmissis, negatur consequentia: nam in præmissis mutatur suppositio. In majore de Paternitate in sensu identico affirmatur tertium, scilicet *essentia*; in minore de eodem tertio *essentia* affirmatur in sensu concretivo, & denominativo altera extremitas, nempe *indistincta virtualiter*: unde malè colligantur extremitates in consequenti sic: *ergo Paternitas est actu formaliter indistincta virtualiter ab essentia*. Esset autem bona illatio sic: *ergo Paternitas est actu formaliter id, quod*

est

est indistinctum virtualiter ab essentiâ; vel sic: *ergo Paternitas est actu formaliter indistinctio virtualis ab essentiâ.* Utraque consequentia concedenda est: quia Paternitas virtualiter distincta ab essentiâ est actu formaliter essentia, quæ est indistincta virtualiter ab essentiâ, & est indistinctio virtualis ab essentiâ. Sed instando

73 Objicitur 3. Quoties in nullo vero sensu datur distinctio aliqua in objecto, in nullo vero sensu potest in objecto negari unũ de alio; sed datà præcisè distinctione virtuali, in nullo vero sensu datur distinctio aliqua inter essentiam, & Relationem: ergo in nullo vero sensu potest negari unum de alio inter essentiam, & Relationem. Hoc est absurdum: nam *communicari* identificatum realiter cum essentiâ verè negatur de Relatione: ergo. Ad solutionem præmitto: non est idem negare de subjecto prędicatum *in abstracto*, atque illud negare *in concreto* denominationis: sic propositio ista est vera, *Paternitas est communicabilitas*; hæc autem est falsa, *Paternitas communicatur*: hæc est vera, *Paternitas est essentia communicata*; hæc verò est falsa, *Paternitas est communicata.* Ratio: quia in sensu concreto non solùm affimatur de Paternitate identitas cum prædicato, quod communicatur, qui est sensus abstractus, & verus; sed insuper

super, & præcipuè affirmatur ipsam Paternitatem esse communicatam, sive esse subjectum hujus denominationis *communicatur*: quod falsum est. Sensus abstractus dicitur etiam *identicus*, & *subsistantivus*; & vice versâ sensus concretus dicitur *denominativus*, & *adjectivus*. Ex his ad argumentum

74. Respondeo distinguendo majorem: quoties in nullo vero sensu datur distinctio aliqua in objecto, in nullo vero sensu *abstracto*, identico, & substantivo potest negari in objecto unum de alio, conc; in nullo vero sensu *concreto*, denominativo, & adjectivo, nego maj; & conc. min. conf. similiter dist. caditque reliquum argumenti. Concedimus, Paternitatem *esse communicari*: quia est sensus abstractus aliud non affirmans, nisi identitatem realem cum illo prædicato, quę identitas verè datur; negamus autem, Paternitatem *communicari*, seu esse communicatam: quia est sensus concretus, insuper affirmans ipsam Paternitatem communicari, & hæc communicatio non datur. Notentur ista. 1: non ideo præcisè negatur de Paternitate hoc prædicatum *communicatur*, quia est virtualiter distinctum, sed quia est sensus concretus; cumque in istà propositione, *Paternitas est essentia*, non sit sensus concretus, sed abstractus, inde est, quòd licèt essentia distinguatur virtuali-

ter

ter à Paternitate, non propterea posſit eſſentia de Paternitate negari. 2: hoc prędicatum *communicatur* negatur de Paternitate, & non iſtud *eſſentia*: hinc non arguitur major diſtinctio inter Paternitatem, & *communicari*, quàm inter Paternitatem, & *eſſentiam*; ſed ſolùm, quòd prędicatum *eſſentia* faciat in propoſitione ſenſum abſtractum, & prædicatum *communicatur* ſenſum concretum. 3: de Paternitate negatur hæc ipſa denominatio *communicari*, non quidem in ſenſu identico, ſed in ſenſu adjectivo: hoc eſt, ſi dicatur, *Paternitas non eſt hæc denominatio communicari*, propoſitio eſt falſa; ſi autem dicatur, Paternitas non ſuſcipit hanc denominationem *communicatur*, vera eſt propoſitio. Ad hoc autem non requiritur diſtinctio inter Paternitatem, & *communicari*; ſed ſufficit virtus ad effectum diſtinctionis.

75 Replicabis. Implicat, dari actu formaliter identicè in Paternitate omnia conſtitutiva hujus denominationis *communicatur*, & quòd in Paternitate non detur ipſa denominatio; ſed omnia illius denominationis conſtitutiva dantur in Paternitate: dantur enim in eſſentiâ, quę eſt ipſa Paternitas: ergo. Urgetur: implicat ſubjectum ſummè idem cum formâ, & non ſuſcipiens formæ denominationem; ſed Paternitas eſt ſummè idem

cum formâ hujus denominationis *communicatur*: est enim summè idem cum communicatione: ergo. Conc.maj. (quam negarent Connotatores) nego min: hoc enim ipso, quòd Paternitas distinguitur virtualiter ab essentiâ in ordine ad denominationem *communicatur*, non est subjectum capax ejus denominationis: ac proinde non dantur in Paternitate omnia illius constitutiva. Si dicas Paternitatem esse realiter ipsam capacitatem, occurram: inde non probari, quòd *sit capax*; sicut est realiter ipsum communicari, & *non communicatur*: quia hæ propositiones, *est capax*, *communicatur*, faciunt sensum concretum. Ad urgentiam dist. maj: illam concedo de subjecto summè eodem cum formâ, à qua non distinguatur virtualiter; & illam nego de subjecto virtualiter distincto à formâ: distinctàque similiter minore, nego cons. Insurgis: subjectum summè idem cum formâ, & non suscipiens denominationem, est subjectum virtualiter distinctum à formâ; sed implicat subjectum summè idem cum formâ non suscipiens denominationem formæ: ergo implicat subjectum summè idem cum formâ, & virtualiter distinctum à formâ. Conc.maj. nego min. quę falsa est in Deo simpliciter infinito. Hæc infinitas est genuina solutio, & cęterarum fundamentum, sine quo omneş alię falsitatis con-

convincuntur: ut sapienter dixit Montoya ex Patribus, & Concilijs hìc disp. 15. q. 2. sect. 3. Firmatur solutio: nam unde probas repugnare, quòd subjectum simpliciter infinitum summè idem cum formà non suscipiat formæ denominationem? Non aliunde, nisi inductione rerum limitatarum, aut ex ratione acquisità per species earumdem; neutro ex capite illud probatur, ut dictum est num. 63: ergo &c.

76 Objicitur 4. Posità distinctione virtuali, verificari possent de Paternitate, & essentià *existere*, & *non existere*; hoc repugnat mysterio Trinitatis, cujus illud esset destructivum: ergo repugnat distinctio virtualis. Probatur sequela: non magis opponuntur *existere realiter*, & *non existere realiter*, quàm *communicari realiter*, & *non communicari realiter*; sed hæc de essentià, & Paternitate verificantur, posità distinctione virtuali: ergo. In primis: cum realis separabilitas sit maximum, & evidentissimum signum distinctionis realis, negari posset, quod non magis opponantur *existere*, & *non existere*, quam *communicari*, & *non communicari*: nam *communicari*, & *non communicari* sunt contradictoria ex se; *existere*, & *non existere* sunt contradictoria exercita: & argumentum desumptum ab alijs ad hæc opposita *existere*, & *non existere*

est à minori ad majus. Deinde præmitto retortionem: Deus ratione suę infinitæ perfectionis æquivalet Soli quoad illuminandum; imò & æquivalet vivēti purè sensitivo quoad producendam sensationem. Ergo & æquivalet Soli quoad motum localem, & viventi sensitivo quoad sentiendum: quę duo repugnant infinitæ Dei perfectioni. Prob. cons: quia non requiritur major, aut perfectior virtus ad sentiendum, quàm ad producendam sensationem; sed perfectio Dei sufficit ad hoc posterius: ergo & ad illud prius. Dices: æquivalentia Dei pluribus in virtute est ad illa, quę requiruntur, ut Deus sit infinitè productivus ad extra; ad quod non requiritur, sed noceret æquivalentia quoad sentiendum. Dico: æquivalentia Dei pluribus ad effectum distinctionis solùm est ad illa opposita prædicata, quæ (ex revelatis circa Trinitatis mysterium) requiruntur, ut Deus sit infinitè productivus ad intra; ad quod non requiritur, sed noceret, verificatio istorum *existit realiter*, & *non existit realiter*: & hinc

77 Respondeo neg. maj. Ad probationem, permissà maj. & conc. min. nego cons. nam quòd alia opposita possint, alia non possint verificari, non provenit unicè ex majori, aut minori oppositione, sed potissimùm ex eo, quòd sint, vel non sint necessaria, attentâ in-

infinità perfectione Dei: qualiter non sunt necessaria, sed nocentia illa opposita *existere*, & *non existere*. Rursus: quod attinet ad mysterium Trinitatis, non est virtus in Deo ad illa opposita, quę non requiruntur ad fœcunditatem ad intra, sive ad hoc, ut in divinis detur *alius*, & *alius*, & *alius*, non verò *aliud*; sed ad hoc non requiruntur illa opposita *existit realiter*, & *non existit realiter*: ergo. Quod dictum est de ijs oppositis, dictum esto de istis *est realiter Omnipotens*, *non est realiter Omnipotens*, & de alijs similibus. Ratio universalis: nam implicat in Deo virtus ad illa opposita, quibus imperficeretur; imperficeretur autem per hæc prędicata *realiter non existit*, *non est realiter Omnipotens*. Quòd si fingamus *realiter non existere* conjunctum cum *realiter existere*, fingemus imperfectionem conjunctam cum perfectione, quod Deo essentialiter repugnat.

78 Objicitur 5. Posità distinctione virtuali, non est unde probetur distinctio realis Personarum: ergo distinctio illa rejicienda est. Prob. ant: distinctio realis Personarum probaretur, aut ex eo, quòd suscipiant opposita, aut ex eo, quòd dentur producens, & productum. Non ex 1: nam ad opposita verificanda dicitur sufficere distinctionem virtualem. Non ex 2: quia non magis opponuntur

tur *producere*, & *produci*, quàm *produci*, & *non produci*; sed de essentiâ, & Filiatione per solam distinctionem virtualem verificantur *produci*, & *non produci*: ergo & poterit componi per eamdem distinctionem virtualem *producere*, & *produci*. Hoc argumento premuntur omnes. In primis qui cum Patre Ramirez negarent in divinis verificari oppositа, quæ sine distinctione reali non possunt in creatis verificari: contra quos sic arguitur: non magis opponuntur *producere*, & *produci*, quàm *identificari realiter*, & *realiter distingui* ab eodem tertio indivisibili; sed de eodem omnino eodem per vos verificatur identificari realiter cum Filiatione indivisibili, & à Filiatione distingui: ergo de eodem omnino eodem verificari poterit *producere*, & *produci*. Item: per vos de essentiâ *essentialiter* sumptâ verificatur *non producitur*, & de essentiâ *relativè* sumptâ verificatur *producitur*; sed essentia essentialiter sumpta, & essentia relativè sumpta sunt idem omnino realiter idem: ergo de eodem realiter eodem verificari poterunt *producere*, & *produci*. Deinde contra Scotistas arguitur: per vos ad verificanda hæc *producitur*, *non producitur* sufficit distinctio media; sed non magis opponuntur ista *producit*, *producitur*: ergo ad hæc verificanda sufficit distinctio media. Demum efformatur idem argumentum con-

tra asserentes oppositа verificari de essentiа, & Relationibus per distinctionem rationis: si enim hęc sufficit ad verificanda ista *producitur*, *non producitur*, cur non sufficiet ad hæc *producit*, *producitur*?

79 Respondeo neg.ant. Ad prob.conc. maj.& 1.parte min.nego 2. Ad huj.prob. potest negari major: nam hæc prædicata *produci*, & *non produci* sunt ex se contradictoria; hæc verò *producit*, & *producitur* de eodem esse reali non possunt verificari sine contradictione exercità. Ratio: quia productum non potest esse in priori *à quo* originis: cum origo sit essentialiter via ad terminum; sed si producens esset idem cum producto, productum esset in priori *à quo* originis: nam in hoc priori est producens: ergo. Nihilominus permissà maj.& conc.min. nego cons; seu rectiùs, nego suppositum cons, quòd scilicet possit esse distinctio virtualis realis quoad *producere*, & *produci*. Ratio: quia ex infinitate Dei probatur virtualis distinctio quoad illa prædicata, quæ requiruntur ad perfectam fœcunditatem ad intra, & negatio ejus distinctionis quoad illa, quæ eidem fœcunditati repugnant. Sed distinctio virtualis, ut de eodem esse reali verificentur hæc prædicata *producit*, & *producitur*, non requiritur, sed officit perfectæ fœcunditati ad intra: tunc enim non essent *alius*,

& *alius*, & Deus esset *solitarius*, quod est imperfectio, quam excludit fœcunditas ad intra: ergo. Cum itaque in Deo nulla possit esse distinctio virtualis quoad hæc prædicata *producit*, & *producitur*, hinc rectè Concilia, & Patres (ducente Fide) ex illis prædicatis probant realem Personarum distinctionem.

80 Insurgis. Hoc non est explicare per distinctionem virtualem difficultatem mysterij; nam virtualis distinctio ad ea, quæ verificantur, verificanda, & negatio distinctionis virtualis ad verificanda, quæ non verificantur, est ipsum mysterium. Dico: sicut per definitionem explicatur definitum, cum quo convertitur, sic per distinctionem virtualem explicatur Trinitatis mysterium, quod est objectivè idem. Itaque quòd hæc opposita verificentur, illa alia non verificentur, habemus à posteriori ex fide; & hinc assurgimus ad dandam rationem à priori per distinctionem virtualem. Instas. Committitur circulus: nam distinctio virtualis explicatur per capacitatem ad opposita, & iterum hæc capacitas exponitur per illam distinctionem. Dico distinctionem virtualem, & capacitatem ad opposita esse unum, & idem, non tamen committi circulum. Ratio: quia rogati, cur in Deo sine contradictione exercitâ verificentur opposita, respondemus per distinctionem virtua-

tualem, capacitatem ad oppoſita, ſeu æquivalentiam pluribus realiter diſtinctis quoad illum effectum; ſi iterum rogemur, cur in Deo ſit iſta æquivalentia, capacitas, & virtualis diſtinctio, reſpondemus, quia eſt ſimpliciter infinitus; & per hanc infinitatem oſtendimus nihil concludere argumenta, quæ ex rebus finitis, & ratione naturali deſumi poſſunt. Inſiſtis. Æquivalentia pluribus ſolùm poteſt eſſe quoad efficientiam, non quoad effectus formales; capacitas autem ad verificanda prædicata ex ſe contradictoria eſt effectus formalis diſtinctionis realis: unde poſsibilis non eſt æquivalentia huic effectui reſpondens. Dico: effectus formalis primarius formæ ſuppleri non poteſt; poteſt autem ſecundarius ſuppleri per æquivalentiam. Sic effectus formalis primarius albedinis, qui eſt reddere *album*, non poteſt præſtari niſi per albedinem; at effectus formalis ſecundarius, qui eſt excludere *nigredinem*, poteſt aliunde venire. Jam verò effectus formalis primarius diſtinctionis realis eſt reddere unum ens realiter non aliud; & iſte effectus non poteſt eſſe per æquivalens: reddere autem extrema apta ad verificanda oppoſita eſt effectus formalis ſecundarius; & iſte in ente ſimpliciter infinito poteſt eſſe per æquivalentiam.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINIS RELATIONIBUS.

SECTIO I.

Aliquarum quæstionum compendiariæ resolutiones.

1 EX ijs, quæ latè in Philosophiâ docui de Relatione, pauca huc revoco. Relatio est forma essentialiter connexa cum alio: quapropter & sine illo eâ ratione, qua est terminus, esse non potest, & cognosci nequit nisi in ordine ad illud aliud, cum quo connectitur. Relatio est duplex: alia est transcendentalis, alia est prędicamentalis. Transcendentalis est, quę adæquatè identificatur cum fundamento, nempe cum subjecto, quod ad aliud refertur. Prædicamentalis est, quæ à subjecto relato distinguitur saltem inadæquatè. Relatio prædicamentalis alia est realis, alia rationis, sive secundùm *dici*. Realis est, quę se ipsa connectitur cum termino, & fundatur in actione, & passione. Secundùm *dici* est, quę nil connexum cum termino involvit, sed per actum rationis cum fundamento in re fit relatio, comparando unum

ad

ad aliud; & fundatur in similitudine, aut dissimilitudine, æqualitate, aut inæqualitate, & id generis rationibus.

2 Dicta explicantur exemplis. *Unio* connectitur essentialiter cum extremis, & quidem per se ipsam, quin ejusmodi connexio consistat in aliquo distincto. Est itaque unio relatio, seu respectus transcendentalis sui ipsius ad extrema, inter quæ versatur. *Extremum unitum* connectitur essentialiter cum alio extremo; sed unio, quæ est formaliter ea connexio, distinguitur adæquatè ab extremo, & inadæquatè ab hoc concreto *extremum unitum*. Est itaque in extremo *unitum* relatio prædicamentalis ad aliud extremum, cui unitur. Ista relatio prædicamentalis, sicut & illa alia transcendentalis, est realis: nam se ipsà involvit formam essentialiter connexam cum alio. *Extremum unitum albedini* est simile alteri extremo habēti aliam albedinem. Hæc relatio similitudinis inter duo subjecta alba est relatio rationis, & secundùm *dici*: est enim comparatio per actum intellectùs, quin sit aliquid, quod realiter, & à parte rei connectat unum album cum alio.

3 Si autem forma connectens non realiter, & physicè, sed tantùm moraliter existat; tunc relatio ex parte extremi, in quo non est physicè, dicitur moralis, & non realis.

lis. Sic in creatis, transactà generatione, pater refertur tantùm moraliter ad filium. Quod si actio productiva maneat physicè in termino, iste refertur realiter ad causam; si autem in causà, & non in effectu, illa ad istum realiter refertur: si autem in effectu, & in causà, erit mutua realis relatio.

4 Quæritur jam 1: an in Deo sint Relationes veræ, & reales inter Personas divinas? Respondeo affirmativè. Probatur: Relationes divinæ sunt perfectiones substantiales Personarum divinarum propriæ, per quas una Persona respicit aliam, & cum illà comparatur tanquam principium, vel principiatum. Sed ejusmodi perfectiones substantiales sunt veræ, & reales inter divinas Personas, verèque, & realiter existunt: ut constat ex Fide docente *Filium esse à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio*: ergo. Rursus: Personæ divinæ non habent distinctionem realem nisi ratione oppositionis. Sed in divinis non est alia oppositio nisi relativa, juxta illud notissimum, *in divinis omnia sunt idem, ubi non obviat Relatio producentis, & producti*: ergo inter divinas realiter distinctas Personas sunt veræ, & reales Relationes: ergo &c.

5 Dices. Eatenus divina Relatio esset realis, quatenus hoc argumentum valeret, *Prima Persona est Pater à parte rei; sed Paternitas*

nitas est Relatio: ergo Relatio Paternitatis datur à parte rei. Hoc argumentum non valet: ergo. Prob. min: à parte rei Deus est Deus creaturarum: sed est Deus per relationem dominij: ergo hęc relatio dominij datur à parte rei. Hoc argumentum, in quo consequens est falsum, non valet: ergo neque illud aliud, quo contenditur Relationem Paternitatis esse realem.

6 Omitto maj: neque illo argumentandi modo usi sumus ad probandum reales esse divinas Relationes; & nego min. Ad cujus probationem præmitto ex Tertulliano lib. contra Hermogenem cap. 3. & 4. Deum, quī semper est Deus, semper esse dominum radicaliter, sed non in exercitio dominandi, nisi quando facere voluit, & habere, cui dominaretur. Hinc relatio dominij divini radicalis est realis transcendentalis ad omne ens creatum posibile ut tale; est enim potentia infinita Dei ad habendum creaturas, quibus actu dominetur. Si autem loquamur de relatione dominij actualis, hæc consistit in actione productivà: unde est relatio realis, sed prædicamentalis. Ex parte Dei duplex est actio: alia transiens, alia immanens. Transiens actio est relatio realis in se, sed Deo extrinseca. Actio immanens est volitio libera: & quoniam eo ipso, quòd libera sit, pariter est de-

fec-

fectibilis, consequens est, ut non sit relatio realis transcendentalis. Ex dictis constat negandum esse, quod ponitur in probatione minoris, nempe esse falsum, quòd relatio dominij non detur à parte rei: si enim Deus est in exercitio Dominus, datur à parte rei relatio prędicamentalis; si verò sermo sit de dominio radicali, datur à parte rei relatio transcendentalis.

7 Quęritur 2: an in divinis Relationibus sit conceptus *in*, & secundùm ipsum sint Relationes? Acutè in omni relatione distinxit Cajetanus, quem communiter Thomistæ sequuntur, *in*, & *ad*. Conceptus *in*, qui cogitetur in relatione, est conceptus communis omni formæ, vel quasi formæ, quæ sit in subjecto, vel supposito. Conceptus *ad* est conceptus peculiaris, & proprius relationis, cujus natura est esse *ad aliud*. Respondeo, quòd in Relationibus divinis non est conceptus *in*, secundùm quem Relatio sit realis. Est contra citatum Doctorem & Thomistarum communem opinionem.

8 Probatur. Conceptus *in* est respectus ad subjectum, quod facit relatum; sed in Relatione divinà non est respectus realis ad subjectum, quod facit relatum: nam per Relationem essentia non refertur realiter ad se ipsam, nec subjectum aliquod, aut quasi subjectum

jectum realiter ad se ipsum refertur: ergo in divinà Relatione non est conceptus *in*, secundùm quem Relatio sit realis. Explicatur: conceptus *in* in relatione creatà in hoc stat, quòd sit forma informans subjectum, illudque relatum faciens; hoc non reperitur in Relatione divinà: ergo in hac non est conceptus *in*. Modo alio: conceptus *in* est conceptus proprius formæ, vel quasi formæ, sive subsistantialis, sive accidentalis, absolutus, vel modalis; sed iste conceptus non convenit Relationi divinę: ergo conceptus *in* &c.

9 Dices. Conceptus *in* Relationis divinæ est tantùm identitas relationis cum essentia, aut suppositò; sed ista identitas est realis, & datur in divinà Relatione: ergo in hac datur realis conceptus *in*, & secundùm ipsum divina Relatio est realis. Dist. maj. conceptus *in* Relationis divinæ ex parte objecti apprehensi est tantùm illa identitas, conc; ex parte modi apprehendendi, nego maj: & constat ad reliquum. Expende hunc discursum: adjacentia, sive inhęsio Sapientiæ in Deo est identitas Sapientię; hæc identitas est realis, & datur in Deo: ergo & datur realiter, & est realis in Deo adjacentia, seu inhæsio Sapientiæ: ergo in Deo est realiter inhęsio accidentis realis. Recursus est ad datam solutionem, ut negetur consequens absurdum. Nota; non con-

ci-

cipimus ex parte Dei identitatem esse inhæsionem Relationis secundùm conceptum *in*; sed ex modo concipiendi distinguimus essentiam, & Relationem ad instar subjecti, & formæ. Et sic respectus essentiæ ad Relationem est respectus rationis cum fundamento in re: ut de distinctione inter Relationem, & essentiam dicimus.

10 Instas: ergo Relatio divina non est realis. Prob: includit, sicut conceptum *ad*, conceptum *in*. Sed conceptus *in* non est relatio realis, sed rationis: ergo Relatio divina non est realis, sed rationis. Nego conſ; & ad prob. dico relationem ex conceptu relationis non includere conceptum *in*, sed solam relationem prædicamentalem, quæ est distincta à fundamento relato, illum conceptum includere. Relationes divinæ sunt transcendentales, ut mox dicemus: quapropter non includunt conceptum *in*, nisi fundamentaliter, & sic est fundamentum reale ad respectum rationis ipsius Relationis ad essentiam, & suppositum.

11 Insistis. Relationes divinæ sunt idem cum supposito relato: ergo secundùm conceptum *in* sunt Relationes. Nego conſ: quòd enim sint idem cum supposito, est, quòd sint substantiales, & per se existentes, non autem quòd sint in supposito: neque enim Relatio divi-

divina dicit respectum realem ad suppositum, ut illud referat ad aliud. At, inquis, non est ordo unius Personæ ad aliam; quod stare non potest sine conceptu *in*, vi cujus insit Personę relatæ? Est quidem talis ordo; sed non includens conceptum *in*: quia non est ordo ad fundamentum relatum, qui propriè sit respectus realis ad aliud, cum sit idem ipsum fundamentum. Hinc Relatio divina est ipsum fundamentum relatum: illud non supponit, sed constituit. Relatio autem secundùm conceptum *in* supponit fundamentum, & illud non constituit.

12 Quæritur 3: an conceptus *ad* in divinis Relationibus sit realis? Respondeo affirmativè. Prob. Conceptus *ad* in divinà Relatione est conceptus differentialis relationis realis: qualis est Relatio Personæ divinę ad Personam. Sed implicat, relationem realem constitui per conceptum differentialem, qui non sit realis, sed rationis: ergo in divinà Relatione conceptus *ad* est realis, & non rationis. Constat major: nam per esse ad aliud differt relatio ab omni absoluto. Constat minor ex terminis: & sic si cogitemus aliquod animal, quod constituatur per rationale non reale, sed rationis, non esset homo realis, quia in illo differentia hominis non esset quid reale. Paucis: independenter à nostræ men-

tis conceptibus, & à parte rei Relatio divina se ipsam, & suppositum, quod constituit, refert ad suum proprium terminum. Sed in hoc consistit conceptus *ad* divinæ Relationis: ergo independenter à nostris conceptibus, & à parte rei est conceptus *ad* in divinâ Relatione: ac proinde hæc secundùm conceptum *ad* est realis, & non rationis.

13 Dices. Conceptus *ad* ut virtualiter distinctus, & præcisus à conceptu *in* non est quid reale: ergo divina Relatio non est realis secundùm conceptum *ad*. Prob. ant: si ut distinctus, & præcisus consideretur, vel erit substantia, vel accidens. Si 1: ergo conceptus *ad* non potest convenire relationi creatæ accidentali. Si 2: ergo conceptus *ad* est in subjecto, vel quasi subjecto; cum de ratione accidentis sit inhærere; indeque conceptus *ad* ut præcisus ab *in* involveret conceptum *in*; quod est egregia implicatio. Sed si conceptus *ad* sit quid reale, erit vel substantia, vel accidens: ergo. Nego ant. & ad prob. occurro. Si sermo est de conceptu *ad* ut præscindente ab omni relatione divinâ, & creatâ, est equidem quid reale; sed præscindens à substantiâ, & accidenti: sicut ab his differentijs præscindit conceptus *producti*, in quo imbibitur relatio. Si loquamur de Relatione divinâ, conceptus *ad* est substantia; sed non præs-

præscinditur à conceptu *in*: nam non præscinditur à conceptu, qui non datur. Probatum autem est in divinà Relatione non dari conceptum *in*, si propriè loquamur.

14 Dixi, *si propriè loquamur*: nam si aliud non intendas, nisi quòd Relatio divina identificatur cum essentià, & cum supposito, & quòd in Deo sit Relatio absque ullà reali actuali distinctione, ad modum, quo dicitur in Deo esse *Sapientiam*, concedam in Relatione divinà esse conceptum *in*, & esse realem. Sed sensus proprius est, quòd relatio sit respectus ad subjectum, quòd ipsa sit propriè in subjecto, quod ad aliud refert: quemadmodum in creatis actio distincta à causà est relatio sui ad causam, &, si sit actio immanens, est physicè in causà. Neutrum convenit Relationi divinæ: ergo in ipsà propriè non est conceptus *in*. Sit autem, & sit conceptus realis. Adhuc ex distinctione virtuali, & ex præcisione conceptûs *ad* à conceptu *in* non probatur, quòd Relatio divina non sit realis, sed rationis secundùm conceptum *ad*. Sic Paternitas distinguitur virtualiter ab essentià, & præscinditur; & tamen est quid reale à parte rei, & independenter à nostris conceptibus.

15 Quæritur 4: an Relationes divinæ sint transcendentales, an prædicamentales?

Respondeo, esse transcendentales. Prob: nam relatio transcendentalis est, cujus ratio fundandi respectum est realiter eadem cum fundamento relato; sed sic se habent Relationes divinę, quarum unaquęque realiter adęquatè identificatur cum fundamento relato, nempe cum Personà, quam ad aliam Personam refert: ergo Relationes divinæ sunt transcendentales. Min. constat: maj. autem explicatione prob. Relatio dicitur transcendentalis, quia omnem entitatem realem transcendit, sicut entis attributa *aliquid verum*, & *unum*. Insuper: quia transcendit, imbibitur, & est in ipsà entitate, secluso omni distincto superaddito. Sed ut sic transcendat omnes, & singulas entitates, & sit in singulis, omni distincto superaddito secluso, requiritur, quòd ratio fundandi respectum sit realiter eadem cum fundamento relato: ergo.

16 Exemplis doctrina explicatur. Omnis entitas vel est causa, vel effectus; & sic in omni entitate reali reperitur relatio realis, causæ nempe ut potentis producere ad effectum ut producibilem, & effectùs ut producibilis ad causam ut potentem producere: ergo relatio ista vel productivi, vel producibilis transcendit omnem entitatem. Insuper: imbibitur, & est in ipsà entitate, quolibet distincto, & superaddito secluso: nam effectus ex

suis intrinsecis est producibilis, & causa ex suis intrinsecis est productiva: ergo relatio, quæ est transcendentalis, imbibitur, & est in ipsâ entitate, quolibet alio secluso. Hinc relatio transcendentalis appellatur *essentialis*; relatio autem prædicamentalis dicitur *accidentalis*. Sic unio est relatio transcendentalis sui ad extrema, quia ex se ipsâ refertur; & est relatio prędicamentalis extremi ad extremum, quia est aliquid distinctum ab unoquoque extremo, quod ad alterum refert ut fundamentum ad terminum.

17 Dices. Relatio Paternitatis non constituit essentiam Patris: ergo Relationes divinæ non sunt essentiales; ac proinde non sunt transcendentales. Dist. ant: Relatio Paternitatis non constituit essentiam Patris alijs Personis communem, conc: essentiam Patris, prout hęc est tota quidditas Personę, nego ant. & conf. Instabis: ergo origines, seu processiones divinæ non sunt Relationes transcendentales, sed prædicamentales. Prob. conf: nam Personæ divinę non constituuntur originibus, sed Relationibus de genere productivo, scilicet Relationibus principij productivi, & termini productibilis. Nego conf, cujus probatio non urget: in sensu formali, ut suo dicetur loco, Personæ divinæ non constituuntur originibus; at cum origines nec quidem

virtualiter à Relationibus divinis productivi, & productibilis distinguantur, consequens est, ut in sensu reali Personæ constituantur originibus. Istæ itaque sunt Relationes reales transcendentales.

18 Hinc vide discrimen relationis transcendentalis à prædicamentali. Relatio Paternitatis, & Filiationis in divinis est transcendentalis: nam in divinis Relatio Paternitatis identificatur realiter adæquatè cum Patre, & Relatio Filiationis identificatur realiter adæquatè cum Filio. At in creatis eadem relatio est prædicamentalis, quia pater per actionem generativam distinctam à se refertur ad filium, & filius similiter per eamdem actionem generativam realiter à se distinctam refertur ad patrem.

19 Quæritur 5: quot sint divinæ Relationes? Respondeo esse tres realiter inter se distinctas, & constituentes numerum ternarium realem; esse autem quatuor reales Relationes, quarum una non distinguitur realiter à tribus alijs. Constat 1.pars: nam tres divinæ Personę realiter distinguuntur, ut docet Fides: ergo aliquid habent, ratione cujus realiter distinguuntur. Id aliud esse non potest, nisi trina assignata Relatio: ergo in divinis Personis sunt tres Relationes realiter distinctæ, nempe Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva.

siva. Cumque distinctorum sit proprium componere numerum, sequitur, quòd tres istę Relationes distinctæ realiter constituant numerum realiter ternarium. Pars secunda responsionis constat etiam: nam in divinà Trinitate est Relatio Spirationis activæ, per quam Pater, & Filius ut unicum principium spirant Spiritum Sanctum, ut est de Fide. Hæc Relatio est realis: ex suà enim essentià, & quidditate reali est *ad aliud*. At non distinguitur à tribus alijs realiter: neque enim distinguitur à Paternitate, & Filiatione; aliter in Deo esset vera quaternitas rerum, quod damnatur in Lateranen. C. *Firmiter* de Summà Trinit. Præterea: in divinis non est distinctio, ubi non est oppositio; sed Paternitas, & Filiatio non opponuntur Relationi Spiratoris; neque enim hæc ab illis Relationibus procedit: ergo. Distinguitur tamen virtualiter Relatio Spiratoris à Paternitate, & Filiatione: nam Pater, & Filius non distinguuntur in Relatione Spiratoris, distinguuntur autem in Paternitate, & Filiatione, quemadmodum istæ Relationes distinguuntur virtualiter realiter ab essentià.

20 Ex dictis perpendenda est hæc propositio, *in Deo sunt quatuor Relationes reales*. Si hoc adjectum *reales* cadat supra Relationes, vera est; quia non solę tres Relationes

sunt reales, sed etiam Relatio Spiratoris, quæ realiter est, & realiter est ad aliud. Si autem cadat illud adjectum supra numerum, & faciat hunc sensum, *numerus Relationum est realiter quatuor*, aut *est realis quaternitas*, falsa est propositio: neque enim Relationes sunt omnes ad invicem realiter distinctæ.

21 Quæritur 6: quomodo comparentur Relationes divinæ ad Notiones? Respondeo in Deo esse quinque Notiones; Notionem autem latiùs patère formaliter, quàm Relatio. Notio in divinis est ratio objectiva notificans Personam, & in hac importans specialem aliquam excellentiam. Quòd Notiones in divinis sint quinque, enumeratione constat: sunt namque Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Processio, scilicet Spiratio passiva: hę enim sunt rationes objectivæ, quę notificant Personas ut distinctas, & dicunt specialem excellentiam. Quòd autem Notio formaliter sumpta latiùs pateat, quàm Relatio, constat etiam: nam Innascibilitas formaliter ut talis in Patre est Notio; est enim propria Patris, & affert specialem excellentiam, nempe negationem principij; Innascibilitas autem formaliter ut talis non est Relatio: neque enim per Innascibilitatem Pater refertur, aut est ad aliam Personam.

22 Ex enumeratis Notionibus quatuor

tuor sunt proprietates, scilicet Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, & Processio; Spiratio autem activa non est proprietas, quoniam est communicabilis Filio à Patre. Ex his proprietatibus tres sunt personales, Paternitas, Filiatio, & passiva Spiratio: nam Innascibilitas prout talis non constituit Personam; activa autem Spiratio, cum sit communicabilis, non est differentiale Personę constitutivum. Nota: Innascibilitas, quæ est Notio propria Patris, est non habere principium, à quo procedat; si autem accipiatur ita, ut solùm excludat veram nativitatem, non est Notio propria Patris: cum hoc ipsum conveniat Spiritui Sancto. Nota: Patris Innascibilitas est objectivè quid positivum modo negativo explicatum; ut de attributis negativis, & de incommunicabilitate propriâ personalitatis dictum est suis locis.

23 Dices. Si Innascibilitas est Notio Patris, ergo Inspirabilitas est Notio Filij, & non esse principium productivum alterius Personę est Notio Spiritùs Sancti. Ergo in divinis Notiones non sunt tantùm quinque. Communis solutio est Inspirabilitatem non esse Notionem Filij, quia non dicit specialem Filij excellentiam; solùm enim dicit, quòd non procedat per voluntatem: utraque enim processio per intellectum, & per voluntatem est

est æquè perfecta. Eodem modo discurrendum est de negatione fœcunditatis in Spiritu Sancto. Contra hanc responsionem occurrit, quòd sic nec Patris Innascibilitas esset Notio: nam Innascibilitas Patris, & Nascibilitas Filij sunt æquè perfectæ. Discedendum non est à communi loquendi modo; sed re ipsà sicut Innascibilitas, sic etiam Inspirabilitas Filij, & in Spiritu Sancto non esse principium productivum ad intra, sunt Notiones divinarum Personarum: notificant equidem Personas, & afferunt speciales, hoc est, formaliter diversas excellentias, licèt omnino æquales. Videatur Becan. hìc c. 7. q. 1.

SECTIO II.

Agitur de perfectione divinarum Relationum.

24 QUid est perfectio transcendentalis? Respondeo esse integritatem prædicatorum essentialium, & realium cujuscumque entis. Hinc imperfectio transcendentalis est quid imposibile; imposibile enim est, quòd rei deficiat aliquid pertinens ad integritatem suorum prædicatorũ. Inde rursus, nulla creatura est imperfecta imperfectione transcendentali, & quoniam in integritate prædicatorum non est magis, & minus, consequens est, ut in transcendentali perfectione non sit magis perfectus Deus,

quàm

quàm creatura, ſubſtantia, quàm accidens, ens ſupernaturale, quàm naturale. Quòd ſi aliqua imperfectio tranſcendentalis foret, ipſa quoque quatenus imperfectio foret tranſcendentalis perfectio: nam quatenus talis imperfectio haberet integritatem ſuorum prædicatorum; & in hac integritate perfectio tranſcendentalis conſiſtit. Imperfectio itaque illa eſſet tranſcendentaliter ſui perfectio, & eſſet imperfectio ſubjecti, à quo ſi removeret aliquod prædicatum, illud redderet impoſsibile.

25 Quid eſt perfectio quantitativa? Reſpondeo illam eſſe objectivam rationem, in qua fundatur exceſſus entis ſupra aliud. Evidens eſt alias res creatas eſſe alijs perfectiores: Angelus homine perfectior eſt, homo excedit in perfectione brutum, &, ut evidentiſsimo exemplo utar, Deus infinitè perfectior eſt omni creaturâ. Tunc ſic: in tranſcendentali perfectione non eſt exceſſus in rebus, ut dictum eſt: ergo eſt aliud genus perfectionis, in quo ſit exceſſus entis unius ſupra aliud; aliter nec Angelus eſſet perfectior homine, nec Deus eſſet perfectior ente creato.

26 Quid eſt ratio objectiva fundans exceſſum entis ſupra aliud? Reſpondeo eſſe prædicatum, vi cujus res habet excellentiam, dignitatem, & æſtimabilitatem, ut tanti, vel plu-

pluris habeatur. Sic vita est perfectio, quia fundat æstimabilitatem, & sic pluris habetur vivens, quàm non vivens: quod idem constat de ratione spiritùs comparati ad corpus, & de alijs rebus, quæ perfectiores sunt alijs. E contrario, ratio emortui fundat contemptum, & similiter ratio corporis, & sic de alijs, quæ minuunt æstimabilitatem rerum. Quamvis autem prædicatum fundans æstimabilitatem sit perfectio, non propterea constituit rem absolutè, & simpliciter perfectam, sed solùm in aliquà lineà, & secundùm quid. Hinc nulla creatura est simpliciter perfecta: nam perfectio opponitur defectui, & perfectum opponitur deficienti. Omnibus, & singulis creaturis deficiunt plures perfectiones, quæ fundant æstimabilitatem, in ijsque deficiunt. E contrariò, Deus est simpliciter perfectus, quia in nullo prædicato excellenti, æstimabili deficit. Et sic accipitur illud Christi Domini, *nemo bonus, nisi unus Deus, nisi solus Deus*, in sensu, in quo bonitas, & perfectio pro eodem sumuntur.

27 Nota, quòd omnis perfectio fundans excessum unius entis supra aliud est quantitativa; sed tamen potest esse quantitativa, etsi non fundet talem excessum: satis enim est, quòd sit sufficiens ad æstimabilitatem. Hoc notavi propter creaturam omnium mi-

minimam in perfectione, quam admitto possibilem: ista enim nullam aliam excederet. Hæc vel præter perfectionem transcendentalem haberet aliud minimum perfectionis, vel non? Si istud; nihil infertur contra datam explicationem perfectionis quantitativæ. Si illud; minimum perfectionis supra transcendentalem fundat æstimabilitatem minimam, atque adeo perfectionem quantitativam, qua tanti, & non pluris habetur, quàm aliæ sive similes, sive dissimiles. His prælibatis,

28 Quæritur: an Relationes divinæ prout virtualiter realiter ab essentiâ distinctæ dicant perfectionem? Negant cum suo Doctore Scotistæ, Poncio uno, quem sciam, excepto, & plerique Thomistarum cum Cajetano, & ex Jesuitis aliqui cum Molinâ. Affirmant aliqui ex Thomistis, quos inter C. Gotti, & communissimè Nostrates cum Suario, Vasquio, Granado hìc tract. 3. disp. 5. Nota 1. hìc sermonem esse de Relatione divinâ secundùm quod est aliquid Dei, non de Relatione divinâ secundùm quod præcisè affert conceptum abstractivum relationis. 2, varios esse modos accipiendi Relationes divinas, jam pro explicito, jam pro implicito, tùm secundùm conceptum *in*, tùm secundùm conceptum *ad*, nunc secundùm conceptum formæ hypostaticæ, quatenus est personalitas, nunc se-

secundùm munus relationis, quatenus est ratio referendi. 33 quomodocumque Relatio accipiatur, hęc servari debent, & quòd de illà loquamur ut virtualiter ab essentià distinctà, & quòd Relationem attendamus, ut est aliquid Dei.

29 Assertum prævium. Divinæ Relationes prout virtualiter distinctæ ab essentiâ dicunt perfectionem transcendentalem. Probatur: quod est aliquid reale, & habet integritatem prædicatorum, ut sit, habet perfectionem transcendentalem; sed Relationes divinæ sunt quid reale, & habent integritatem prædicatorum, ut tales Relationes sint: ergo habent perfectionem transcendentalem. Min. est certa, & maj. est definitio perfectionis transcendentalis; hæc autem probatur ex Philosopho 1.Ethic. c.6: *bonum & in substantiâ dicitur, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid*; *bonumque dicitur in omnibus prædicamentis: quia prædicamenta sunt id, quod est.* Hic sensus est de bonitate transcendentali, prout convertitur cum transcendentali perfectione: ergo quidquid est reale, & habet integritatem prædicatorum, ut sit, habet bonitatem, & perfectionem transcendentalem.

30 Propiùs ad rem nostram: bonitas transcendentalis dicitur *in eo, quod est ad aliquid*, nempe in relatione, quia relatio utpo-

tè

tè prædicamentum *est id, quod est.* Sed Relationes divinæ prout ab essentià distinctę sunt ad aliquid, & sunt id, quod sunt: ergo sunt transcendentaliter bonæ, ac proinde dicunt transcendentalem perfectionem; sicut essentia divina prout distincta à Relatione est in prædicamento substantiæ, est id, quod est, ac proinde dicit transcendentalem bonitatem, ac perfectionem. Hinc infero, quòd si fingamus ab essentià auferri Relationes, manebit transcendentaliter imperfecta. Ratio: quia essentia est realiter Relatio, & vicissim; quamvis inter ipsas intercedat distinctio virtualis: ergo ablatà Relatione, aufertur ab essentià id, quod ipsa realiter est: ergo non habebit integritatem prædicatorum, quibus essentia est id, quod realiter est. Sed imperfectio transcendentalis est defectus alicujus saltem prædicati ex ijs, quibus res est realiter, quod est: ergo.

31 Argumento facto respondent aliqui. Relationes divinæ non sunt reales, ac propterea non dicunt perfectionem transcendentalem. Omitto, quod supponitur, & contrà arguo: salvà Fide, negari non potest in unà Personà esse aliquam proprietatem, quæ non est communis alijs. Proprietas, quæ solius est Patris, est nè realis? Concedent; nec scio, quòd ab aliquo id negetur. Rogo deinde: ista

Pa-

Patris proprietas, quæ non est communis alijs Personis, est perfectio, vel non? Si est perfectio: ergo jam aliqua perfectio est in Patre, quę non est in alijs Personis; quod est absurdum, quod respondentes volunt inferre ex eo, quòd Relationes sint reales. Si ejusmodi proprietas realis non est perfectio, cur negant Relationes esse reales, cum possint dicere, quòd non dicant perfectionem, quamvis reales sint, sicut id dicunt de proprietate reali uniuscujusque Personę? Ergo frustrà ad solvendum argumentum negatur, quòd sint reales Relationes; nam idem argumentum instauratur in proprietatibus realibus Personarum.

32 Dicunt alij. Proprietas personalis Patris est Relatio; Relatio autem est *in*, & est *ad*. Secundùm conceptum *in* est perfectio, sed non superaddita essentiæ; quia *in* Relationis nil addit perfectionis supra id, cui inest, nempe essentiæ. *Ad* Relationis non est perfectio; quia conceptus ille non est realis. Contrà: conceptus *in*, prout explicatur ab adversarijs, non est propriè in essentiâ, nec est respectus sui ad essentiam; & sic non est relatio realis, sed rationis. E contrario, conceptus *ad* est propriè relatio, & est realis. Hęc stabilita sunt sect. prącedenti. Insuper: *in* Relationis divinę aut est tota proprietas realis per-

so-

sonalis, aut non? Dici non potest 1: aliter non intellecto conceptu *ad* Relationis divinę stabit Personarum distinctio, non intellectà Relationis oppositione, quæ desumitur ex eo, quòd sit ad aliud. Si dicatur 2: ergo proprietas personalis realis constituitur per conceptum *ad* divinæ Relationis, ac proinde conceptus *ad* est realis, & dicit perfectionem transcendentalem. Vide num. 12.

33 Ad arg. nostrum respondent alij, præsertim Thomistæ. Perfectum est, cui nil deest in suo genere, si tamen genus, in quo est, dicat perfectionem; aliter peccatum, cui nil deest in suo genere, esset quid perfectum, & actus liberi Dei dicerent perfectionem. Rejicitur hæc solutio, quia ipsa aperte rejicit definitionem Philosophi, juxta quem bonum, & perfectum transcendentaliter est *id, quod est*, & hoc dicitur in *omni prædicamento*, & determinatè in prædicamento *ad aliquid*. Ergo non est genus, quod perfectum transcendentaliter non sit: ergo Relationes divinæ sunt in genere, quod perfectionem dicit, ac per consequens ipsę dicunt transcendentalem perfectionem. Quod dicitur de peccato, nil urget: nam vel loqueris de malitiâ peccati consistente in negativo, vel de entitate peccati indistinctâ realiter à formali malitiâ? Si 1: non est ad rem; nam loquimur hìc de ente

reali, & positivo. Si dicatur 2: peccatum habet entitatem realem, & habet transcendentalem perfectionem, vi cujus terminat decretum Dei permissivum, & concursum indifferentem, &, ut volunt Thomistę, terminat decretum prędefinitivum, & prædeterminativum concursum. Quod additur de actibus liberis, nil valet: si compleantur per extrinsecum, non dicunt perfectionem in Deo distinctam ab actu necessario; si sint adæquatè intrinseci Deo, dicunt perfectionem superadditam, ut probabitur suo loco in disp. de Deo volente.

34 Occurrunt aliqui, & dicunt entitatem dicere perfectionem, si sit in actu existendi, aut dicat ordinem ad existentiam; qui ordo non convenit Relationi. Contrà est: quia omnis entitas aut est improducta, aut potest produci; sub utroque autem conceptu potest existere, ac proinde dicit ordinem ad existentiam. Insuper: Relatio divina est realiter per identitatem in essentiâ, ente essentialiter existente: ergo dicit ordinem ad existentiam, sive sit propria Relationis, sive sit propria essentię. Denique: posse existere realiter est perfectio transcendentalis; sed Relatio divina potest existere realiter, imò necessarium est, quòd existat, & necessariò est in actu existendi. Recurres ad conceptum ad,

Cui-

cujus totum esse est esse ad terminum ; sed frustrà : nam conceptus *ad* Relationis divinæ est relatio transcendentalis : ergo identificatur realiter cum fundamento relato : ergo dicit ordinem ad realem existentiam : ergo dicit perfectionem transcendentalem.

35 Respondent alij ad arg. pro nostrà assertione. Relationes prout distinctę ab essentià non sunt formaliter ens : ac proinde non sunt transcendentaliter bonę, & perfectę. Ratio ant. est : quia divinæ Relationes sunt præcisè identicè , & in obliquo ens ; ad modum quo differentiæ entis non sunt formaliter ens : neque enim transcendit formaliter differentias. Igitur Relationes divinæ sunt constitutivæ, & determinativæ Personæ divinę, & se habent per modum , quo se habent differentiæ ad ens. Contra hanc solutionem, qua communiter utuntur Scotistæ, arguitur sic: nam diminuta est. Sequitur Relationem Spiratoris esse ens , & dicere perfectionem; neque enim ea Relatio est constitutiva,& determinativa Personæ divinæ , cum non sit forma hypostatica : ergo aliqua perfectio est in Patre, & Filio, quæ non est in Spiritu Sancto, quod est contra respondentes.

36 Contrà est insuper: nam ipse Scotus quodlib.5. §.*Viso* pluries repetit quæstionem præsentem esse,si Relatio formaliter, hoc est,

secundùm suam entitatem propriam, quæ est entitas ad alterum, sit infinita; & non quæri, si Relatio sit per identitatem illud infinitum, quod est essentia. Ergo ex mente Scoti Relatio prout distincta ab essentiâ habet formaliter entitatem propriam, & formaliter imbibit conceptum entis. Contrà est adhuc: nam Relatio divina contrahit quidquid est in prædicamento relationis, imperfectione semotâ; sed in prędicamento relationis continetur formaliter ens, & transcendentalis bonitas, seu perfectio, ut dictum est ex Philosopho: ergo. Maj. constat: nam, ut ex D. Thomâ diximus suo loco, duo sunt prædicamenta in divinis, videlicet *Substantia*, & *Relatio*. Sed Deus contrahit quidquid est in prędicamento substantiæ, semotâ imperfectione: ergo & quidquid est in prædicamento relationis, semotâ imperfectione; in eo autem prædicamento ratio entis, boni, atque perfecti ab omni imperfectione separatur: ergo.

37 Hinc constat formalem intranscendentiam entis in suas differentias esse extra rem. Transcendentiam impugnavi latè cum Scotistis in Philosophiâ; sed hìc non agimus de transcendentiâ in differentias, sed in genera prędicamentalia, in species subalternas, & infimas. Aliud est, quòd ens non transcendat formaliter differentias substantiæ, & rela-

tio-

tionis; & hoc est verum: aliud, quòd non transcendát ipsa prædicamenta substantiæ, & relationis; & hoc est falsum. Habebis, quòd relatio secundùm differentiam relationis non sit formaliter ens; habebis, quòd in divinis Relatio Paternitatis v.g. secundùm quod addit differentiale non dicit formaliter conceptum relationis, nec alios superiores, ac proinde nec conceptum universalissimum entis. At Relatio eadem Paternitatis in suà quasi specie infimà omnes conceptus superiores, ipsumque conceptum entis formaliter includit.

38 Dices. Atqui differentia entis, sicut non est formaliter ens, ita neque est formaliter perfectio. Hoc concedo; sed tamen est perfectio, non *quæ*, sed *qua*; hoc est, est formaliter majoritas perfectionis: aliter neque substantia esset perfectior accidente, neque Deus creaturam in perfectione excederet. Ergo in Personà divinà est major perfectio, quàm in essentià. Ergo in Patre est majoritas perfectionis, quę non est formaliter in Filio. Vides per entis intranscendentiam non solvi præsentem difficultatem.

SECTIO III.

Resolvitur potissima quæstionis difficultas.

39 PRobatum est Relationes divinas prout virtualiter distinctas ab essentiâ dicere perfectionem transcendentalem; disputandum supereſt, an insuper dicant specialem perfectionem quantitativam virtutis, dignitatis, & excellentiæ? Hanc prout condistinctam à perfectione transcendentali specialem perfectionem appello. Perfectionem transcendentalem in omnibus entibus positivis esse æqualem, & consistere in indivisibili dixi suprà: an autem ea perfectio sit quoque dignitas ad justam æstimabilitatem, dubium mihi est.

40 Judico illam perfectionem transcendentalem esse perfectionem simplicem, & ab imperfectione fundante despectum justum esse depurabilem; & sic reperitur in Deo, & fundat justam æstimabilitatem. Rursus: dicendum est, in creaturis immunibus à malitiâ morali mixtam esse imperfectione fundante despectum, sed tamen permittente, quòd creaturæ ratione perfectionis transcendentalis sint justè æstimabiles. Demum: in peccato commissionis, in sententiâ dicente consistere ejus malitiam in positivo, eòusque deprimitur perfectio transcendentalis, ut nullam fundet

det æstimabilitatem. Ratio: quia integritas prędicatorum, ut sit, non fundat æstimabilitatem ullam de eo, quòd sit, sive existat; imò est omnino æstimabile, quòd non sit, sive quòd non existat. Sic sentit noster Herrera q. 9. s. 3. explicans bonitatem transcendentalem per integritatem prædicatorum, quę malitiam non involvunt. Hac de re disputabimus uberiùs, dum in tract. de Beatitud. de peccatis agemus.

41 Conclusio. Relationes divinę prout virtualiter distinctæ ab essentiâ dicunt specialem perfectionem virtutis, excellentiæ, & dignitatis. Est ferè omnium Doctorum, qui divinis Relationibus perfectionem transcendentalem concedunt, quos citavimus num. 28.

42 Prob. ex Patribus. Cyril. 1. Thesaur. cap. 6: *Pater perfectus est, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater, & Pater ideo perfectus est, quia genuit.* Tunc sic: eo genere perfectus est Pater quia Pater, & quia genuit, quo perfectus est quia Deus. Sed quia Deus dicit specialem perfectionem, nempe virtutis, excellentiæ, & dignitatis: ergo hanc eamdem dicit quia Pater, & quia genuit. Sic autem reduplicatur Relatio Paternitatis: ergo hæc, & ab identitate rationis cæterę divinæ Relationes dicūt specialem perfectionem.

Nazianz.orat.3.quęſ.2.de Pace: *Deo quodnam majus, aut præſtabilius erit, quàm Filij Patrem eſſe? Quod quidem eſt glorię auctio, non diminutio: quemadmodum Spiritùs productorem eſſe.* Ergo Paternitas auget Deitatis gloriam; auctio autem glorię Deitatis perfectio excellentię eſt: ergo hanc dicit Paternitas prout diſtincta à naturà. Ad hæc: ex Patribus, præcipuè ex Athanaſio, quem citat Angelicus opuſc. 1. c. 7: *Deus ſine Trinitate eſſet natura infructuoſa, & ſterilis.* Ergo divinę Relationes addunt naturę fructum, & fœcunditatem vero modo, & dogmatico. Sed hęc additio imbibit perfectionem excellentię: ergo divinę Relationes dicunt id generis perfectionem. Videatur Ruizius hìc diſp.29.

43 A ratione prob. concluſio. Divinæ Relationes ut virtualiter diſtinctæ ab eſſentiâ dicunt dignitatem, & excellentiam in genere entis ad fundandam juſtam, & rationabilem ęſtimationem ſupra alias. Sed ejuſmodi dignitas, & excellentia eſt ſpecialis perfectio, quæ dicitur communiter quantitativa, & virtutis, ut conſtat ex n.26. & 27. Ergo divinę Relationes dicunt ſpecialem perfectionem quantitativam, & virtutis. Major evidentiam præſefert: nam Relationes divinæ prout virtualiter diſtinctæ ab eſſentiâ ſunt entitativè pluris æſtimabiles, quàm omnes, & ſingulę creatu-

ras

tæ: ergo habent in genere entis dignitatem, & excellentiam ad fundandam &c.

44 Probatio facta modis multis confirmatur. 1: increatum ut increatum dicit perfectionem; sed divinæ Relationes secundùm quod essentiæ addunt, sunt increatæ: ergo secundùm hunc conceptum dicunt perfectionem. Maj. constat ex terminis; min. prob: nam Relationes divinæ prout tales excludunt formaliter esse ab alio tanquam à causâ. 2: Relationes divinę prout tales sunt supernaturales; sed supernaturale ut tale dicit perfectionem; superat enim perfectionem cujuscumque entis naturalis: ergo. Constat min. ex rãtione adjunctâ; maj. suadetur: immediatiorem, & ęstimabiliorem ordinem dicunt Relationes ad divinam naturam, quàm gratia habitualis sanctificans, visio Dei, & unio hypostatica; istę autem formæ propter eum specialem ordinem, quem dicunt ad divinam naturam, sunt supernaturales: ergo & à fortiori divinæ Relationes propter suum ordinem sunt supernaturales. 3: identificabile, & identificatum cum ente infinito dicit perfectionem; sed Relationes prout tales sunt identificabiles, & identificatæ cum ente infinito, & quidem summâ necessitate: ergo. Maj. constat: nam identificabile, & identificatum necessariò cum ente infinito est hoc ipso ens di-

vi-

vinum. Min. prob: quia divinæ Relationes prout tales sunt seipsis proprietates, & relationes fundamenti divini ad terminum divinum; qui conceptus necessariò includit identitatem cum ente infinito. His leviter attactis in confirmationem probationis factæ,

45 Prob. iterum conclusio argumento desumpto ex Patribus in hanc sententiam stabiliendam conspirantibus, *si Deus non esset Trinus, non esset perfectus.* Pro multis, quos adducit Montoya d. 29. sec. 3. & 4. sufficiat Athanasius orat. 2. sic statuens: *dicere, Patrem caruisse Verbo, est dicere lucem caruisse splendore, & fontem veluti sterilem exaruisse.* Tunc sic: id, per cujus defectum Deus esset imperfectus, perfectio Dei est. Sed Deus per defectum Relationum esset imperfectus: ergo Relationes perfectiones sunt.

46 Resp. Adversarij, præsertim Thomistę. Per defectum Relationum Deus non formaliter, & à priori, sed illativè, & à posteriori esset imperfectus: quia divina natura connectitur cum Relationibus, ad modum quo deficiente possibilitate creaturę, non formaliter, sed illativè deficeret Omnipotentia. Similiter respondent Scotistę, quamvis negant connexionem Omnipotentiæ cum creaturæ possibilitate: quia, inquiunt, Trinitas non requiritur, nisi ut naturæ perfectio extenda-

tur,

tur, cum sit infinitè fœcunda; quapropter, si non essent Relationes, aufferretur à naturà divinà fœcunditas, & ex hoc defectu Deus esset imperfectus.

47 Contrà est 1. Patres eodem modo arguunt Deum imperfectum fore, si non esset Trinus, atque inferunt non fore perfectum, si non esset Sapiens v. g. Hinc inferunt, quòd esset insipiens. Similiter inferunt, quòd, si careret Verbo, esset insipiens; & quòd, si careret Spiritu Sancto, esset mortuus. Testimonia vide apud cit. Montoyam. Atqui Patres loquuntur de defectu Sapientiæ, & aliorum attributorum, ut de defectu perfectionis formalis: ergo & de defectu Trinitatis, ut de defectu formalis perfectionis. Contrà est 2: si staret data responsio, Pater solùm esset perfectus, *quia Deus*, non *quia Pater*, & non ideo esset perfectus, *quia genuit*. Oppositum per propositiones reduplicativas, & causales sensu scholastico habemus ex D. Cyrillo suprà cit: ergo non stat responsio data. Contrà est 3: ipsum actu generare est formaliter perfectio, & similiter de actu spirare; sed actu generare, & spirare sunt Relationes: ergo hæ dicunt formaliter perfectionem. Ratio maj: si actu generare, & spirare non est formaliter perfectio, exigere hoc generare, & hoc spirare non est perfectio; nam, ut acutè notavit

nos-

noſter Herrera, ſi actu producere ad intra non eſt perfectio, quæ perfectio Dei eſt exigere id, quod nullà ratione perfectio eſt?

48 Nec paritas deſumpta ex connexione Omnipotentiæ cum poſsibilitate creaturæ vim habet: nam poſsibilitas eſt terminus puræ connexionis, ſine qua poſsibilitate exiſtente Deus poteſt exiſtere, & habere omnem ſuam perfectionem, ut ab æterno extitit. At Relationes divinę ſic ſunt termini connexionis divinę naturæ, ut hæc ſine illis exiſtentibus non poſsit exiſtere. Atqui eſſe talem terminum, ſine quo exiſtente Deus exiſtere non poſsit, formaliis perfectio eſt, ut videtur ex terminis notum: ergo. Eà quidem paritate utuntur Thomiſtæ, non autem Scotiſtæ; ſed utroſque petunt impugnationes factę contra communem ipſis reſponſionem, & prętereà ratio diſparitatis, quam addidimus.

49 Prob. denique concluſio argumento deſumpto ex Angelico probante hìc q. 29. a. 3. Deum eſſe Perſonam, *quia omne id, quod eſt perfectionis, Deo tribuendum eſt.* Ergo id, quod eſſentię addit Perſona, perfectio eſt; id autem, quod additur, eſt Relatio: ergo divina Relatio perfectio eſt. Explicatur hęc ratio: Relatio eſt complementum naturæ divinę; complere autem naturam perfectio eſt, aut poſitiva in creatis, ut volunt Thomiſtæ, aut ne-

negativa, ut Scotistæ non renuunt: ergo Relatio divina perfectio est. Et quidem non purè transcendentalis, sed quantitativa: nam excedit in dignitate, & excellentiâ omnem personalitatem creatam, imò & omne ens creatum.

50 Urgetur. Divinæ Relationes ut virtualiter distinctæ ab essentiâ & constituunt, & distinguunt divinas Personas. Constituunt: quia Pater in esse Patris per aliquid ipsius proprium, & non aliarum Personarum constituitur; sed hoc proprium est Paternitas prout virtualiter distincta ab essentiâ: ergo Paternitas prout sic distincta constituit Patrem in esse Patris: ergo Relationes divinę prout distinctæ ab essentiâ constituunt divinas Personas. Rursus: Pater in esse Patris aliquid addit ultra essentiam communem; hoc additum non imbibit essentiam: ergo est aliquid prout virtualiter distinctum ab essentiâ, nempe est Relatio Paternitatis. Sed Pater in esse Patris constituitur per id, quod addit supra essentiam: ergo Relatio Paternitatis constituit, &c. Quod autem Relationes divinæ prout distinctæ ab essentiâ distinguant Trinitatis Personas, ostenditur: quia ratio distinguendi Patrem à Filio debet non involvere aliquid utrique commune; nam ratio distinguendi est formaliter id, per quod unum non

est

est aliud, non autem id, quod est idem cum alio. Sed sola Relatio prout virtualiter distincta ab essentiâ non involvit aliquid Patri, Filioque commune: ergo Relatio prout virtualiter distincta ab essentiâ est ratio distinguendi Patrem à Filio: ergo Relationes ut virtualiter distinctæ ab essentiâ distinguunt, &c.

51 Subsumo; sed constituere Personas divinas, ipsasque distinguere est perfectio: ergo Relationes prout virtualiter distinctę ab essentiâ perfectiones sunt. Prob. min: constituere, & distinguere Personam divinam est exigere identitatem, & actualiter identificari cum naturâ divinâ; hæc exigentia, & hæc actualis identitas perfectio est; est enim dignitas ad rationabilem appretiationem: ergo. Rursus: constituere, & distinguere Personam divinam est quid melius, quàm constituere, & distinguere personam creatam: ergo est quid bonum, ac proinde quid perfectum, tùm transcendentaliter, tùm quantitativè; cum sit quid superans perfectionem personalitatis creatæ. Demum: constituere, & distinguere divinam Personam affert, quòd Relatio divina optimè se habeat in ratione substantiæ: affert enim, quòd constituat, & distinguat Personam divinam; ac propterea quòd sit quid summum in lineâ subsistentię. Ergo Relatio

latio divina dicit perfectionem, & quidem quantitativam, & summam in suà propriâ lineâ.

52 Probatio ista desumpta ex ratione subsistentiæ, & personalitatis confirmatur validè ex 6. Synod. Gen. sect. 18. dicente: *Credimus unam substantiam in tribus subsistentijs: Unitatem propter naturalem unionem, ac dominationem; Trinitatem verò propter subsistentiarum perfectionem.* En subsistentijs divinis prout condistinctis, prout constituentibus Trinitatem, prout distinguentibus Personas perfectio tribuitur. Insuper, præcipuè contra Thomistas: nam personalitas Filij in Christo terminat duas naturas; hoc fieri non posset, nisi esset infinita, ut docet Angelicus 3. p. q. 3. a. 1. ad 2: infinitum autem à perfectione non præscindit in lineâ, in qua infinitum est: ergo. Præterea contra Scotistas unanimiter cum Subtili docentes unionem hypostaticam factam esse immediatè tantùm in Verbi personalitate: nam illud totum, quod immediatè resultat ex terminis unionis hypostaticę, dignius, & excellentius est quolibet supposito creato; non equidem ratione naturæ assumptæ: ergo ratione personalitatis Verbi. Ergo hæc dicit dignitatem, & excellentiam, ac proinde perfectionem quantitativam.

53 Multa omitto, & sic concludo. Perfec-

fectio quantitativa, si accipiatur pro convenientiâ formæ ad subjectum, negari non potest Relationibus; sunt enim convenientissimæ essentiæ divinæ, cujus sunt substantiale complementum. Si accipiatur pro excellentiâ, & dignitate, in Deo quid excellentissimum, & dignissimum est nō solùm esse Unum, sed esse Trinum. Si demum accipiatur pro amabilitate, Relationes amantur à Deo; nam Deus complacet in Filio prout distincto à Patre, in ipsàque distinctione Patris à Filio. Ergo de primo ad ultimum Relationes divinæ seipsis dicunt quantitativam perfectionem.

SECTIO IV.

De quantitate, & qualitate perfectionis Relationum divinarum.

54 Circa quantitatem quæritur, an divinæ Relationes dicant perfectionem infinitam? Notum est illud, *in ijs, quæ male carent, id majus est, quod melius est.* Ex dictis constat tantam esse perfectionem divinæ Relationis, ut excedat perfectionem omnium, & singularum creaturarum. Ratio: quia Relatio divina est quid characteristicè divinum; omne autem divinum excedit in perfectione omne ens creatum, ut patet ex terminis. Insuper: in Relatione divinâ est perfectio absque ullâ prorsus imperfectione; perfectum au-

autem sine imperfectione eo ipso dignius, & æstimabilius est perfecto admiscente imperfectionem, ut est omnis creatura.

55 Respondeo ad quæstionem. Relationes divinæ omnes, & quælibet dicunt infinitam perfectionem. Ita communiter Nostrates cum Eximio lib. 3. cap. 9. Prob: nam perfectio, quæ excludit limitationem, est infinita; sed quævis divina Relatio est perfectio, quę excludit limitationem; quævis enim se ipsà exigit identitatem cum divinà essentià, & in hac est radix illimitationis: ergo quævis divina Relatio est perfectio infinita. Confi: divina Relatio se ipsà est complementum naturę infinitę: ergo se ipsà est perfectio infinita; quod enim non excludit esse quid finitum, non potest esse complementum naturæ infinitæ. Iterum: omnis perfectio caracteristicè divina est infinita, ut Omnipotentia, summa Sapientia, & omne Dei attributum; sed Relationes divinæ sunt perfectiones caracteristicè divinæ: ergo, &c.

56 Oppones 1: perfectio infinita includit formaliter omnem perfectionem possibilem; si enim aliquam non includat, habet terminum, ultra quem non progreditur, quod est contra rationem infiniti. Atqui divina Relatio prout condistincta ab essentià non includit formaliter omnem perfectionem pos-

sibilem; neque enim includit essentiam: ergo. 2: etsi una Relatio divina includat in sensu reali essentiam, at realiter distinguitur ab alià Relatione: ergo una Relatio non dicit perfectionem alterius; hoc ipso non est infinita: ergo.

57 Ad 1. Infinitè simpliciter perfectum dicit perfectionem omnem possibilem secundùm omnem lineam entis; & hoc sensu solus Deus ut Unus, & ut Trinus, seu Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate, est simpliciter infinitè perfectus. At quod in aliquà lineà entis finem non habet, & in illà lineà semper est accipere, illud in illà lineà est infinitum. An secundùm quid; an verò simpliciter? de voce dissidium est. Hoc certum debet esse, Omnipotentiam in genere virtutis productivę esse absolutè, & simpliciter interminatam, ac proinde infinitam in perfectione. Discurre similiter de divinis Relationibus prout ab essentià distinctis. Dices: quòd rationale hominis includat omnem perfectionem in lineà humanà, non est, quod sit infinitæ perfectionis: ergo quòd Relatio divina dicat omnem perfectionem suæ lineæ, non est, quòd sit infinitè perfecta. Conc. ant. nego conf. Linea humana est limitata, ac habens terminum perfectionis, & adjungit imperfectiones. At Relatio divina prout talis est illi-

mi-

mitata, perfectionem omnem creaturarum excedens, exigit identitatem cum naturâ infinitâ, &c.

58 Ad 2. Una Relatio divina non dicit per identitatem realem perfectionem alterius; at perfectio unius Relationis est omnino æqualis alterius perfectioni. Non est contra rationem infiniti, quòd habeat æquale, sed quòd sit, à quo excedatur. Sic in sententiâ admittente infinitum in extensione duæ lineæ parallelę in infinitum actu protēsæ essent infinitæ, & ęquales. Nota: quamvis Paternitas non habeat per realem identitatem Filiationem, non est dicendum, quòd Filiatione careat: illam enim verè habet per utriusque identitatem in tertio, & per admirabilem circuminsessionis modum; qui quidem modus est infinitæ perfectionis, & modus alius habendi destrueret Trinitatem.

59 Circa qualitatem perfectionis divinarum Relationum quæritur, an dicant perfectionem simpliciter simplicem? Suppono cum communi Theologorum sequentium D. Anselmum in Monol. c. 14. perfectionem simpliciter simplicem illam esse, *quæ melior est ipsa, quàm non ipsa.* Perfectiones aliæ sunt, in quibus simpliciter *ipsum est melius, quàm non ipsum*, ut esse sapientem simpliciter est melius, quàm non esse sapientem. Quamvis enim

justus non sapiens melior sit sapiente non justo, nihilominus omne non sapiens, quatenus tale, est minus, quàm sapiens. Aliæ sunt perfectiones, in quibus *non ipsum* in aliquo est *melius*, *quàm ipsum*. Sic in homine melius est ipsum hominem non esse aurum, quàm esse aurum. Sensus strictus perfectionis simpliciter simplicis iste est: quidquid non est ipsa, inferius est ipsà. Tales sunt Omnipotentia, Omniscientia, omnisque divina perfectio absoluta, & necessaria. Et quidem D. Anselmus eo loco hanc aliarum ab alijs perfectionum diversitatem posuit, & explicuit; hac autem voce *perfectio simpliciter simplex* usus non fuit, illam tamen ex ejus doctrinà Theologi desumpsere.

6o Respondeo ad quęstionem. Relationes divinæ dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Ita multi, quos inter Vazquez, Montoya, & Granado, quorum sententiam ut probabilem laudat Compton d. 6. s. 1. Prob: nam in hoc sensu perfectio simpliciter simplex est *melior ipsa*, *quàm non ipsa*, in quantum est melior omni incompatibili per realem identitatem cum ipsà; hoc convenit divinis Relationibus omnibus, & singulis: ergo omnes, & singulę dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Min. est certa: nam etsi Paternitas v.g. non sit melior Filiatione, at Fi-

Filiatio non est incompatibilis per realem identitatem cum Paternitate; hęc enim extrema, quæ inter se distinguuntur realiter, identificantur realiter uni tertio, nempe divinæ essentiæ. Explicatio, quam continet major propositi syllogismi, probatur: nam illa realis identitas utriusque Relationis cum divinâ essentiâ sufficit ad æternam illam veritatem, quam nobis aperuit Christus Dominus, *ego, & Pater unum sumus*; in eâque fundatur Personarum circuminsessio, vi cujus verum est illud ejusdem Christi Domini, *Pater in me est, & ego in Patre.* Ergo Filiatio sic est non Paternitas, ut sit *ipsum unum*, quod est Paternitas, & in Paternitate est Filiationis perfectio, & vicissim. Rectè itaque dicetur perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quæ melior est omni incompatibili per realem identitatem cum ipsâ.

61 Oppones 1. Filiatio est simpliciter non Paternitas, sive quid simpliciter distinctum à Paternitate; sed hæc non est melior Filiatione: ergo Paternitas non est melior non ipsâ simpliciter, sive aliquo, quod est simpliciter distinctum ab ipsâ Paternitate: ergo. 2: explicatio data opponitur definitioni D. Anselmi; ait enim *multa relativa esse, quæ nequaquam hac continentur divisione: utrùm autem aliqua contineantur, inquirere supersedeo*: ergo.

62 Ad 1.dist.maj. Filiatio est simpliciter non Paternitas, sive quid simpliciter distinctum à Paternitate, & hæc est *ipsum unum*, quod est Filiatio, conc; aliter, nego maj. Conc. min. & dist. similiter 1.cons, nego cons. 2. quòd scilicet Paternitas non sit perfectio simpliciter simplex. Distinctio constat ex nostræ responsionis probatione. Hic lis est de voce; de re est, quòd Relationes divinæ dicant perfectionem specialem, & quòd hæc sit infinita in suâ lineâ. Contendis, quòd in definitione perfectionis simpliciter simplicis illud adjectum *non ipsa* intelligatur de realiter distincto ab *ipsâ* perfectione. Intendo, quòd intelligatur de sic realiter distincto, ut sit incompatibile per realem identitatem cum *ipsâ*, ratione cujus incompatibilitatis verificetur, quòd *ipsa*, & *non ipsa* non sint *ipsum unum*, & idem neutraliter, ut explicatum est cap.1.n.14.

63 Ad 2.neg. ant. cujus prob. non urget. Docet Anselmus nomina, quæ signant actualem Dei relationem ad creaturas existentes, non significare substantiam Dei; nam Deus potest esse, & ab æterno fuit absque ejusmodi relationibus. Tales sunt istæ relationes, *Summum omnium existentium*, *Creator in exercitio*, *Deus actualiter guvernans*, & multæ aliæ. Et hæ quidem relationes non comprehenduntur sub ratione perfectionis, de qua agit,

agit. At noluit inquirere, an aliquæ relationes, quæ de Deo dicuntur, contineantur sub illâ ratione perfectionis, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa?

64 Rectè quidem & huic quæstioni supersedit propter Relationes Dei ad intra, ut notavit C. Aguirre in citat. locum Monol. sect. 2. n. 24. Ergo datâ definitione perfectionis simpliciter simplicis, non præcluſit aditum D. Anſelmus ad iſtam quæſtionem, an divinæ Relationes ad intra ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices? Huic quęſtioni locus non eſſet, ſi definitio illa clarè, & perſpicuè ſenſum, quem adverſarij volunt, præferret: ergo locus eſt, ut explicetur in ſenſu noſtræ reſponſionis. Exceſsit itaque Munieſſa carpens Doctores noſtræ ſententię, quaſi à verâ explicatione Anſelmi aberraverint, illique è diametro contradixerint, ut loquitur diſp. 3. de Eſſentiâ Dei n. 86.

65 Contra utramque reſponſionem de quantitate, & qualitate perfectionis divinarum Relationum oppones. Si illarum perfectio ſit infinita, & ſimpliciter ſimplex, pariter infinita erit, & ſimpliciter ſimplex perfectio actûs liberi divini; hoc falſum eſt, ut docebo in tract. de Volunt. Dei cap. 2. ſect. 4: ergo.

66 Sermo eſt de virtualitate, quam ac-

tus liber ut talis superaddit perfectionibus necessarijs Dei; & sic nego maj. Ejusmodi virtualitas excludit à se ipsà necessitatem existendi, non quidem quoad realitatem, sed quoad virtualitatem: quapropter ejus perfectio non est positivè infinita, cum non dicat illam existendi necessariò perfectionem; sed neque est positivè finita, quia nullam positivam imperfectionem dicit. Relationes autem divinæ dicunt omnimodam existendi necessitatem, habent prædicata, quæ limitationem excludunt, & quæ postulant positivam illimitationem: unde illarum perfectio est infinita. Rursus, volitio Mundi non est melior, quàm nolitio Mundi quoad virtualitatem unius, & alterius actùs. Hę autem virtualitates, utpotè incomposibiles quoad virtualem existentiam, nequeunt per aliquam realem identitatem fieri composibiles, & invicem inexistere: ac proinde istæ virtualitates non sunt perfectiones simpliciter simplices. At divinæ Relationes, æqualis perfectionis, non sunt incomposibiles per realem identitatem in eodem tertio, & inexistunt invicem: unde sunt perfectiones simpliciter simplices. Non itaque est paritas quoad quantitatem, & qualitatem perfectionis à divinis Relationibus ad actus liberos, neque vice versâ.

SEC

SECTIO V.

Conclusio potissima ab objectionibus defenditur.

67 Obj. 1. Si Relationes perfectionem dicunt, divina essentia pro priori ad ipsas non est infinitè perfecta in genere entis; hoc est falsum: ergo. Min. constat ex d. 1. cap. 2. sect. 2. & 3: ibi probatum est authoritate, & ratione essentiam Dei esse infinitum perfectionum pelagus omnem omnino perfectionem comprehendens. Nec recursus est ad eminentialem continentiam, qua essentia est eminenter Relationes, sicut eminenter continet perfectiones creatas; contrà enim est: nam essentia divina debet continere formaliter omnes perfectiones simplices; perfectiones autem creatæ simplices non sunt, si contractę ad creaturas accipiantur: unde illas essentia divina eminenter, non formaliter, continet. At si Relationes dicant perfectionem, hæc erit perfectio simplex: ergo illam formaliter continere debet essentia; & tamen illam continere formaliter non potest: ergo.

68 Resp. dist. maj: essentia pro priori ad Relationes non est infinitè perfecta in genere entis, sumpto *non est* præcisivè, conc; sumpto neganter, nego maj. Dist. similiter min; & nego conf. Genus entis complectitur rela-

relativum, & absolutum. Essentia divina comprehendit formaliter omnem omnino perfectionem absolutam, & necessariam, & radicaliter dicit omnem perfectionem relativam; & hoc sufficit, ut in ratione essentiæ, seu naturæ sit infinitè, & summè perfecta. At prout virtualiter distincta à Relationibus essentia divina non est infinitè formaliter perfecta in genere relativo. At inquis: cum Relatio non possit formaliter contineri in essentiâ divinâ, sequitur non esse perfectionem simplicem. Dico, cum sit perfectio simplex relativa, non posse contineri formaliter, sed solùm virtualiter in essentiâ. Constat hinc ad paritatem in argumento attactam: nam sicut perfectiones creatæ ut tales continentur solùm eminenter in essentiâ divinâ, quia non sunt simplices, sic divinę Relationes tantùm virtualiter continentur, quia perfectiones relativæ sunt. Probatio min. convincit essentiam divinam comprehendere formaliter omnem perfectionem absolutam necessariam; quòd si concretivè accipiatur, etiam comprehendet formaliter perfectiones relativas: nam concretivè accepta essentia est *Deus*, & est *Trinus*. Recole dicta cit. disput. & cap. n. 55.

69 Obj. 2. instando. Si Relationes addunt perfectionem, natura divina ijs perficitur: ergo hęc est perfectibilis; ergo non est sim-

simpliciter infinitè perfecta. Urgetur: si Relationes sunt perfectiones divinæ naturæ, aliqua perfectio naturæ divinæ est in una Personâ, quæ non est in alijs; hoc falsum est, quia omnis divinæ naturę perfectio convenit omnibus Personis: ergo.

70 Resp. conc. ant, quod mihi tàm certum est, quàm est certum Relationibus compleri subsistantialiter divinam naturam, dist. cons: ergo hęc est perfectibilis in ratione Personæ, conc; in ratione naturæ, nego cons. Dist. pariter annexum cons, & nego naturam non esse simpliciter infinitè perfectam in conceptu naturæ; concedo autem non esse formaliter summè infinitè perfectam in omni lineâ: sicut non est se ipsa formaliter completa subsistantialiter. Jam notatum est, quod in his, & similibus propositionibus ly *non* accipitur præcisivè, non negantèr. Itaque infinitum, & summum reciprocantur. Summum in omni lineâ entis solus est Deus *Trinus*, & *Unus*. Superest, ut essentia divina ut condistincta à Relationibus sit summa in lineâ essentiæ, ac proinde sit infinita simpliciter in eâdem lineâ: & pariter supereſt, quòd divina Relatio sit summâ in lineâ Relationis, atque etiam in eâdem lineâ sit simpliciter infinita. Dissidium de voce, quod hìc esse potest, jam effugimus n. 57.

Ad

71 Ad urg.dist.maj: nego, quòd aliqua perfectio intraessentialis naturæ divinæ sit in unà Personà, quæ non est in alijs; de perfectione autem extraessentiali concedo, quòd in unà Personà sit, & non sit per identitatem immediatam in alijs: sed tamen quæ est in unà, est per identitatem in tertio, & per circuminsessionem in alijs. Ideo suo loco docuimus essentiam divinam non solùm metaphysicè acceptam, sed etiam physicè sumptam non includere divinas Relationes. Recole dicta d. 1. c.2. s.1.

72 Obj. 3. instando adhuc. Sequitur, quòd divina natura non ex fœcunditate, & abundantià perfectionis exigat Relationes, ut illas perficiat, sed ut per ipsas perficiatur: ergo Relationibus indigebit, & ab ipsis dependebit; quod est absurdum. Sequitur tamen quia omne perfectibile indiget suâ perfectione, & ab ipsâ dependet. Sequitur deinde naturam divinam per Relationes perfici in ratione generantis, & geniti: ergo natura esset generans, & genita; quod est erroneum. Ratio conf: nam ideo natura intelligit, quia perficitur per intellectionem: ergo generat, & generatur, si perficitur per Relationes in ratione generantis, & geniti.

73 Resp. neg. priorem ant. partem, & conc. posteriorem: ex abundantiâ enim perfec-

fectionis essentia exigit Relationes, tùm ut illas perficiat, tùm ut per ipsas perficiatur, sicut per ipsas completur. Nego cons: id indiget alio, ab illoque dependet, quod cum alio ut existente connectitur, quod diversę sit naturę; hoc longè abest à divinà naturà comparatà ad Relationes, & ab istis comparatis ad illam: non est itaque indigentia, & dependentia, sed determinatio, & connexio. Ratio cons. nullius momenti est: nam perfectibile determinatur, & connectitur cum suà perfectione; illà indiget, & ab illà dependet, si sit distinctæ naturæ, non autem si sit ejusdem. Ad alterum absurdum, quod objicit argumentum, conc.ant; natura enim completur in ratione Personę generantis, & Personæ genitæ per Relationes: & nego cons. Inter generans, & genitum debet esse distinctio realis: ibi enim est oppositio producentis, & producti. Hinc istę denominationes convenire non possunt naturæ divinæ, quidquid sit, an Relationes dicant, vel non dicant perfectionem. Ad prob.cons. negatę dic, non ideo præcisè naturam intelligere, quia perficitur per intellectionem, sed quia intellectio est perfectio absoluta, & intelligere non importat realem distinctionem. Oppositum constat in denominationibus *generantis*, & *geniti*: ergo paritas est nulla.

Obj.

74 Obj. 4. *Bonitas, & magnitudo perfectionis in divinis non relativè, sed ad se dicitur*, docet Augustinus l.7.de Trinit. c.1.& 6. ergo bonitas, & perfectio in divinis non est relativa; ac proinde Relationes qua tales non superaddunt naturæ perfectionem ullam. Conf. ex Angelico hac q.28.a.1. docente Relationem condistinctè ab alijs prædicamentis, ut sunt quantitas, & qualitas, non respicere subjectum ratione sui, & sistendo in illo, sed *ordinando illud ad terminum*, & ratione ipsius termini. Ergo ratio perfectionis debet desumi per respectum ad subjectum ratione sui, & in illo sistendo; hoc non convenit Relationi divinæ: ergo. Iterum: eàdem q. a.2. ad 3. docet, quòd si divina essentia non comprehenderet, nisi *quod significat nomen relativum, ejus esse esset imperfectum, utpotè ad aliquid aliud se habens*. Demum: q.2. de potent. ait, quòd Relatio, in quantum est Relatio, non habet, *quid sit aliquid*, sed *quòd sit ad aliquid*. Ergo Relatio prout talis non dicit perfectionem.

75 Resp. neg. conf. quę ex Augustini doctrinà non infertur. Placet explicatio C.de Gotti suprà citati: cum aliquod nomen est indifferens, ut significet essentiam, & Relationes, simpliciter dictum stat pro essentia, quia hæc est radix primordialis magnitudinis, et perfectionis in Deo. Hoc non impedit,

quo

quominus Relationes sint perfectiones Dei, sicut sunt quid reale, proprium Dei, & essentiæ divinæ connaturale, & exactum complementum.

76 Ad conf. ex Angelici propositionibus respondetur facilè. Ad 1. neg. consibi Angelicus expressè docet Relationes divinas esse reales; nec verbum addit, quo negari possit, quòd dicant realem perfectionem: nec dicit, quòd perfectio debeat esse per respectum ad subjectum sistendo in ipso. Ibi addit, quòd relatio, quæ importatur per hoc nomen *idem*, est secundùm rationem. Et hinc constat, quod suo loco diximus, nempe relationem secundùm conceptum *in* esse rationis secundùm conceptum relationis; unde secundùm conceptum *ad* est relatio realis, ac proinde dicens perfectionem. Ad 2. cave, ne inferas Relationem divinam non solùm non dicere perfectionem, sed dicere etiam imperfectionem. Loquitur Angelicus de Relatione positivè separatà ab essentiâ divinâ; & tunc non esset quid divinum, non esset simpliciter perfecta, sed positivè imperfecta. At inquies: in eâ hypothesi esse Dei esset imperfectum, utpotè *aliquid ad aliud se habens*. Occurro: præcisè esse ad aliud non est imperfectio; aliter relegandæ essent à Deo Relationes. Purè esse ad aliud, hoc est, nullam positivam perfec-

fectionem habere, nisi *esse ad aliud*, esset imperfectio: non quia in suo conceptu esse ad aliud non sit perfectio, sed quia purè esse ad aliud est defectus perfectionis, ac proinde limitatio; hæc autem est origo imperfectionum. Ad 3: agnoscit Angelicus realitatem divinarum Relationum; & insuper addit in 1. dist. 25. a. 4. ad 2. eas esse plures *quidditates quodammodo*: ergo cum dicit non esse *aliquid* relationem, accipit hoc quodam alio modo. Quis est iste modus? Iste: Relatio non est aliquid pertinens secundùm suum conceptum ad prædicamentum substantiæ prout condistinctum à prædicamento *ad aliquid*.

77 Obj. 5. Sequitur, quòd una divina Persona non sit tanta, quanta tota Trinitas; hoc est, quòd non sit tantæ perfectionis, quantę est Trinitas Personarum. Hoc absurdissimum est: ergo Relationes prout ab essentiâ distinctę non dicunt perfectionem. Min. est innegabilis ob authoritates Conciliorum, & Patrum apud Montoyam d. 30. sect. 2. Toletanum 6. in profes. Fidei: *Trinitas nec minor in singulis, quàm in omnibus; nec major in omnibus, quàm in singulis Personis.* Augustinus lib. 6. de Trinitate: *in summâ illâ Trinitate tantum est una* (Persona) *quantum tres; nec plus aliquid sunt duę, quàm una.* Idem frequenter repetit Magnus Doctor. Maj. objectionis

prob.

prob. efficaciter : nam si Relatio dicit perfectionem, plures perfectiones sunt in Trinitate, quàm in solo Patre: ergo, &c.

78 Resp. neg. maj: quandoquidem ex ipsis Patrum testimonijs habeamus divinas Relationes prout tales dicere perfectionem: hanc doctrinam esse fœderabilem cum propositione istà, *una divina Persona tanta est, quanta tota Trinitas*, quam firmant Patres, dubitare non possum. Ante solutionem supponendum est Patres, dum illam propositionem jaciunt, agere de divinis Personis prout adæquatè constitutis ex essentiâ communi, & ex suis proprietatibus relativis. Jam sic:

79 Trinitas est essentia divina identificata realiter cum tribus Relationibus; Pater est eadem essentia divina ijsdem tribus Relationibus identificata: ergo ex hac parte tantus est Pater, quanta est tota Trinitas. Rursus: Trinitas est Pater, & Filius in Patre per identitatem in tertio, hoc est, in essentiâ, & per in illâ identitate fundatam circuminsessionem: & idem de Spiritu Sancto, qui pariter, & eodem modo est in Patre. Quod autem dictum est de Patre, in quo sunt Filius, & Spiritus Sanctus, dictum esto de Filio comparativè ad Patrem, & ad Sanctum Spiritum, & de hac Personâ relatè ad Patrem, & Filium. Ergo ex hac quoque parte tanta est una Per-

sona, quantum tota Trinitas. An tota Trinitas est hæc Persona indistincta realiter ab alijs, & ista, & alia realiter ab alijs indistincta? Hoc contra Fidem, & contra evidentiam naturalem esset. Ergo tota Trinitas est hæc singularis Persona, & in istà aliq, & illa quoque Persona, & in ipsà aliæ, & illa alia, & in eàdem aliæ. Constat hinc ad prob. maj. negatæ, negandum esse ant: nulla etenim est perfectio in totà Trinitate, quæ non sit in unà singulari Personà; quoniam in unaquaque est tota plenitudo Deitatis, & aliæ Personæ sunt etiam secundùm relativas proprietates, quę ex se ipsis perfectiones sunt.

80 Instas. Stante identitate cum essentià, & circuminsessione Personarum secundùm suas proprietates, si Relationes prout distinctæ ab essentià dicunt perfectionem, non salvatur doctrina Patrum de æqualitate unius singularis Personæ cum totà Trinitate: ergo negandum est Relationes prout distinctas ab essentià dicere perfectionem. Ostenditur ant: nam tres Personæ simul habebunt tres istas perfectiones, esse videlicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Sed nulla singularis Persona habet esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: ergo si Relationes ut ab essentià distinctæ dicunt perfectionem, non salvatur doctrina Patrum, &c.

In-

81 Instantiam instantià repello : est enim perfectio Trinitatis , quamvis derivata ab essentià , ut volunt adversarij, esse Patrem, Filium , & Spiritum Sanctum. Sed nulla singularis Persona est Pater , Filius , & Spiritus Sanctus : ergo in nullà reperitur tota perfectio Trinitatis : ergo una Persona non est tanta , quanta est tota Trinitas. Directè , dist. maj: & quidquid est perfectionis in hoc complexo objectivo , esse Patrem , Filium, & Spiritum Sanctum , est in unaquaque Personà partim per realem constitutionem , partim per identitatem in tertio , & per inexistentiam, conc; aliter,nego maj: nam si aliter rem apprehendas,destrues,quòd sit perfectio Trinitatis esse Patrem , esse Filium , & esse Spiritum Sanctum. Dist. similiter min, nego cons. Solutio non indiget explicatione.

82 Obj. 6. Esse Patrem est perfectio Trinitatis , essentiæ superaddita ; sed in Filio non reperitur esse Patrem : ergo non reperitur perfectio aliqua Trinitatis. Additur : nil prodest , quòd perfectio aliarum Personarum sit per identitatem cum naturà , & per circuminsessionem in unaquaque , si proprietas unius Personæ non perficiat aliam ; sed non perficit ; aliter non essent perfectiones oppositæ , & insuper constituerent unum per se compositum ex distinctis , quod simplicitati Dei repugnat: ergo.

83 Resp. conc. maj. dist. min: in Filio non reperitur Filium esse Patrem, conc; in Filio non reperitur Patrem esse Patrem, nego min, & cons. Ad id, quod additur, dicendum, ita Relationes esse perfectiones, ut naturam divinam perficiant, & unaquęque omnes Personas perficiat, unam per identitatem immediatam, illam scilicet, quam constituit, alias per identitatem cum naturà, & per circuminsessionem. Prætereà: principium, & terminus operationis immanentis sese mutuò perficiunt; meliùs enim se habet principium cum termino, quàm sine illo, & vicissim. Sed divinæ Personę se habent ut principium, & terminus operationis immanentis: ergo sese mutuò perficiunt: ergo Relationes perficiunt, tùm essentiam, tùm Personas. Videatur Montoya d. 30. s. 5. Quòd Relationes sint perfectiones oppositæ, non obstat: est enim oppositio quoad immediatam identitatem tantùm, non quoad identitatem in tertio, nec quoad circuminsessionem. Quòd verò faciant unum citra compositionem oppositam simplicitati, constat ex illo Christi Domini, *ego, & Pater unum sumus.* Hic non est compositio physica: nam inter Relationes, & essentiam non est pluralitas; inter Relationes ipsas, in quibus est pluralitas, non est nexus: neque enim identificantur inter se, neque uniuntur unione

ne aliquà physicà, vi cujus constituant unum naturale, aut personale, aut integrale. Recole dicta d. 1. c. 3. n. 96.

84 Instas. Si Relationes sunt perfectiones, quælibet est perfectio infinita; hoc non: ergo. Prob. min: perfectio, quę est infinita, est communicabilis, & compatibilis per immediatam identitatem cuilibet perfectioni simplici; sed Paternitas v. g. non est sic communicabilis Filiationi, neque immediatè identificabilis cum ipsà: ergo. Admitto maj, quam suprà probavi à n. 54. & addidi à n. 60 Relationes divinas esse perfectiones simpliciter simplices; & nego min. Ad prob. nego maj: nam sicut in genere entis est ens communicabile, & est ens incommunicabile, ita in genere perfectionis est perfectio communicabilis, & perfectio incommunicabilis; quòd autem huic (nempe in divinis) possit accedere quantitas infinita, & qualitas simpliciter simplex, satis probatum est locis mox citatis.

85 Insurgis. Sed ex hoc ipso, quòd Paternitas sit incommunicabilis, & non immediatè identificabilis cum Filiatione, evincitur non esse simpliciter infinitam in genere relativo; neque enim includit realiter, & formaliter Filiationem, quę pariter dicitur perfectio de eodem genere relativo: ergo. Nego assumptum, & ad prob. dico Paternitatem in

ſuà quaſi ſpecie includere omnem perfectionem ſuperiorem de genere relativo, & inſuper ſuam propriam differentiam æqualem omnino Filiationi: quod ſufficit, ut ſit ſimpliciter infinita; nam infinitum ſimpliciter tale non excludit æquale, ſed excedens, ut dictum, & probatum eſt.

SECTIO VI.

Objectiones, quæ reſtant, diſſolvuntur.

86 OBj. 7. Si Relationes dicunt perfectionem, Perſonæ divinæ non ſunt æquales; hoc eſt contra Fidem, qua profitemur in ſymbolo Athanaſij, *in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil majus, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*: ergo Relationes non dicunt perfectionem. Prob. maj: nam juxta Philoſophum *ſpecies ſunt, ſicut numeri*; inter hos cum eſſentiali differentiâ æqualitas numerica ſtare non poteſt: ergo inter Patrem, & Filium æqualitas eſſe non poſſet, ſi ipſorum proprietates dicunt perfectionem. Hoc à fortiori dicendum eſt de Spiritu Sancto relatè ad Patrem, & ad Filium; nam in Patre, & Filio præter Relationes notionales eſt etiam Relatio Spiratoris: ergo plures eſſent perfectiones relativæ in Patre, & Filio, quàm in Spiritu Sancto: ergo, &c.

87 Reſp. neg. maj. Reprehenditur Clyc-

tho-

thovæus, qui asseruit principaliorem esse modum existendi Patris, qui à nullo principio est, quàm Filij, qui à Patre est. Ducebatur illo Christi Domini. Joan. 14, *Pater major me est*. Suam cogitationem confirmabat ex sensu aliquorum Patrum, qui textum illum intellexere de Christo, ut Deus est. In primis: multò plures sunt Patres, qui textum de Christo ut homine intelligunt. Deinde: ij Patres, qui de Christo ut Deo illum intelligunt, majorem Filio esse Patrem dicunt, non quidem re ipsà, sed hoc præcisè, quòd naturà suà nomen Patris honorificentius est, quàm Filij, ut explicat Magnus Theologus Maldonado in illum locum; additque, *haud scio, an illi Patres plus adversarijs concesserint* (nempe Arianis) *quam æquum erat*.

88 Explicatur æqualitas divinarum Personarum, stante, quòd divinę Relationes dicant perfectionem: nam sunt istæ Relationes æquè perfectæ, seu, rectiùs, perfectiones omnino æquales. Prob. hoc: nam quamvis divinæ Relationes sint dissimiles, ac diversę, nihilominus æqualiter exigunt naturam divinam, & hæc æqualiter illas exigit. Ex hac autem reciprocà exigentià mensuranda est perfectio divinarum Relationum: ergo hæ sunt æqualiter perfectę. Hinc paris perfectionis est Patrem esse Patrem, ac Filium esse Filium,

& nulla est in Paternitate perfectio, quæ non compensetur per Filiationis perfectionem. Hoc, omissis multorum Patrum testimonijs, apertissimè probatur ex præclaro illo Nazianzeni orat. 35. quæ 3. est Theolog. *si magnum Patri est à nullo profectum esse, non minùs illustre Filio est ex tali Patre prodijsse.* Ergo inter relativas Personarum divinarum proprietates est omnimoda perfectionis æqualitas.

89 Ad textum Philosophi in maj. negatę probationem allatum; in rebus theologicis quis Nazianzeno, & alijs Patribus Aristotelem non postponat? Insuper: effatum illud *species sunt, sicut numeri*, temperamento eget; aliter sicut non est numerus, qui non constet unitatibus realiter distinctis, ita nulla esset species, aut quasi species, quæ esset simplex realiter. At probent adversarij illam propositionem Philosophi veram esse in re præsenti; non aliunde probabunt nisi à contrario sensu, sic: cum unitate specificà non stat perfectionis inæqualitas: ergo cum perfectionis æqualitate non stat diversitas specifica. Non fluit cons: nam inæqualitas perfectionis arguit in unà entitate esse prædicatum plus quàm numericè diversum, quod non est in aliâ; & hinc sumitur specifica diversitas. At æqualitas in perfectione solùm arguit, quòd

præ-

prædicata plus quàm numericè diversa tantundem æstimabilitatis habeant; ac proinde æqualitas perfectionis non obest diversitati specificę.

90 Quòd autem à fortiori de Spiritu Sancto dicendum esset non esse æqualem Patri, Filioque, falsum est: nam tametsi in hac divinà Personà non sint (nempe per immediatam identitatem) tot perfectiones relativę, quot in Patre, & Filio, nihilominus Relatio Spirationis passivę est æquè perfecta, ac Pater, & Filius secundùm suas Relationes, tùm propter mutuam exigentiam inter naturam divinam, & spirationem passivam, tùm etiam quia verbis Nazianzeni dicimus, *si magnum Patri, & Filio est esse Spiratorem, non minùs illustre Spiritui Sancto est ex tali Spiratore prodiisse.*

91 Obj.8. instando. Summam æqualitatem divinarum Personarum, nullo recursu facto ad Relationes, desumunt Patres ex hoc dogmate, *quia uniuscujusque earum est perfecta, & summa essentia*, ut loquitur ex sensu omnium Patrum Anselmus in Monol. c.53. ergo ad aliud pro æqualitate Personarum non est recurrendum; esset autem recurrendum, si Relationes dicerent ex se ipsis perfectionem: ergo. Conf: *Filius secundùm id, quod ad Patrem dicitur, non est æqualis Patri, sed secundùm*

dùm id, quod ad se dicitur, docet Augustinus 5. de Trinitate, c. 6: ergo contra ejus mentem est ponere in Relationibus perfectiones, & ipsarum æqualitatem: ergo, &c.

92 Resp. neg. ant: nam Patres, etsi non semper ad æqualitatem Relationum recurrant ad explicandam æqualitatem Personarum, non rarò ad hoc recurrunt expresè, ut semel, atque iterum cit. Nazianzenus, aut tacitè, quoties in Relationibus perfectionem agnoscunt, ut Cyrillus cit. n. 42. Cur itaque signatè, & semper recurrunt ad unitatem essentiæ summè perfectæ? Quia contra Arianos negantes *Filium esse æqualem Patri* agebant de totali æqualitate Personarum: ad hanc probandam inutile medium erat probare æqualitatem Relationum; sicut inutiliter probaretur Angelum, & hominem esse totaliter æqualiter perfectos, quia in aliquo determinato prædicato æqualiter, & univocè conveniunt, ut in prædicato entis. At unitas divinæ essentiæ est medium evidenter probans totalem æqualitatem Personarum; nam ex summà perfectione essentiæ excluditur omnis inæqualitas Personarum, undecumque hæc inæqualitas specie tenus apparere posset: ut in hac quæstione ex eo, quòd Relationes perfectionem dicant.

93 Ad conf. nego conf, quæ ex testimo-

nio

nio Augustini non descendit. Sensus est: Pater constituitur in esse Personæ per naturam, & suam Relationem; Filius secundùm quod præcisè dicitur ad Patrem, reduplicat Relationem; Relatio autem non est (præcisivè, & virtualiter) æqualis Patri. Cum hoc stat, quòd Filius secundùm id, quod ad se dicitur, hoc est, prout constitutus in ratione Filij per naturam, & suam Relationem sit æqualis Patri, & quòd Relationes ipsæ sint æqualis perfectionis. Ut aliquas instantias præoccupes,

94 Observa 1. Non petimus principium, dum ad explicandam æqualitatem Personarum recurrimus ad æqualem perfectionem Relationum. Hanc probamus ex eo, quòd Relationes æquales sint in ratione entis, in ratione ordinis ad existentiam, in hoc etiam, quòd exigant identitatem cum naturâ, ac denique in eo, quòd à natura exigantur: ergo in perfectione sunt æquales. 2: non evertimus statum quæstionis, dum recurrimus ad ordinem Relationum ad naturam divinam: neque enim hinc evincitur, quòd non loquamur de conceptu *ad*, sed de conceptu *in*. Ratio: quia loquimur de Relatione prout virtualiter distinctâ ab essentiâ; sic autem Relatio dicit formaliter conceptum *ad*, & conceptum *in*: sed iste conceptus *in* non est formaliter, & virtualiter essentia divina, sed est ordo ad identitatem cum essentiâ. Obs.

95 Obſ. 3. *Eſſe ad aliud* cum munere reali erga ſubjectum, eſt perfectio, etiam ſi omittatur, quòd eſſe ad aliud abſque tali munere non ſit ſubjecti perfectio. Relationes divinæ non hoc, ſed illo modo ſe habent; nam prout diſtinctæ ab eſſentiâ ſunt reale complementum naturæ, illam ſubſiſtentem reddunt, & Perſonas conſtituunt, atque diſtinguunt: quapropter ſunt perfectiones naturæ, & divinarum Perſonarum. 4: imperceptibile videtur aliquid actu formaliter, & ex proprio conceptu eſſe in Deo, quod ex proprio ſuo conceptu perfectionem non exprimat. Cum ergo in Deo adſit, nedum abſolutum, ſed & relativum, neceſſe eſt dicere etiam relativum ex ſuo genere perfectionem exprimere. Verba ſunt magni ponderis graviſsimi C. de Gotti hìc q. 3. dub. 1. n. 6.

96 Obj. tandem. Sequitur, quòd multiplicantur perfectiones in Deo: ergo erunt tres perfecti, tres boni, tres magni; & quidem hæc de Deo dicerentur, non ſolùm adjectivè, ſed & ſubſtantivè. Ratio hujus: nam cum multiplicatur materiale, ſive ſubjectum, & formale, ſive forma, multiplicantur nomina, non ſolùm adjectivè, ſed & ſubſtantivè. Sed hìc multiplicarentur ſubjecta, hoc eſt, ſuppoſita; & etiam formę, hoc eſt, perfectio, bonitas, magnitudo; ergo. Quòd autem hoc ad-

admittendum non sit, constat ex communi Patrum sensu, & præcipuè ex Augustino passim docente *bonitatem, & magnitudinem perfectionis in divinis, non relativè, sed ad se dici, & tres Personas nec tres bonos, nec tres magnos dici posse; quia magnus, & bonus substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur.*

97 Resp.conc.ant.dist.cons:ergo erunt tres perfecti, boni, & magni cum addito non quidem alienante, aut diminuente, sed explicante, conc:aliter,nego cons,& constat ad reliquum. Damnatus est Arius, quia in Deo tres res absolutas asseruit; damnatus est Sabellius, quia tres res, seu tria entia relativa in Deo negavit. Si itaque cum hoc addito *relativè* Personæ divinę dicendę sunt tres res, tria entia, cur dicendæ non sint tres *relativè* perfecti, boni,magni perfectione, bonitate,& magnitudine relativà? Nec obest, quod ex Patribus, & præsertim ex Augustino objicitur: nam, ut n.75.notavimus, cum nomen est indifferens ad absolutũ, & relativũ, stat pro absoluto, nisi aliquid addatur; & ejus naturę sunt hæc nomina *perfectio, bonitas, magnitudo*, & hęc concreta accepta subsantivè *perfectus, bonus, magnus*. Hinc Patres semper loquuntur in singulari, dum magnitudinem Deo attribuunt ducti ex eis Scripturæ testimonijs,*magnus Dominus*,& *magnitudinis ejus non est finis.*

Ipso

Ipso hujus disputationis initio aureum illud D. Hieronymi præmissimus, *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*; cui consonat istud D. Augustini 10. de Civit. cap.23, *nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia impiam gignat opinionem.* Nihilominus jam ex sensu Theologorum multę propositiones in disputationibus sunt in usu, quę cum addito subintellecto currunt pede inoffenso; & tales sunt istę, *in Deo sunt tres perfectiones*, & *tres Personæ divinæ sunt tres substantivè perfecti.*

98 Dices. In Deo est una perfectio, quæ complectitur perfectiones absolutas, & relativas: ergo supereſt, quòd Relatio sit inæquatè tantùm perfectio, sive perfectio inadæquata. Prob. ant: nam perfectio simpliciter dicta est integritas prædicatorum, ut res sit, & nihil illi deficiat; sed hæc integritas in Deo complectitur perfectiones absolutas, & relativas; nequit enim non esse Trinus, & Unus: ergo. Hæc ex Granado, qui difficultatem de voce ingerit, & in re non dissentit. Ant. verum est de una perfectione complexa. In consequitur, quòd Relatio sit inadæquata perfectio; hoc non respuo. Ponitur, quòd sit inadæquatè perfectio; hoc nego: nihil enim deest Relationibus, ut sint perfectiones, sicut nihil deest absolutis, ut perfectiones sint. Ad-

de: Relationes eo modo sunt perfectiones, quo inter se distinguuntur; cumque Relationes, prout inter se distinguuntur, sint realiter tres, sunt etiam realiter tres perfectiones, quamvis coalescant ad unam integram perfectionem constituendam, qua Deus Trinus, & Unus est.

99 Dices iterum. Relationes prout virtualiter distinctę ab essentiâ dicunt unam tantùm perfectionem realiter communem tribus Relationibus, tribusque Personis: ergo perfectiones relativæ non multiplicantur. Prob. ant: quia numquam Patres meminere trium in Deo perfectionum. Hæc ex Vazquez, & Montoya, quibus subscribit Quirós insuper addens, quòd, si sunt tres perfectiones relativæ, nulla Persona est plenè perfecta; quia nulla est omnis perfectio, quę est in Deo. Consf. autem absurdum est. Nego ant. Hæc una perfectio, quam dicerent Relationes, aut esset absoluta, aut esset relativa? Si 1: ergo Relationes prout distinctæ ab omni absoluto non dicunt perfectionem, quod falsum est; nam prout sic distinctæ sunt ens, complent naturam divinam, &c. Si 2: contrà est: quia redit idem argumentum de Relationibus prout distinctis ab hac aliâ perfectione relativâ, quæ ut sic distinctæ sunt ens, &c. Præterea, illa communis Relationibus perfectio nequit esse

quid

quid relativum ; relativum enim ut tale opponitur alteri. Igitur ſicut ab omnibus Perſonis abſtrahitur conceptus Perſonæ, qui logicè, & prædicabiliter eſt communis, non tamen phyſicè, ita à Relationibus abſtrahitur conceptus perfectionis, qui logicè, & prædicabiliter eſt communis, non autem phyſicè.

100 Ad prob.ant. negati. Ad ſimile argumentum, *hoc Scriptura non dicit*, reſpondet Auguſtinus, *ſed hoc Scriptura non contradicit.* Dico; etſi Patres non aſſeruerint expreſsè in Deo eſſe tres perfectiones, hoc tamen non negarunt. Et quidem Damaſcen. 1. de Fide c. 11. docet *Patrem, & Filium, diſtingui perfectionibus perſonalibus*: perfectiones, quibus diſtinguuntur Perſonæ, ſunt Relationes; quæ cum in Deo ſint plures, plures in Deo agnoſcit Damaſcenus perfectiones. Ad addit. nego ſequelam majoris, cujus probatio non urget. Si unaquæque Perſona eſſet (per identitatem immediatam) omnis perfectio, quæ eſt in Deo, Deus non eſſet Trinus. Pater non eſt Filiatio; ſed tantundem perfectionis eſt in Patre habere per circuminſeſsionem Filiationem, quàm eſt in Filio habere per identitatem iſtam ſuam propriam relativam perfectionem. Habere per circuminſeſsionem, & non per identitatem, perfectionem abſolutam eſſet imperfectio: quia perfectio abſoluta non eſt op-

oppositā habenti; at relatio, quæ est terminus, ex suâ propriâ perfectione est oppositā habenti relato. Hinc constat disparitas ad argumentum ex modo, quo unaquæque Persona habet omnem perfectionem absolutam, ad modum, quo habet omnem relativam.

SECTIO VII.

De prædicatis transcendentibus divinas Relationes.

101 HIc sese aperit latissimus disputandi campus; sed cursim percurrendus est. Illud prædicatum dicitur transcendere divinas Relationes, quod in ipsis multiplicatur, Ex dictis hucusque constat transcendere, & multiplicari in divinis Relationibus, & per ipsas in Personis multiplicari *ens*, *perfectum*, *bonum*, & *magnum*; indeque infertur esse transcendentia hæc prędicata *unum*, *verum*, & *amabile*: hæc enim prędicata sunt passiones, & proprietates entis, quæ sequuntur transcendentiam ipsius entis.

102 Quòd autem prædicatum *ens* non multiplicetur, docuisse videtur Angelicus in 1.d.25. a.4. negans in Deo esse tria *entia*; sed explicatur de ente, prout dicit omnem plenitudinem essendi. In Deo esse tres *res* communiter docetur cum Augustino, Anselmo, & Angelico hìc q.39. a.3. ad 3. Tres in Deo esse *quidditates* quodammodo, hoc est, relativas

ex eodem Angelico dictum est num. 79. Tres *essentias*, sicut & tres *naturas* esse in Deo dicere non possumus: nam tametsi Relationes habeant suum esse, suam realitatem, & quidditatem, nihilominus sensus dogmaticus est, ut essentia, & natura in divinis accipiatur pro esse absoluto, & hypostasibus communi. Idem dicendum de hoc prædicato *subsistantia*, quod in sensu dogmatico convertitur cum essentiâ, & naturâ. Quòd si unicè accipiatur pro ente per se, nempe contrapositè ad accidens, & prout est aliquid constituens suppositum, esse in Deo tres subsistantias relativas dictum est.

103 Difficultas est in prædicato *existens*. Tres existentias relativas admittunt aliqui cum Suario, negant multi, quibuscum Vasquius. Sententia affirmativa mihi placet: nam existentia est actualitas essendi; sed Relationes se ipsis habent actualitatem essendi: ergo. Ratio min: nam Paternitas v. g. seipsâ ut condistinctâ virtualiter ab essentiâ est Paternitas non merè possibilis: ergo est actu id, quod est: ergo habet actualitatem essendi. Videatur Herrera q. 9. s. 2. Docui in Philosophiâ existentiam rei creatæ consistere in actione, qua producitur à causâ; quòd si velis à paritate inferre, quòd existentia Personæ productæ consistat in processione passivâ, nihil absonum dices; nam processio passi-

va adæquatè identificatur cum Relatione Personæ productę: unde & per propriam existentiam existit, & multiplicat existentias relativas.

104 Major est difficultas de hoc prædicato *aseitas*. Dixi disp.1.c.2.n.15. aseitatem esse prædicatum transcendens Relationes divinas; quod expressè docet Compton disp.4. de Essentiâ Dei sec.5.n.8. Standum est dictis, & concedendum aseitatem multiplicari in divinis Relationibus. Ratio: quia esse à se dicit formaliter *esse*, tum etiam *necessitatem essendi*, & *exclusionem causę*. Sed Relationes divinę, prout non præscindunt ab eo, quòd sint divinæ, dicunt formaliter esse, necessitatem essendi, & exclusionem causę: ergo. Addendum propter eamdem rationem esse prædicata transcendentia Relationes hæc etiam: *divinum*, in quantum sunt quid *Divinitatem exigens*, *supernaturale* per summam participationem naturæ divinę, *increatum*, quatenus excludunt esse ab alio ut à causâ, *infinitum*, quatenus excludunt limitationem in suâ lineâ, & exigunt habere per identitatem omnem illimitationem.

105 Quid de his prædicatis *æternum*, atque *immensum*? Ex statutis circa æternitatem divinam d.1.c.3. sect.10. constat æternitatem plenissimè, & antonomasticè acceptam non

transcendere Relationes prout ab essentiâ distinctas. At illas transcendit æternitas prout est duratio principio, & fine essendi carens ex essentiali exigentiâ. Hoc sensu Relationes divinę sunt æternæ: nam quidquid necessarium ordinem identitatis cum Deo dicit, pariter metaphysicè repugnat initio, finique essendi. Ex dictis circa Dei immensitatem cit. d. & cap. sec. 12. constat immensitatem, prout dicit præsentiam per cognitionem, & per operationem, non esse prædicatum transcendens Relationes: ejusmodi namque præsentia est propria Omniscientię, & Omnipotentiæ. At prout præcisè dicit necessariam præsentiam omni loco, & rebus omnibus, transcendit divinas Relationes. Ratio: quia se ipsis sunt proprietates omnino inseparabiles à Deo, ac proinde se ipsis sunt in omni loco, & in rebus omnibus comitantes Deum. Similiter discurrendum est de *simplicitate*, *incomprehensibilitate*, & *ineffabilitate*; dicendumque istas perfectiones transcendere Relationes.

106 Hoc mihi certum est, semel concesso, quòd Relationes dicant perfectionem transcendentalem, dicendum esse non solùm prædicatum *ens*, & ejus metaphysicas passiones transcendere Relationes divinas. Ratio; quia aliter istę prout ab essentiâ condistinctæ non excederent perfectionem omnium en-

tium

tium creatorum. Excedunt autem, non solùm longissimè, sed etiam infinitè, ut probatum est: ergo non solùm perfectiones transcendentales entis, sed & aliæ transcendunt Relationes. Certum est etiam perfectiones abstrahibiles à Deo, & à creaturà non transcendere Relationes divinas. Id generis sunt *virtus productiva, intellectiva, volitiva*, & aliæ perfectiones, quæ eatenus sunt simplices, quatenus depurari possunt ab omni imperfectione. Certum etiam mihi videtur aliquas perfectiones essentiales, & differentiales Deitatis transcendere Relationes, non quòd in ipsis multiplicetur aliquid absolutum, sed quòd in illis sit prædicatum simile, abstrahique possit hujusmodi perfectio à relativo, & absoluto. Tales sunt hæ perfectiones *divinum*, atque *infinitum*, quas imbibi in Relationibus concedit Munieſſa alioqui parcissimus in admittendis perfectionibus, quæ in divinis Personis multiplicentur. Videatur disp. 7. de Essentiâ sec. 12.

107 Contra doctrinam hucusque datam circa transcendentiam divinarum perfectionum oppones dogma catholicum, quod in Athanasij symbolo profitemur, *non tres increati, sed unus increatus; non tres immensi, sed unus immensus; non tres æterni, sed unus æternus.* Quo sensu hæc dicuntur? Attende: *simi-*

liter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens: ita non tres Dij, sed unus est Deus: ita non tres Domini, sed unus est Dominus. Vides, quoniam eodem prorsus modo dicendum est de prædicatis *increatum, immensum, æternum*, quod dicitur de Omnipotentiâ, Deitate, & Dominio; sed neque Omnipotentia, neque Deitas, nec Dominium multiplicatur in Personis divinis: ergo neque illa alia prędicata *increatum, immensum, æternum* in Personis multiplicantur. Id postulant adverbia illa comparativa *similiter*, & *ita*, quibus D. Athanasius utitur.

108 Hoc idem argumentum opponūt, qui Relationibus perfectionem negant inferentes à paritate: sicut non tres increati. nec tres omnipotentes, & sic de alijs prędicatis enumeratis, ita nec tres perfecti: ergo Relationes non dicunt perfectionem. Neganda illis est consequia consultò Athanasius non hoc dixit *non tres perfecti, sed unus perfectus*; quoniam apertè Relationibus perfectionem addixit, ut patet ex illius testimonio dato n. 22. & ex alijs videndis apud Doctores nostrę sententiæ.

109 Nunc ut ad argum. respondeam, hoc principium statuo, prędicata characteristica divinarum Relationum esse *complere* natu-

ram

ram divinam, *constituere*, & *distinguere* divinas Personas. Quidquid imbibitur in ijs prædicatis, transcendit Relationes, & multiplicatur in Personis; secus quod non imbibitur. Oritur 1: non est prædicatum transcendens *Omnipotentia*, *Dominium*, multoque minus *Deitas*, quæ complectitur physicè, & metaphysicè omnes divinas perfectiones absolutas, & necessarias. Oritur 2: sunt prædicata, quæ transcendunt, & multiplicantur, *increatum*, *immensum*, atque *æternum*; hæc enim prædicata imbibi in Relationibus, quatenus sunt complementum naturæ divinæ, constituuntque, & distinguunt divinas Personas, probatum manet. Cum hac diversitate accipiendæ sunt particulæ illæ, quibus utitur Athanasius, *similiter*, & *ita*.

110 Sed si ita est, cur dixit *non tres increati, sed unus increatus*? Similiter de æterno, & immenso. Id dixit, quia absolutè, & sine addito loquebatur. Hoc non obest, quominus cum addito dicamus *tres æterni æternitate relativâ*, &c. Ex semel, iterum, atque tertiò dictis, in similibus propositionibus aliquid expresse addatur, quo sensus catholicus, & dogmaticus explicetur. Quòd si ille sensus non admittat additum, non utemur loquentes de Deo nominibus significantibus pluralitatem, ut de essentiâ, & naturâ dixi n. 102.

CAPUT TERTIUM.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

SECTIO I.

Breviter enodantur aliquot quæstiones.

¶ QUæritur 1: quid sint, & an sint divinæ processiones? Dicendum processionem, originem, sive productionem esse rationem formalem, qua in divinis una Persona est ab alià tanquam à principio; atque in divinis esse reales processiones. Constat 1. pars de quidditate processionis; & solùm est notandum, quòd origo frequentiùs accipitur activè, quàm passivè: & sic dicitur *Pater origo Filij*, & *Pater & Filius origo S. Spiritùs*, & non vice versà. *Processio* juxta Florentinum sess. 8. *est via ab uno ad aliud*; ideoque accipitur jam activè, jam passivè: *procedens* autem semper accipitur passivè, & non prędicatur nisi de termino producto. Constat etiam pars 2: nam de Fide est in Trinitate esse duas Personas verè, & realiter productas: ergo in Trinitate est certum de Fide dari reales rationes, quibus eæ Personæ sunt verè, & realiter productę; hujusmodi autem rationes reales

les sunt processiones. Adest illud Christi Domini Joann. 8, *ego ex Patre processi*, & illud ejusdem Joann. 15. *Spiritus, qui à Patre procedit.*

2 Quæritur 2: an in divinis sint duæ processiones passivæ? Respondendum est affirmativè. Constat responsio, sed indiget aliquà explicationis luce. Memineris ea, quæ diximus de numero subsistentiarum: de Fide sunt tres, si accipiatur subsistentia concretè pro subsistente, non tamen si accipiatur abstractè. Relege doctrinam datam d. 1. c. 2. §. 8. Itaque quoniam de Fide est dari in Trinitate duas Personas productas, de Fide pariter est dari duas productiones passivas concretè sumptas. Quòd si loquamur de processione passivà abstractè sumptà, duas esse negari non potest, salvis principijs Fidei, & rationibus theologicis, quæ ex illis desumuntur. Dubitatur tamen: an ex eo præcisè, quòd duæ sint Personæ productæ, rectè colligatur duas esse processiones passivas pro formali, & abstractè? Affirmo, & loquimur de duabus Personis productis, quarum altera alteram producit.

3 Hæc doctrina non bene probatur ex eo, quòd Personæ sint termini specificè, aut quasi specie differentes: neque enim implicat, quòd in creatis termini specificè diversi

una

una actione producantur: ergo ex diversitate specificà, vel quasi, divinarum Personarum non ostenditur, quòd non terminent unam tantùm processionem. Accedit, quòd in Deo termini quasi specificè diversi, ut sunt intellectus, & voluntas, coadunantur in identitatem realem: ergo quòd Personę productæ differant specificè, non probat, quòd non possint in unam productionem convenire. Insuper eadem potentia potest producere terminos specificè diversos: ergo & eadem actio potest esse productio hujusmodi terminorum: ergo ex eo prę cisè, quòd divinę Personę sint specie differentes, non infertur, quòd &c.

4 Eadem doctrina probatur in sensu dato, nempe quòd ex duabus Personis productis altera alteram producat. Cogita Patrem producentem Filium productione identificatà cum Filio: cogita deinde Filium esse actionem, vel quasi actionem, qua S. Spiritus producitur. Hæc cogitare oportet, ut dicatur non inferri duas processiones ex dualitate Personarum productarum, quarum altera producat alteram: in eà enim hypothesi una tantùm esset actio identificata cum Filio, & distincta ab Spiritu S. Nunc sic: ista actio esset adæquata productio S. Spiritùs: ergo Pater esset actu adæquatum principium Spiritus S. Constat cons: nam illud est actu adæquatum

tum principium, causa, vel quasi causa termini, quod est adæquatum principium causalitatis, aut quasi causalitatis adæquatę termini; sed in eà hypothesi Pater esset actu principium adęquatum, & causa (in sensu sano, quo Græci Patres utuntur, & qui notissimus est) esset, inquam, quasi causa adæquata adęquatæ quasi causalitatis Spiritùs S: est enim adæquatum principium Filij, & Filius in eà hypothesi esset sola, tota, & adæquata quasi causalitas, qua Spiritus S. procederet: ergo Pater esset adęquata quasi causa, hoc est, adęquatum principium productivum Spiritùs S: ergo Filius non esset tunc principium, à quo produceretur Spiritus S. Ratio cons: nam solùm se haberet ut actio distincta à causà adęquatà, & à termino producto; hęc autem actio sic distincta, non est causa: ergo.

5 Respondebis. In eà hypothesi Pater non esset quasi causa adæquata S. Spiritùs: unde manet, quòd Filius esset illius principium, & quasi causa inadæquata. Præoccupata est responsio: nam illa est causa adæquata termini, quę est adæquata causa adæquatæ causalitatis; in eà autem hypothesi Pater esset adæquata quasi causa causalitatis adæquatę, qua S. Spiritus produceretur: ergo in eà hypothesi Pater esset actu quasi causa adæquata Spiritùs S. Urgetur: non est causa illa.

illa entitas, quę est exercitium, medio quo alia entitas realiter distincta influit in terminum ut causa adęquata; sed in illà hypothesi Filius esset exercitium, quo Pater realiter distinctum principium influeret ut quasi causa adęquata in Spiritum S: ergo Filius non esset principium Spiritùs S. Hoc argumento ductus negavi in Philosophià possibilem esse causam identificatam cum actione, qua terminus aliquis producatur. Hanc tenent sententiam Oviedus, & Peinadus videndi ubi de actione disputant.

6 Quæritur 3: an divinę processiones sint immanentes, & vitales? Utrumque affirmo. 1: quia terminus divinarum processionum manet in principio, & quidem ex proprià perfectione: inde enim nascitur, quod Persona producta sit in producente per identitatem cum divinà naturà, & per circuminsessionis modum. 2: quia terminus processionum est terminus ultimus virtutis per se immanenter operativę, quæ est in principio producente; & hæc immanentia est ex perfectione principij. Ex disputatis in Philosophià suppono in assignato conceptu consistere conceptum vitæ; de quo videri potest Munniessa d. 4. de Essentià Dei sect. 1. Constat hinc disparitas ad generationem creatam: nam potentia generativa creata non est formaliter vi-

vitalis, quia ipsius terminus non manet in principio; secus in generatione, & in spiratione divinis. Si dicas Filium in divinis non esse terminum ultimum virtutis generativę, quia simul cum Patre est principium Spiritus S, respondebo: est terminus ultimus secundùm Relationem Filiationis, non secundùm Relationem Spirationis activę, à qua proprietas Filij distinguitur virtualiter. Quòd si opponas processionem non involvere nisi relativum, vitam autem Dei stare formaliter in absoluto, nempe in intellectione, & volitione; dicam: vitalitas processionum est vita physica, & solùm arguitivè intentionalis: in quantum videlicet processiones sunt per intellectum, & voluntatem.

7 Quæritur 4: an divinę processiones sint liberę? Respondendum est negativè. Unum hic est de re, sed dogmaticà; aliud est de voce. Ariani, & consimiles alij hæretici dixerunt Patrem consilio, & voluntate generasse Filium, sicut creaturas produxit; & sicut has potuit non creare, ita potuisse non generare Filium. Supponebant Deum nihil finitum necessariò producere; & ne faterentur Filium esse infinitum, ideoque consubstantialem Patri, dicebant Patrem liberè, & non necessariò genuisse Filium. Arguebant sic: Pater genevavit Filium aut nolens, aut volens? Si 1:

ergo

ergo vis allata est Patri, ut generaret Filium. Si 2: ergo est Filius voluntatis. Respondet Nazianzenus: *ita novam quamdam matrem, voluntatem, Patris loco* (hæretici) *comminiscuntur*. Et argumentum retorquet: *Pater vel volens Deus est, vel nolens? Si volens, quando velle cæpit?* Et sic Deus Pater erit *fœtus voluntatis. Si nolens, quis eum coegit, ut esset?* Sic orat. 3. de Theologiâ. Directe: Pater genuit Filium volens, non voluntate præcedente, quæ sit principium elicitivum Filij, sed comitante, qua complacet in Filio; & hęc ipsa complacentia non libera est, sed necessaria.

8 Aliud, quod hìc est de voce, est dissidium communioris sententiæ ab Scotistis, qui docent processionem Spiritùs S. esse liberam, quia non est per naturam, sed per voluntatem, de cujus naturâ est libertas. Concedunt Scotistæ principium spirativum non habere indifferentiam, ut non producat, sed omnimodam determinationem. Concedunt insuper libertatem à solâ coactione non sufficere ad merendum, aut demerendum. Itaque processio Spiritùs S. est libera libertate à coactione; sed cum iste modus libertatis conveniat etiam processioni Filij, non hæc, sed illa dicitur libera, quia hæc sola est per voluntatem, quæ est sola potentia immediatè libera.

Dic-

9 Dicendum divinas processiones esse simpliciter necessarias. De processione Filij clarissimum est illud Athanasij orat. 4. contra Arium: *Pater non deliberat de Filio, ne de se ipso deliberare videatur*; id autem, quod non est simpliciter necessarium, cadit in deliberationem: ergo processio Filij est simpliciter necessaria: ac proinde non est simpliciter libera. Eadem ratio Athanasij evincit de processione Spiritus S: hęc enim sub deliberationem Spiratoris cadere non potest. Additur: Pater, & Filius necessariò simpliciter se amāt: ergo necessariò simpliciter producunt S. Spiritum: ergo hujus processio est simpliciter necessaria: & consequenter non est simpliciter libera. Habetur in Toletano XI, citato D. Augustino, *Patrem nec voluntate, nec necessitate genuisse.* Sed exponitur de necessitate coactionis; in hoc sensu asserit D. Ambrosius 4. de Fide cap. 4, *nec invitum dixerim, nec volentem*, nempe Patrem genuisse Filium. Ex excluditur à generatione æternà, quòd sit coacta; & hoc idem convenit processioni Spiritus S. & solùm addit, quòd sit per voluntatem. Atqui est per voluntatem se exercentem per amorem simpliciter necessarium: ergo ea processio est simpliciter necessaria, & non simpliciter libera.

10 Quæritur 5: an in divinis duæ tantum

tùm sint passivæ processiones? Affirmo; & probo ex Fidei dogmate: in Deo sunt tantùm duæ Personæ procedentes: ergo duæ sunt tantùm passivæ processiones. Accedit ratio, quam urget Angelicus: in Deo sunt tantùm duę potentiæ operativę ad intra, intellectus, & voluntas; Verbum divinum exhaurit totam fœcunditatem intellectùs, & Spiritus S. totam fœcunditatem voluntatis. Patet: nam sunt termini simpliciter infiniti. Ergo datis passivis processionibus duarum Personarum productarum, implicat alia processio; cum ijs expleatur, & exhauriatur tota Dei fœcunditas ad intra. Si dicas: & cur ad unum terminum tàm in lineà intellectùs, quàm in lineà voluntatis non possint terminari plures processiones? Ratio in promptu est: quia una data, quævis alia superflueret; superfluum autem in Deo repugnat essentialiter. Nota: processio per intellectum, & similiter alia per voluntatem est simpliciter infinita; nam unaquæque dicit omnes perfectiones communes de lineà processionis, & insuper addit omnes perfectiones de suà peculiari lineà: quemadmodum de divinis Relationibus dictum est n. 85.

SEC.

SECTIO II.

An activæ processiones distinguantur à passivis?

11 PRocessio activa est formaliter actualitas, qua principium producit terminum; processio passiva est formaliter actualitas, qua terminus producitur à principio. In creatis una, eademque entitas est actio, & passio: sive sumatur strictè pro actione eductivà, sive sumatur latè pro actione creativà. Actio immanens recipitur in agente tanquam in subjecto saltem partiali: actio creativa recipitur in termino: actio eductiva recipitur saltem partialiter in subjecto, ex quo terminus educitur. Hæc ex Philosophiâ suppono. Jam in quęstione nonnulli bonæ notæ Theologi dixerunt processionem activam in divinis non distingui realiter à passivâ; & hanc per identitatem esse in Personâ productâ: cum hisque Theologis sentit N. Borrull hìc disp. 5. s. 3. Contraria sententia est communissima, pro qua solidè, & non sine acrimoniâ in oppositam, pugnat Montoya d. 84. s. 3: eamdemque sententiam tenet Suarius, qui oppositæ censuras temperat hìc lib. 6. c. 2.

12 Assertum nostrum. Divinæ processiones activæ à passivis realiter distinguuntur,

tur. Prob. ab authoritate Patrum, & omissis multis videndis apud cit. Montoyam, sufficiat D. Fulgentius ad 1. objectionem Arianorum in principio: *generatio Patris, & nativitas Filij est proprietas in unoquoque Personæ*: ergo generatio, & nativitas sunt processiones distinctæ realiter, cum sint proprietates Personarum. Id optimè explicuit Bessarion C. in Florentino, assentientibus Patribus, orat. pro Unione c. 6. post medium: *origo significatur per modum actûs, ut generatio; Relatio autem per modum formæ. ut Paternitas: re tamen non differunt.* Atqui Paternitas identificatur realiter cum Patre, & à nativitate Filij realiter distinguitur: ergo origo activa realiter distinguitur à processione passivà. Communis est sensus Patrum apud cit. Montoyam, Patrem distingui à Filio, quia generat, & Filium à Patre, quia gignitur; & Patrem, Filiumque distingui ab Spiritu S, quia emittunt; & Spiritum S. ab ijsdem distingui, quia ab ipsis spiratur. Atqui Personæ distinguuntur per proprietates: ergo processiones activæ sunt proprietates Personarum producentium, & passivæ Personarum productarum: ergo aliæ ab alijs realiter distinguuntur.

13 A ratione prob. assertum. Generatio activa est actualis determinatio ad generandum; sed hæc determinatio identificatur

cum

cum Patre: ergo. Prob. min. 1: nam Pater est per se ipsum essentialiter determinatus ad generandum: si enim non generaret, non esset actu, sed ad summum in potentiâ Pater; atqui non esset per se ipsum essentialiter determinatus ad generandum, nisi determinatio actualis identificaretur cum Patre: ergo. 2: nam si Pater non generaret, non esset bonum infinitum; neque enim communicaret suam naturam summâ communicatione possibili: & de ratione boni infiniti est hujusmodi communicatio: ergo Pater per se ipsum est essentialissimè determinatus ad actu generandum: ergo ista actualis determinatio identificatur cum Patre. Desumpta est hæc probatio ex Patrum authoritate apud citat. Montojam. Similiter probatur Spirationem activam idẽtificari cum principio spirante, & processiones passivas identificari realiter cum Personis productis.

14 Confirm. Cur ponis processionem passivam identificari cum Personâ productâ? Dicis: quia aliter non esset perfecta, nisi se ipsâ, & formaliter intrinsecè esset producta. Infero: ergo neque Persona producens erit perfecta, nisi se ipsâ formaliter, & intrinsecè sit producens: ergo identificatur cum processione activâ; in Trinitate namque Persona producens, & producta sunt æqualis perfectionis,

& tantæ perfectionis est *producere*, quàm *produci*; & vice versà. Iterum: per vos Pater est perfectus, quia, ut cõtendis, licèt non generet per se tanquã per rationẽ formalẽ generandi, nihilominus est potens generare, & denominationem actu generantis accipit à Filiatione realiter distincta: ergo similiter Filius est perfectus per hoc, quòd est potens generari, & accipit denominationem generati à Paternitate, quamvis per se ipsum non sit genitus tanquam per rationem formalem: ergo non est potior ratio, ut processio, quæ simul sit activa, & passiva, identificetur cum Personâ productâ, quàm cum producente.

15 Expende hunc adversariorum discursum, qui est totum robur oppositæ sententiæ: *producere*, & *produci* sunt idem realiter, & formaliter; imperceptibile namque est, quòd terminus non denominetur productus per illam rationem formalem, qua principium denominatur producens; sed Filius est genitus per se ipsum: ergo per rationem formalem, qua Filius per se ipsum est generatus, Pater est generans: ergo generatio passiva, quæ est realiter Filius, est generatio activa, qua Pater generat. Enervatur discursus, si servatâ eâdem majore subtituatur hæc minor; sed Pater est generans per se ipsum: ergo per rationem formalem, qua Pater est per se

ipsum

ipsum generans, Filius est genitus: ergo generatio activa, quæ est realiter Pater, est generatio passiva, qua gignitur Filius; hoc non vultis: ergo, &c.

16 Urgentur nostræ sententiæ probationes. In Patre est quædam formalitas, cujus tota quidditas est *producere* aliam Personam, & ab istà *non produci*; & similiter in Filio est quædam formalitas, cujus tota quidditas est *produci* ab aliâ Personâ, & ipsam *non producere*: ergo in Patre datur productio activa, quæ non est passiva, & similiter in Filio datur passiva, quæ activa non est. Ratio cons: quia in Patre datur quidditas, quæ est *producere*, & *non produci*; & in Filio datur quidditas, quæ est *produci*, & *non producere* (nempe illam Personam, à qua producitur) quæ quidditas una, & realiter eadem non sunt; sed *producere*, quod non est *produci*, est processio activa; & *produci*, quod non est *producere*, est processio passiva: ergo processio activa in Patre distinguitur à processione passivâ in Filio; & unaquæque est proprietas Personæ, & quid notionale unius, & alterius Personæ.

17 Hæc cum ita sint, habent contra se argumentum mihi valde molestum, quod desumitur ex illâ propositione, *principium producere terminum*, & *terminum produci à principio sunt realiter*, & *formaliter idem ob-*

jectivus conceptus: ergo idem formaliter, & realiter est Patrem generare Filium, ac Filium generari à Patre: ergo unica processio identificata cum Patre hunc denominat generantem, & Filium generatum, aut unica processio identificata cum Filio hunc denominat generatum, & Patrem generantem; utrovis autem modo unica processio simul erit activa, & passiva. Si hæc negetur consequentia, infertur ista: ergo dantur duæ processiones, quarum quælibet est simul activa, & passiva: altera ex parte Patris, & altera ex parte Filij.

18 Dicunt aliqui. Per generationem activam existentem in Patre denominatur Filius generatus denominatione grammaticali, non physicà, & reali: quod idem dicitur de generatione passivà existente in Filio, qua Pater denominatur generans. Non satisfacit hæc responsio: nam neque denominatio geniti in Filio per passivam processionem est physica; cum non sit à formà distinctà physicè inhærente, sed à formà realiter identificatà. Nihilominus nullus dixerit, quòd Filius verè, & propriè non sit generatus per illam formam ab ipso indistinctam; nam per illam verè, propriè, & physicè procedit à Patre. Præterea: in creatis pater per formam, hoc est, per actionem generativam in filio receptam, ipsique

que patri extrinsecam physicè generat; et si ejusmodi actio reciperetur in patre, filius verè, & physicè esset generatus: ergo similiter in divinis. Hinc si nomine *denominationis grãmaticalis* accipiatur denominatio extrinseca, non est, cur negetur esse grammaticalem denominationem *generantis*, si proveniret à passiva processione identificatà cum Filio; & similiter de denominatione *genrati*, si proveniret à processione activà identificatà cum Patre. Sed tamen in 1. hypothesi Pater physicè generaret, & in 2. Filius physicè, & verè generaretur.

19 Dicunt alij cum Aureolo, cui assentit noster Arriaga. Duplex est processio activa: alia intrinseca, alia extrinseca: intrinseca est, qua Pater actualitate sibi essentiali generat; extrinseca est, qua Filius generatur. Similiter duplex est processio passiva: alia intrinseca, qua Filius actualitate sibi essentiali gignitur; alia extrinseca, qua Pater generat. Nihilominus processio activa distinguitur à passivà, quia una, & altera accipiuntur secundùm intrinsecum ex parte Personæ producentis, & ex parte Personæ productę. Displicet hæc responsio, ex eà siquidem infertur esse duas Paternitates, & similiter duas Filiationes. Ratio: quia Pater per processionem activam secundùm intrinsecum verè generat,

& per processionem activam extrinsecam verè realiter, & physicè generaret. Si hoc neges; relaberis in responsionem modò impugnatam de grammaticali denominatione. Sed per quod Persona formaliter generat, est Paternitas: ergo in Personâ generante esset duplex Paternitas, sive, quod idem est, esset duplex esse formaliter Patrem.

20 Occurres. In hoc nulla est absurditas; nam est unus tantùm Pater: quod est id, quod Fide profitemur in symbolo, *unus Pater, non tres Patres*; & similiter de Filio, & de Spiritu S. Ad rem dogmaticam spectat Paternitas secundùm intrinsecum processionis activæ; de Paternitate secundùm extrinsecum processionis activæ res est scholasticæ disputationis. Contrà: nam hac responsione admittitur duplex Paternitas; quod, cum nullâ sacrâ authoritate probari possit, durum mihi semper videbitur, ut loquitur Herrera hìc q. 4. n. 133. Ut hoc effugiant, aliqui dicunt, quod Paternitas non variatur ex præscissa variatione fundandi respectum, sed requiritur, quòd varietur aut subjectum, quod est Pater, aut terminus, nempe Filius. Contrà: quia invariatis subjecto, & termino, variatur formalis ratio generandi; sed ratio formalis generandi est Paternitas: ergo.

21 Jam ad arg. resp. Concedo, quòd in

creatis principium *producere* terminum, & terminum *produci* à principio sunt idem realiter, & formaliter conceptus; & quidem absque duplicitate formę, sed cum duplicitate partis materialis, quam afferunt illæ denominationes. Hæc est communis sententia, quam docui in Philosophiâ circa unicitatem actionis, & passionis. At si ex hac sententiâ desumeretur ineluctabile argumentum ad ponendam unicam processionem activam, & passivam, aut duas, quarum unaquęlibet esset simul activa, & passiva, in divinis, ab illâ sententiâ recederem, & irem in oppositam, quam tenent non pauci Thomistę, & aliqui Jesuitę, quos inter Lynze, & Quiros.

22 Sed cur non valeat argumentum à *producere*, & *produci* in creatis ad *producere*, & *produci* in divinis? Non valet: quia in creatis aut agens non est se ipso agens, aut actum non est se ipso actum: quare una actualitas, sive distincta sit ab utroque, sive cum alterutro identificata, sufficit ad auferendam indifferentiam aut utriusque, aut alterutrius. At in divinis producens est se ipso, & constitutivè producens, & productum est se ipso, & constitutivè productum: ac propterea *producere*, & *produci* non sunt idem realiter, & formaliter objectivus conceptus. At, inquies, impræscindibile est *Patrem producere Filium* ab

ab hoc, quod est *Filium produci à Patre*. Repono: si velis ingerere impræscindibilitatem, quæ supponit identitatem realem, nego, quod assumis. Si velis non posse percipi alterum ex illis conceptibus sine altero, hoc concedo; & hìc maximè locum habet commune illud, *relativa sunt simul cognitione*. Habebis non posse percipi Patrem producere Filium generatione se habente ex parte Patris, quin Filius producatur à Patre nativitate se habente ex parte Filij.

23 Saltem non concedetur eam denominationem *Pater generat Filium* esse grammaticalem, & in eodem sensu eamdem cum istà *Filius generatur à Patre*? Sit per me grammaticaliter eadem, dum fugias duas processiones activas (& similiter de passivis) alteram intrinsecam, & alteram extrinsecam, aut tantùm processionem activam simul, & passivam identificatam aut cum principio producente, aut cum termino producto. Quid ad hanc rem theologicam facit sensus grammaticalis prædictarum denominationum?

24 Replicabis. Doctrinę datæ resistit Philosophia. Occurro: si repetas, quòd in creatis actio, & passio non distinguuntur; hoc offendiculum jam est amotum paulò antè. Si affirmes à processione intrinsecà, qua Persona producit, alteram esse passivè productam, &

& vice versà; posſem dicere huic Philoſophię reſiſtere authoritatem Patrum ex principijs Fidei, & hoc ipſorum effatum eſſe certum, *Fides nos facit Philoſophos.* Vide dicta n. 12. & adde præclaram Athanaſij authoritatem dialog. contra Anomęum columnà mihi 3: *nulla in divinis Perſonis eſt differentia, niſi in eo demum aliqua, quòd gignere, & gigni, emittere, & emitti inter ſe differunt.* Ergo gignere, & gigni, emittere, & emitti ſunt Perſonarum differentiæ: ac proinde proceſsiones activæ, & paſſivæ diſtinguuntur. Sed ne inſolutum videatur argumentum ex Philoſophià,

25 Nota actionem philoſophicè ſumptam eſſe agentis viam ad terminum, ſive *fieri* termini; paſsionem autem eſſe rationem formalem, qua terminus eſt extra agens, & *in facto eſſe.* Quoniam autem in creatis nihil evincit, ut detur duplex actualis determinatio ad *fieri*, & ad *factum eſſe*, ſed una ſufficit, quę ſe teneat ex parte agentis, aut ex parte termini, inde eſt, quòd in creatis non diſtinguatur actio à paſsione. Hucuſque bene ex Philoſophià proceditur. At in divinis urgentiſsimè probatum eſt dari duas actuales exercitas determinationes, alteram purè activam ex parte principij, alteram purè paſsivam ex parte termini. Huc non attingit Philoſophia.

In-

26 Insistis. Aliquam denominationem tribuit termino processio activa, & vicissim alia esse non potest nisi denominatio producti, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè: ergo. Resp. datà maj. disting. min: de denominatione producti in viâ, seu *in fieri* admitto; & nego de denominatione simpliciter producti, & *in facto esse*. Alio modo: processio activa tribuit termino denominationem extrinsecam connexivè producti: est enim connexio essentialis cum productione passivâ; nō verò denominationem passivè formaliter producti. Vicissim de productione passivâ, quæ tribuit principio &c. Docet Angelicus q. 40. a. 4. corp. *quòd origo passivè significata significatur ut via ad Personam constitutam proprietate.* Sed hoc non intelligitur de viâ, quę est principij ad terminum, quæ quidem in Patre est processio activa; sed intelligitur de viâ, qua passivè egreditur terminus à principio; & hęc in Filio est passiva processio.

SECTIO III.

An divinæ processiones sint formaliter per intellectum, & per voluntatem; & per quos actus?

27 Quoad 1. quęstionis partem docuit Durandus in 1. dist. 6. q. 2. processiones divinas non esse per intellectum, & voluntatem, sed per naturam. Hoc est:

est: seclusis à Deo (sive præscisivè per negationem nostram, sive negativè per hypothesim impossibilem) intellectu, & voluntate, omnibusque utriusque potentiæ actibus, adhuc in divinis esset generatio Filij, & spiratio Spiritùs S. Ratio: quia hę sunt in Deo ex fœcunditate naturę radicaliter, quam fœcunditatem habet ex suà infinitate, & non ex eo, quòd sit intelligens, & volens. Rem exemplo declarat: da ignem esse intellectivum, & volitivum: produceret calorem, non quidem quia intelligeret, aut quia vellet, sed ex fœcunditate suę naturę. Sic similiter discurrendum est circa divinas processiones. Durandi sententiam communiter Theologi censuris gravibus notant, quarum mitissima est, quam illi affigit Eximius hìc l. 1. c. 5. dicens esse temerariam, & errori proximam.

28 Multa posuit Durandus inter explicandam suam sententiam, quę aut non sunt falsa, aut non merentur censuram. At omnino rejiciendus est, quia docuit processionem Filij nihil intrinsecè habere de lineà intellectùs, & processionem Spiritùs S. nihil intrinsecè habere de lineà voluntatis. Explicat autem Scripturam, & Patres per quamdam analogiam cum cognitione, & amore creatis: nam prior est cognitio, & posterior amor; & sic à cognitione incipit, & in amore terminatur ema-

emanatio intra naturam intellectualem. Cum itaque in divinis productio Filij sit 1. emanatio, & productio Spiritus S. sit 2; inde est, inquit Durandus, quòd Filius procedit ad instar intellectionis, & Spiritus S. ad instar amoris, hoc præcisè sensu, qui desumitur ex ordine productionum. Hic doctrinæ articulus falsus est, & à censurâ non immunis.

29 Assertum nostrum. Processiones divinæ sunt formaliter per intellectum, & voluntatem. Est dogma theologicum. Constat ex Scripturâ, in qua frequentissimè appellatur Filius *Verbum*, *Sapientia Patris*, & *prodiens ex ore*, hoc est, ex intellectu, *altissimi*; Spiritus autem Sanctus appellatur *Charitas*, *amor*, & *Dei dilectio*. Scripturam autem circa has notas utriusque Personæ procedentis explicant in sensu proprio, & stricto Patres tùm Græci, tùm Latini apud Montoyam d. 2. s.; iste autem sensus proprius, & strictus non stat, quin divinæ processiones sint formaliter per intellectum, & per voluntatem: ergo. Audi Basilium homil. 17. post medium, illud explicantem, *In principio erat Verbum*: *Cur*, inquit, *Verbum*? Respondet: *ut, quod ex mente procedit, ostendatur*. En processionem Verbi per intellectum. Audi Augustinum 6. de Trinit. c. 5. dicentem *Spiritum S. esse, quo genitus à generante diligitur, genitoremque suum* dili-

git.

git. Ecce proprietatem S. Spiritùs, quæ postulat voluntatem ad ipsius processionem.

30 Tolerari non potest responsio Durandi, hęc de Spiritu S. & de Verbo dici, non secundùm proprietatem, sed secundùm accommodationem; ac proinde Verbum esse propriè aliquid essentiale, sed ex accommodatione trahi ad personale, ut *Sapientia*; ac per consequens Personam Filij non esse propriè *Verbum*. Similiter discurrit de Personâ Spiritùs S. secundùm proprietatem, & processionem; & negat Spiritum S. esse propriè *dilectionem*.

31 Contrà est: nam hæc responsio detorquet Scripturam sine necessitate, & fundamento convincente à sensu proprio ad metaphoricum; quod non toleratur apud Theologos. Præterea: est expressè contra explicationem Patrum asserentium Filium esse verè Verbum. Athanasius frequentissimè, sed præsertim orat. 2. contra Arianos: *Verbum verum, & unicum Dei*, nempe est Filius. Basilius lib. 3. contra Eunom. prope medium: *ex Deo natum est Verbum: non humanum; est autem Verbum verè*. Occurrit Durandus: similiter dicitur in Scripturâ, & à Patribus Filium esse Dei virtutem, æternam Patris potentiam, essentiam de essentiâ. Hinc non probatur, quòd procedat per essentiam, per Omnipotentiam,

aut

aut per aliud absolutum attributum verà, & propriè processione: ergo similiter neque infertur, quòd verè, & propriè procedat per intellectum ex eo, quòd dicatur esse Verbum, & Sapientiam. Pariter discurrendum est de Spiritu S. & ejus processione. Rejicitur: nam Patres hoc ipsum, quod est Filium esse *Verbum*, per hoc explicant, quòd procedit per intellectum: ut constat ex illo Basilij nuper adducto *cur Verbum? Ut ostendatur, quòd ex mente procedit.* Numquam autem dixerunt Filium esse omnipotentem, quia per Omnipotentiam procedit. Propositio illa Patrum, qua Filius dicitur *essentia de essentiâ*, eo sensu accipitur, quo illud Nicæni, quo Filium confitemur *Deum de Deo*; illam autem propositionem *est essentia de essentiâ* non esse absolutè usurpandam notat Granado tract. 2. d. 2. n. 6. Cur non addam contra Durandi responsionem? Filius tàm verè, & propriè est Verbum, quàm verè, & propriè est omnipotens; sed si est verè, & propriè Verbum, verè, & propriè procedit per intellectum; ut negare non potest: & ideo vult Filium per accommodationem solùm, & adaptationem dici *Verbum*: ergo &c.

32 Potissimum, cui nititur Durandus, argumentum istud est: si processiones divinæ sunt per intellectum, & voluntatem: ergo in-

tel-

tellectio, & volitio sunt vel principium productionum, vel sunt ipsæ productiones. Non potest dici 1: quia intellectio, & volitio sunt actus immanentes; actus autem immanentes apti non sunt, ut ex ipsis aliquid ulterius oriatur, ut docet Aristoteles. Non 2: quia productiones sunt actus notionales; intelligere autem, & velle non sunt actus notionales, sed essentiales.

33 Non bene retorquebis argumentum contra Durandum: docuit naturam divinam esse radicaliter principium productionum; formale autem principium, & immediatum esse proprietates Personarum producentium, & in ijsdem proprietatibus consistere productiones ipsas actuales. Qui principium *quo* productivum ad intra, correspondentemque illi productionem constituunt in absoluto connotante relativum, aut in conflato ex relativo, & eque ex absoluto, multa excogitarunt, quibus solvitur factum argumentum. Qui verò utrumque, nempe principium *quo*, & productionem constituunt adæquatè in relativo, facilè ab hac difficultate se expediunt; quorum sententiæ adhæreo, illamque postea probabo.

34 Ad argum. nego sequelam ex hypothesi subillatam. Intellectio, & volitio non constituunt principium *quo* productivum, ne-

que productionem, sed sunt conditiones per se requisitę, & quidem essentialiter ad utramque processionem. Ratio: quia Verbum ex suâ intrinsecâ proprietate petit essentialiter, quòd principium *quod* producens sit intellectivum, & intelligat: ex suâ enim intrinseca proprietate est expressio, & imago, in qua apparent omnia, quæ Pater intelligit. Similiter de proprietate Spiritus S. quæ intrinsece petit, quòd ejus principium sit volitivum, & amet. Qui principium productivum *quo*, & productiones aliquid absolutum includere dicunt, concedent, quòd intellectio, & volitio se habeant ex parte principij. Ad id, quod contrà objicitur, negare possunt, quòd in creatis nihil oriatur ex actibus immanentibus; relinquunt enim species, & generant habitus: & insuper probabilissimè dicitur, quòd cognitio physicè influat in amorem, & actus voluntatis imperans in actum imperatum. Addent, quidquid sit de hoc, non esse consequentiam ab actibus immanentibus creatis (de quibus Aristoteles) ad divinos: nam juxta Durandum natura intellectualis creata nullum effectum substantialem habet ad intra; habet autem divina natura, quæ est principium radicale, terminum substantialem productum: ergo sicut in hoc non est paritas, sic neque est quoad actus immanentes. Iidem

Doc-

Doctores admittent intellectionem, & volitionem esse productiones; & ad id, quod opponitur, respondebunt productiones esse actus notionales, connotato, aut incluso relativo; hoc autem non connotato, aut non incluso, intelligere, & velle esse actus essentiales. Ut alia argumenta Durandi præoccupentur,

35 Notentur ista. 1: natura creata per se ipsam, & immediatè producit effectum; & tamen quamvis divina natura per se ipsam (in sensu formali) non producat, non est minùs fœcunda, quàm creata: tùm quia non eget aliquo distincto, ut producat; tùm quia à nullo contrario impediri potest; tùm etiam quia producit terminum infinitæ perfectionis. Adde, quòd juxta Durandum natura divina solùm radicaliter producit: unde retorquetur argumentum. 2: ad intellectum non solùm pertinet actus, quo intelligit, & hujus productio, sed etiam loqui mentaliter; & quoniam Verbum divinum est Patris loquutio mentalis, inde est, quòd ad productionem Verbi requiratur intellectio ex parte Patris, ut ex mente procedat. 3: natura divina est pro priori ad intellectionem, & volitionem; & in illo signo habet infinitam fœcunditatem. Hinc unicè infertur, quod concedimus Durando, nempe esse radicaliter fœcundam, non verò formaliter: illa radicalis fœcunditas, non

autem hæc formalis, est intraessentialis naturæ divinæ. 4. processio Filij, quamvis non sit formaliter per naturam, est generatio, quia est *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ à principio conjuncto*, ut suo loco explicabitur. Dixere Hilarius, Augustinus, alijque Patres *Verbum esse Filium naturæ*, & *Patrem naturâ producere Filium*. Sed sensus est, quòd Verbum est Filius naturalis, non adoptivus. Quid, quòd apud aliquos Theologos distinguitur natura ab essentiâ Dei, & ponunt naturam præcisè in intellectu, & voluntate? Hinc quòd processiones divinæ sint per naturam, & naturę, firmaret, quòd sunt per intellectum, & voluntatem. Vide d.1.c.2.n.1.

36 Quoad 2. quæstionis partem docuit Scotus in 1.dist. 2. q. 7. §. *Objicitur* processiones divinas esse per intellectum, & voluntatem, non autem per intellectionem, & volitionem. Distinxit duos actus correspondentes potentię intellectivę divinæ in actu 1, quæ à D.Augustino, & ab alijs communiter appellatur *memoria fœcunda Patris*. Alius actus est *intelligere*, & alius *dicere*: & ex his actibus neuter habet alterum aut pro principio, aut pro conditione per se requisità ex parte principij. Itaque processio Verbi non est per actum, qui sit *intelligere*, sed per actum, qui est *dicere*. Similiter discurrit de processione Spi-

ri-

ritùs S. quæ est per voluntatem, non quidem per actum, qui est *amor*, sed per actum, qui est *spiratio*. Non agnoscit Subtilis aliam prioritatem intellectionis, & amoris ad actus dicendi, & spirandi, nisi qua essentialia præsupponuntur ad notionalia.

37 Assertum nostrum. Processiones divinæ sunt formaliter per intellectionem, & volitionem. Est communis Theologorum sententia. Probatur ex Patribus unanimiter docentibus Patrem *cognoscendo* producere Verbum; & Patrem, & Filium *amando* producere Spiritum S. Hic autem loquendi modus apertè indicat, quòd ejusmodi actus cognoscendi, & volendi requiruntur per se ad divinas processiones, & quòd sit ordo inter *cognoscere*, & producere Verbum, & inter *amare*, & producere Spiritum S. Quòd autem talis detur ordo ejusmodi actuum ad producere, & quòd per se requirantur ad processiones, est, quòd istę sint formaliter per intellectionem, & volitionem: ergo.

38 Urgetur. Patres non solùm dicunt processiones divinas esse per intellectum, & voluntatem, sed & per intellectionem, & per volitionem; sed prępositio *per* denotat, quòd ij actus sint (sin minùs principium *quo* producendi, aut productiones ipsę) conditio per se requisita præcedens ex parte principij ad di-

vinas processiones: ergo. Min. constat ex terminis; pro maj. sufficiat Athanasius Orat. contra Gregales Sabellij, *ex Sapienti utique ut Sapienti Sapientia ista ortum trahit* : ergo ex Patre ut sapiente, ac proinde ut actu intelligente procedit Verbum: ergo. Alios vide Patres apud Zuñigam, & apud Herreram hìc q. 4. n. 35.

39 A ratione prob. assertum. Processio Verbi est locutio, qua Pater ad Filium loquitur: & hoc Scotus concedit; sed locutio dicit, quòd sit per intellectionem: quis enim loquatur, quod nescit; aut quo sit modo locutio, quin sit ex ratione dirigente? ergo processio Verbi est formaliter per actus rationis, sapientiæ, & intelligentiæ. Explicatur à pari. Locutio, qua Deus nobis loquitur, est per intellectionem, loquitur enim nobis ut agens rationale: & ideo non sufficit, quòd ejus testimonium habeat à Deitate connexionem physicam cum veritate; sed authoritas divina consistit in sapientiâ, & veracitate: ergo similiter locutio, qua Pater ad Filium loquitur, est per intellectionem. Iterum à paritate: verbum nostrum vocale procedit ex cognitione: ergo Verbum divinum procedit ex cognitione Patris. Hoc exemplo utuntur Patres, ut explicent divini Verbi productionem; & eleganter Basilius homil. 60. *Cur Verbum? Quia*

niam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, quemadmodum ferè verbum nostrum, quod totius nostræ cogitationis imaginem refert: quæ enim secundùm cor novimus, hæc verbo proferimus, &c.

40 Objicitur 1. Si processio Verbi esset per intellectionem, omnes divinæ Personæ producerent Verbum; & similiter de processione Spiritùs S. si hæc esset per amorem: ergo Verbi processio est per dictionem, seu locutionem distinctam ex naturâ rei, aut virtualiter realiter ab intellectione. Ant. ex eo prob. quòd omnes divinæ Personę intelligunt. 2. Dictio est Verbi productio; sed intellectio non est Verbi productio: activa enim distinguitur à termino, passiva autem distinguitur à principio; & intellectio neque à principio, neque à termino distinguitur: ergo intellectio non est dictio, qua Verbum producitur. 3. Intellectus non solùm intelligit, sed & loquitur: ergo non solùm intellectio, sed etiam dictio est actus intellectùs; sed ideo intellectio esset processio Verbi, quia sola intellectio esset actus intellectùs: ergo.

41 Ad 1. Scotus in solo absoluto constituit principium *quo* productivum ad intra; & ratio, quæ apud ipsum detur, ut non producant omnes Personę, dabitur, ut solus Pater producat Verbum, quamvis processio in

solâ intellectione communi consistat. Quid nobis respondendum sit, quid alij respondere possint, diximus n. 34. Ad 2. Intellectio non est Verbi productio; attamen se tenet intellectio in priori ad productionem, & est conditio per se formaliter requisita ex parte principij ad productionem Verbi. Ad 3. Fugienda est quæstio de voce. Ex Patribus requiritur ad processionem Verbi actus intellectûs, qui sit sapientia: unde etiam si dictio sit actus intellectûs, requiritur insuper intellectio. Mihi placet dictionem mentalem, qua quis alteri loquatur, esse actum intellectûs: est enim expressiva mentaliter tùm rerum intellectarum, tùm ipsius intellectionis. Dictio non est actus intellectûs, qua sibi cognoscitivus est; neque præcisè est actus intellectûs, qua præcisè, & utcumque potentia activa est, sed quatenus potentia intellectiva est activa expressionis formalis terminativæ. Hoc convenit dictioni, qua Verbum divinum à Patre loquente ad ipsum producitur.

SECTIO IV.

Doctrinæ datę elucidatio per notationes.

42 Notatio 1. Non arguitur ex discrimine divinarum processionum, quod intellectus divinus à voluntate, & intellectio à volitione realiter virtualiter distinguantur. Ratio: quia ea distinctio admittenda non est, ubi

ubi non cogit Fides, aut urgens ratio; nec ratio, nec Fides urget pro distinctione virtuali reali inter intellectum, & voluntatem, interque intellectionem, & volitionem: ergo. Accedit: est urgens argumentum ad negandum ejusmodi distinctionem; certum enim apud omnes est, quòd, communicatà Verbo formaliter ex vi suę processionis intellectione, ipsi communicetur volitio materialiter, & identicè. Hoc non esset certum, si inter intellectionem, & volitionem esset virtualis distinctio; neque enim ejusmodi communicatio probari posset ex identitate reali. Constat: nam propter distinctionem virtualem stat, quod communicetur natura, & non communicetur Relatio cum ipsà realiter identificata: ergo non esset certum &c.

43 Opponis propositiones illas, quas ex Patribus, & Concilijs innegabiles esse supponitur: *Verbum procedit per intellectum, & non per voluntatem*: et *Spiritus S. procedit per voluntatem, & non per intellectum*: ergo de ijs divinis potentijs, subindeque de illarum actibus verificantur prædicata contradictoria ex se: quod stare non potest, nisi intercedente distinctione virtuali. Solvitur. Attento absoluto, quod se habet ex parte principiorũ, eæ propositiones sunt veræ in sensu formali: ad modum, quo Sol illuminat, & calefacit, & in sensu

sensu formali, non in reali, vera est hæc adversativa, *calefactio est à virtute calefactivâ Solis, non à virtute illuminativâ.* At in processionibus divinis, attento relativo, quod se habet ex parte terminorum, adductæ propositiones sunt veræ in sensu reali; hoc est, Verbum, quod ex suâ proprietate est expressio locutiva, & non spiratio, sive affectio, pertinet ad lineam intellectùs, & non ad lineam voluntatis. Vice versâ Spiritus S. qui ex suâ proprietate est spiratio, sive affectio, & non expressio locutiva, pertinet ad lineam voluntatis, & non ad lineam intellectùs.

44 Solutio firmatur; nam apud Patres, & Concilia propositio hæc invenitur, *Pater voluntate generat.* Cyrill. Alex. lib. 1. Thesauri c. 8. *solus Filius Sapientia Patris est, ipse quoque voluntas ejus; in sapientiâ enim Dei velle ipsius est.* Augustin. lib. 15. de Trinit. c. 20: *Filius dicitur consilium de consilio, & voluntas de voluntate.* Ex quibus Toletan. 15. in Confes. Fidei dixit: *voluntas genuit voluntatem, Filius est voluntas ex voluntate.* Quo concordentur modo hęc dicta cum dogmaticis ijs propositionibus, quæ objiciuntur? Modo, quem nuper dedimus. Igitur in sensu reali Verbum procedit ex voluntate, ex intellectu, & ex totâ plenitudine essentiæ divinæ; in sensu formali ex intellectu, & non ex voluntate; &

attenti

attentà processione ex parte termini, procedit realiter ut quid pertinens ad lineam intellectùs, & non ad lineam voluntatis. Discurre similiter de processione Spiritùs S. Utere exemplo Solis illuminantis, & calefacientis, & proportionem invenies ad divinas processiones. Est enim Filius *lumen de lumine*, & Spiritus S. *ignis vivus*, & *charitas*. Vide Gasparem Rivadeneira de Volunt. d. 4. & 5.

45 Notatio 2. Divinæ processiones non consistunt in intellectione, & amore notionalibus distinctis realiter virtualiter ab essentialibus. Notionale in divinis est, quod non convenit tribus Personis, sed unius, vel duarum est proprium: ut generare, quod est proprium Patris, & spirare, quod proprium est Patris, & Filij. Prob. doctrina: nam *intelligere in divinis solùm essentialiter dicitur*, inquit Angelicus q. 37. a. 1; additque q. 34. a. 2. ad 4: *eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit esse Deum*; atqui non convenit esse Deum per Deitatem notionalem distinctam virtualiter ab essentiali: ergo nec convenit Filio esse intelligentem per intellectionem notionalem distinctam virtualiter ab essentiali. Accedit ratio: intellectio essentialis est simpliciter infinita in ratione intellectionis: ergo per illam Pater cognoscit quidquid cognoscibile est, & omni modo, quo cognoscibile est sine imperfec-

fectione cognoscentis: ergo superfluit, atque adeo impossibilis est intellectio notionalis. Præoccupatur solutio: Pater vel cognoscit per istam intellectionem notionalem, vel non? Si hoc: ergo ista intellectio notionalis non est intellectio, sed mera productio. Si illud: vel cognoscit id ipsum, quod cognoscebatur per intellectionem absolutam, vel aliud? Si 1: ergo cognitio notionalis est superflua, proindeque impossibilis. Si 2: ergo aliquid latebat cognitionem absolutam, ac per consequens hæc non est simpliciter infinitè perfecta. Evincitur non dari intellectionem notionalem ex parte Patris, neque ex parte Filij, neque ex parte utriusque. Iisdem argumentis excluditur volitio notionalis, in qua consistat processio Spiritùs S. Exclusis autem intellectione, & volitione notionali, pariter excluduntur intellectus, & voluntas notionales.

46 Dices. Apud Concilia, & Patres Filius acclamatur *Sapientia genita*: ergo tàm processio activa ex parte Patris, quàm passiva ex parte Filij consistunt in intellectione notionali. Resp. ex Augustino 15. de Trinit. c. 6: *sic Filius est Sapientia de sapientiâ, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo*; sed non est lumen de lumine, nec Deus de Deo per lumen, & Deitatem notionales: ergo nec per sapientiam notionalem est Sapientia de sa-

sapientiâ. Est Sapientia genita, quia ex ejus Notione formaliter petit sapientiam ex parte principij. Docuit aliquando Augustinus Verbum esse Sapientiam genitam, qua divinæ Personæ sapientes sunt. Sed hoc retractavit 1.Retract.c.26.

47 Instas. At, quòd præter intellectionem communem detur alia notionalis, qua solus Pater intelligat, & qua Verbum producat, non est contra Augustinum. Addis 1: Patres dicunt, quòd, si Deus Verbo careret, non intelligeret: ergo saltem datur intellectio notionalis indistincta à Verbo. 2: verbum mentis est notitia producta; sed notitia producta est intellectio: ergo.

48 Ad instantiam: quoniam Augustinus docet Verbum esse Sapientiam, quemadmodum est de lumine, & de Deo, & in hoc excluditur intellectio notionalis ex parte Verbi; sic Pater est Sapientia, quemadmodum est lumen, & Deus; & per hoc excluditur, quòd detur intellectio notionalis ex parte Patris: ergo contra Augustinum est intellectio notionalis; dato, quòd hoc non probetur ex retractatione illius prioris sententiæ de *Sapientiâ genitâ*, qua omnes divinæ Personæ denominentur sapientes. Ad 1.addit. Patres dicunt Verbum esse ex fœcunditate intellectionis: unde rectè arguunt Deum non fore intel-

li-

ligentem, si careret Verbo; quia nempe non esset intellectio digna Deo, quoniam non esset fœcunda. Ad 2. Verbum constituens intellectionem, aut complens formam intelligendi, quale est verbum nostræ mentis, est notitia, & intellectio producta. Verbum divinum neque constituit, neque complet intellectionem: unde non est notitia, & intellectio producta. Alio modo: verbum nostrę mentis est verbum *quo*, non *in quo*; Verbum divinum est Verbum *in quo*, non autem *quo* Deus cognoscit. Lege Suarium hìc lib. 1. c. 7.

49 Notatio 3. Divinæ processiones non consistunt in intellectione, & volitione essentialibus. Prob: quia intelligere, & velle essentialiter est quid commune omnibus Personis; producere autem per intellectum est proprium solius Patris; producere autem per voluntatem est proprium Patris, & Filij: similiter produci per intellectum est proprium solius Filij; & produci per voluntatem est proprium solius Spiritus S: ergo processiones divinæ tàm activè, quàm passivè, atque etiam complexè sumptę non consistunt in intellectione, & volitione essentialibus. Si dicas rectè probari, quòd in ijs actibus non consistant adæquatè, non autem quòd inadæquatè non consistant: contrà est sequens

50 Notatio 4. Processiones divinæ con-

consistunt adæquatè in ipsis proprietatibus relativis. Ratio: quia *generare Patris Notio est* inquit D. Cyril. 1. Thes. c. 5; sed *actus notionales solùm differunt à Relationibus secundùm modum significandi*: ergo generare, & generari, spirare, & spirari cõsistunt in Relationibus, quamvis ab ijs differant penes significandi modum. Minor est Angelici q. 31. a. 7: ibique approbat hanc propositionem Magistri, *generatio, & nativitas alijs nominibus dicuntur Paternitas, & Filiatio.* Itaque *dicere, & spirare* sunt actus notionales: dicere enim est intelligendo producere Verbum; non quia intellectio ipsa sit productio, sed quia ipsa productio supponit formaliter, & ex proprietate Verbi intellectionem essentialem.

51 Objicis. Angelicus 1. p. q. 27. a. 5. corp. docet processiones divinas non accipi nisi secundùm actiones; ejusmodi autem actiones, scilicet immanentes, in naturâ divinâ non esse nisi duas, nempe *intelligere*, & *velle*: ergo processiones divinæ involvunt aliquid absolutum. Confirm: nam pondus sacræ authoritatis tùm Scripturæ, tùm Conciliorum, & Patrum postulat, ut processio Verbi dicat quidditativè, & formaliter intellectionem, & similiter volitionem processio Spiritùs S. Convincens est illud Fulgentij lib. 3. ad Mo-
nim. c. 7: *sic est Verbum apud Deum, sicut est in*
men-

mente verbum ; cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet. Istud etiam Anselmi in Monolog. c. 34: *idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere.* Demum hoc Angelici hìc q. 34. a. 1. ad 2: *dicere Deo est, cogitando intueri, in quantum intuitu cogitationis divinæ concipitur Verbum*: ergo &c.

52 Præoccupata est objectio per testimonia Angelici pro nostrà doctrinà : neque enim actus notionales alio modo differunt à Relationibus nisi secundùm diversum modũ significandi ; & generatio, & nativitas alijs nominibus dicuntur Paternitas, & Filiatio. Adde hoc ejusdem Angelici perspicuum pro nostrà doctrinà testimonium ex quæst. 41. a. 1. docet ibi actionem personalem in divinis non esse motum, sed habitudinem principij ad Personam productam ; *quæ quidem habitudines*, inquit, *sunt ipsæ Relationes, aut Notiones.* Ad confirm. repetenda est doctrina sæpe inculcata: sacræ authoritates solùm convincunt requiri per se ex parte Patris cogitationem, intelligentiam, atque intuitum ; idque ex characteristicà proprietate Verbi. Adde, quod adducta testimonia magis faciunt pro sententiâ ponente adæquatè processiones divinas in absoluto, quàm pro illas ponente partim in absoluto, partim in relativo ; ut perpendenti constabit.

In

53 Instas acriter. Sequitur, quòd Patres semper, & ubique explicuerint divinas processiones per conditiones requisitas, & non per earum essentias; hoc de Patribus asserere æquum non est: ergo. Urgetur: pari jure dicendum erit, quòd processiones divinę sunt per naturam, perque alias divinas perfectiones distinctas ab intellectu, & voluntate; natura enim est conditio per se requisita ad processiones. Consequens est absonum à doctrinà Patrum: ergo &c.

54 Ad inst. neg. sequelam: nam etsi Patres frequentissimè explicent divinas processiones per actus intelligendi, & volendi, qui sunt cōditiones essentialiter requisitę ad processiones; nihilominus non rarò, neque obscurè explicuerunt illarum essentiam, illamque in proprietatibus Personarum posuere. Dedimus n. 12. verba D. Fulgentij: *generatio Patris, & nativitas Filij est proprietas in unoquoque Personæ.* Dedimus nuper verba D. Cyrilli: *generare, Patris Notio est.* Certè ex Patribus didicere Magister, Angelicus, & Bessarion adductus cit. n. 12: & ex his didicimus processiones in Relationibus adæquatè consistere. Urgentia cadit ex ijs, quæ dedimus n. 43. & 44. In sensu reali, attentis absolutis, quæ se habent ex parte principij, Verbum procedit per intellectum, per voluntatem, per

naturam, & ex omni plenitudine naturę; in sensu autem formali solùm procedit per intellectum; attentà verò processione ex parte termini, est realiter quid pertinens ad lineam intellectùs, & non ad aliam. Vide Herferam hìc q.4.s.4.

55 Notatio 5. Filius divinus ideo est Verbum, quia ratione suæ proprietatis personalis est imago intentionalis producta, *in qua* appàrent omnia cognoscibilia intentionaliter expressa, & quasi depicta. Prob. ex illo Sap.7. ubi Verbum dicitur *speculum sine maculà majestatis Dei*; & ex illo ad Hębr.1. *splendor glorię Dei, & figura substantiæ illius.* Igitur in Verbo appàret Pater ita, ut qui videt Verbum, videat & Patrem; similiter appàret Spiritus S, appàrentque omnia cognoscibilia, quorum Deus est omnipotens, & sapientissimus artifex: ut ex Augustino explicat Angelicus hìc q.27.a.1. ad 3. Non itaque Verbum est forma, qua Pater intelligit; sicut effigies non est forma, qua videt objectum, qui illam contemplatur. Nec ideo præcisè Verbum est tale, quia propter connexionem est medium *quod* ad cognoscendum alia; nam id etiam convenit Patri, & Spiritui S, quibus non convenit esse Verbum. Concluditur esse Verbum, quia ratione suæ proprietatis personalis est specialis similitudo expressa, & quasi depicta

ab

ab intellectu divino intelligente: in qua tanquam in imagine apparent omnia; ita ut verum sit, quod qui videt Verbum, videat Patrem, Spiritum S, & omnia.

56 Opponis. Filius ideo est Verbum, quia est intellectio producta: ergo in esse Verbi includit intellectionem: ergo non est verbum ratione solius proprietatis personalis. Iterum: Verbum divinum concipiendum est, semotis imperfectionibus, ad instar verbi nostri mentalis; sed nostrum verbum mentale non est *in quo* cognoscimus, sed *quo* cognoscimus: ergo.

57 Nego ant: rejecta enim manet intellectio notionalis; intellectio autem essentialis communicatur Spiritui S. per ipsius productionem: & tamen Spiritus S. non est Verbum. Dices: Spiritui S. solùm materialiter, non formaliter, & primariò communicatur intellectio, neque enim ejus processio est per intellectum. Transeat hoc; sed quæro: quid est in proprietate Verbi, ratione cujus ejus processio debeat esse per intellectum, & ipsi debeat communicari formaliter, & primariò intellectio? Illud nihil est aliud, nisi quòd est imago intentionalis, *in qua* omnia apparent: in hac igitur proprietate conceptus Verbi consistit. Adverte: non nego, quod Verbum sit intellectio producta; sicut dicitur

sapientia genita : sed nego, quòd ratio Verbi in eo consistat, quòd sit intellectio producta, & sapientia genita. Ad alteram object. dic: imò concipiendum est Verbum divinum ad instar nostri verbi vocalis ; ut ex Basilio dictum est n. 39. Conc. maj. quoad aliqua, & quoad productionem per intellectum , & conc. min, nego cons. Mens creata producit verbum ex indigentiâ intelligendi; ac proinde pro priori ad verbum non intelligit. Mens divina non ex indigentiâ intelligendi, sed quia summè intelligit , producit Verbum ex fœcunditate; & Pater est sua sapientia, non autem suum Verbum. Constat disparitas inter Verbum divinum, & verbum nostrum mentale. Vide plura circa doctrinam notationis apud eruditiſ.Petavium hìc lib.6. c.2.

58 Notatio 6.Spiritus S.secundùm suam proprietatem personalem est amor , non quo Deus amat formaliter , sed qui est terminus, & fructus amoris, quo Pater, & Filius se mutuò diligunt. Explicatione prob; *amor meus pondus meum* ; *illo feror* , *quocumque feror*. Ex ex Augustino amor aut includit , aut inseparabiliter conjunctum habet pondus amatorium. Nos producimus hoc pondus , *ut amemus* ; Deus istud pondus producit, *quia amat*. Hoc itaque pondus amatorium est amor per modum termini, & est amoris fructus ; voca-

tur

turque à D. Augustino *ineffabilis quedam Patris, Filij que communio.* Consonat Bernardus serm.3.in Pentecost. dicens *Spiritum S. procedere tanquam firmissimum vinculum Trinitatis*; hoc est, illo pondere amatorio Pater, & Filius tendunt, ut nexum, vinculum, communionem, & unionem habeant in Spiritu S, & cum ipso Spiritu S.

59 Lucem hinc accipit propositio ista satis clara ex Patribus, & de qua magna dissensio est inter Theologos, *Pater,& Filius diligunt se, & creaturas Spiritu S*: si addatur hęc explicatio, *dilectione, quæ est Spiritus S.* nulla est difficultas; sed eodem modo dicetur diligere se, & alia à se dilectione, quæ est Pater, & quæ Filius est. Aliquid aliud eà propositione innuitur, nempe quòd Pater, & Filius se, & alia diligunt Spiritu S. tanquam termino, & pondere amoris: hoc est, Pater, & Filius dilectione producunt Spiritum S.cum unione quadam producentium in ipso; ut bene notat Suarius lib.11.c.3.n.10. Addo: Pater,& Verbum amant se,& omnia in Spiritu S.tanquam in termino amoris: ut quemadmodum Verbum ex suà proprietate est imago, in qua omnia cognoscibilia cognoscuntur, ita Spiritus S.ex suà proprietate est pondus amoris,in quo omnia amabilia amantur.

60 Dices. Ideo Spiritus S. est amor,

dilectio, & charitas, quia ex suâ proprietate procedit per voluntatem, & ex vi suæ processionis ipsi communicatur amor: ergo frustrà recurritur ad hoc, quòd sit pondus amatorium, &c. Solvitur hęc objectio ex dictis ad similem circa proprietatem Verbi n. 57. Malè probatur Verbi proprietas ex hoc, quòd per intellectum, & per intellectionem procedat: procedunt enim ab intellectu, & intellectione species, & habitus, & his terminis ratio verbi mentalis non convenit. Malè similiter probatur Spiritùs S. proprietas ex eo, quòd per voluntatem, & ex amore procedat; & quæritur, cur per voluntatem procedat, ipsique communicetur formaliter, & primariò amor? Dicimus: quia Spiritus S. ex suâ proprietate est pondus amatorium modo explicato. Nota: sicut ex parte principij requiritur ad productionem Verbi actus intellectùs, qui sit sapientia; sic ad productionem Spiritùs S. requiritur actus voluntatis, qui sit formalis amor. Iterum: sicut admisimus dictionem esse actum intellectùs, ut dictum est n. 41, sic admittimus Spirationem activam esse actum voluntatis, quatenus ad voluntatem pertinet non solùm amare, sed & producere pondus amatorium. Consulatur Herrera citatà q. 4. à n. 115.

SEC-

SECTIO V.

Ex quorum objectorum cognitione Verbum divinum, & ex quorum amore Spiritus S. procedat?

61 MAgna hæc est difficultas: in qua loquimur de cognitione, ex qua per se procedit Verbum, sive quæ ex parte principij requiritur ad ejus processionem. Scientia divina est de ijs, quæ formaliter sunt in Deo; est de objectis ad extra, tùm necessariò cognitis, ut sunt creaturæ possibiles, tùm cognitis contingenter, ut sunt creaturæ existentes, sive absolutè, sive conditionatè. Quæritur, an Verbum ex tota Dei scientiâ per se procedat, an solùm per se procedat ex aliquâ determinatâ, ita ut aliqua alia determinata concomitanter, & merè identicè se habeat? Sic si procedat per se solùm ex scientiâ absolutorum, cognitio personalitatum concomitanter, & merè identicè se habebit; quatenus ista sit vera propositio, Verbum procedit per se ex scientiâ absolutorum, quæ est realiter scientia personalitatum. Eodem doctrinæ tenore discurrendum est de amore, ex quo Spiritus S. procedit; & si aliquid speciale occurrat, ut aliquod sit differens, id opportunè notabitur.

62 Conclusio 1. Verbum divinum pro-

cedit per se formaliter ex cognitione divinæ essentię, & divinarum Personarum; & Spiritus S. ex simili amore. Est communis Thomistarum, & Jesuitarum cum Angelico hìc q.34. a.3. & cum Eximio lib.9. c.4. & 5. Dissentiunt Scotistæ docentes Verbum non procedere ex cognitione Personarum, sed ex cognitione solius essentiæ; & ipsorum aliqui dicunt procedere ex cognitione essentiæ prout ex naturà rei distinctę ab attributis: alij autem, procedere ex essentię cognitione, prout essentia complectitur omnia absoluta. Dissentiunt Puteanus, & pauci alij docentes procedere ex cognitione essentiæ, & solius Personæ Patris, ut testatur Illustris. Godoy, & Arrùbal disp.124.c.3. Dissentiunt denique Turrianus, Alarcòn, & non pauci docentes Verbum procedere ex cognitione essentiæ, Patris, & Verbi, non autem Spiritùs S; quam sententiam tenet Acutis. Vazquez hìc disp.142.c.4.

63 Prob.conclusio. Verbum per se procedit ex cognitione comprehensivà divinæ essentiæ; aliter non procederet ex cognitione perfectissimà. Sed cognitio comprehensiva divinæ essentię est cognitio essentiæ, prout complectitur omnia absoluta necessaria; & insuper est cognitio divinarum Personarum: ergo Verbum per se procedit ex cognitione divinę essentiæ prout complectentis omnia ab-

absoluta necessaria, & ex cognitione divinarum Personarum. Constat maj. ex terminis, & ex prob. adjunctà; & potest urgeri sic: Verbum ex cognitione procedit: ergo Verbum infinitum, & perfectissimum, ut est Verbum divinum, procedere debet ex perfectissimà, & infinità cognitione. Min. quoad 1. partem constat; neque enim est comprehensio objecti, si non cognoscuntur omnia, quę realiter, & virtualiter sunt ipsum objectum; ut realiter, & virtualiter sunt idem essentia, & omnia absoluta necessaria. Quoad 2. partem prob. eadem min: nam Personæ divinę, seu divinæ personalitates sunt aliquid Dei: sunt enim subsistentiæ divinæ essentiæ, & hujus substantiale complementum; atqui comprehensio debet attingere quidquid est objecti: aliter aliquid objecti erit extra cognitionem, & hęc non erit adæquata; hoc autem comprehensivę cognitioni repugnat: ergo. Conf: cognitio divina est infinita prout terminata ad Personas, sicut est infinita prout terminata ad essentiam. Sed ex infinitate cognitionis prout terminatæ ad essentiam debet procedere Verbum: ergo. Maj. probata est hac disp. c. 2. s. 4.

64 Conclusio 2. Verbum divinum per se formaliter procedit ex cognitione creaturarum possibilium; & ex simili amore per se for-

formaliter procedit Spiritus S. Est etiam communis sententia Thomistarum, & Nostratum, cui contradicunt Scotistæ, & non pauci Jesuitæ cum Vazquez nuper cit. Dixi Spiritum S. procedere ex amore simili creaturarum possibilium: in quo suppono Deum amare, & quidem necessariò creaturas possibiles. Quasi Illas nempe, quæ nullà malitià morali afficiuntur; nam peccatum possibile Deus neque amat, nec amare potest, ut docui hoc tract. disp.2.c.1.s.2.

65 Prob. conclusio. Verbum procedit ut ars ex D.Augustino lib.6.de Trinit.cap.10: ergo procedit ut repræsentativum creaturarum possibilium, quę arte factibilia sunt: ergo per se formaliter procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Conf. 1: Verbum procedit ex cognitione comprehensivà divinæ essentiæ; sed hęc cognitio est creaturarum possibilium: istæ enim sunt termini divinę Omnipotentię, ut est virtus productiva, & pariter divinæ essentiæ, ut est communicativa ad extra suæ bonitatis: ergo. 2: Verbum est simpliciter infinitum in ratione expressivi: ergo debet exprimere omnia, quæ indefectibiliter exprimuntur per divinam scientiam; atqui per hanc indefectibiliter exprimuntur possibilia: ergo.

66 Conclusio 3. Verbum non procedit per

per se formaliter ex cognitione creaturarum existentium sive absolutè, sivè conditionatè; & Spiritus S. non procedit per se formaliter ex consimili amore. Ita communissimè Theologi; sed oppositum tenent non pauci, & graves, quos inter Valentia, & Montoya, quibus subscribunt Herrera q. 13. sect. 2, & alij.

67 Prob. conclusio. Verbum per se, & formaliter quasi pendet ab eo, à quo per se, & formaliter procedit; sed non pendet per se formaliter à cognitione creaturarum existentium: ergo Verbum per se, & formaliter non procedit ex cognitione creaturarum existentium. Prob. min: Verbum est infinitè necessarium; sed quod est infinitè necessarium, non pendet per se ab eo, quod est contigens, & defectibile, cognitio autem creaturarum existentium est simpliciter contingens, & defectibilis: ergo. Urg, præoccupando responsionem: nam si distinguas duas partiales rationes Verbi, quarum altera sit Verbum necessariorum, altera sit Verbum contingentium; contrà est: Verbum contingentium aut producitur productione virtualiter distinctà à productione, qua producitur Verbum necessariorum, aut non? Hoc non potest dici: nam in Deo omnia necessaria sunt priora liberis, & contingentibus; productio autem Verbi necessariorum est necessaria: ac proinde

de debet esse pro priori ad productionem Verbi contingentium, quę est ex actibus liberis, & contingentibus. Illud prius rejicitur: nam huic productioni Verbi contingentium ut virtualiter distinctę à productione Verbi necessariorum aliquod esse productum correspondet: implicat enim productio, cui productum non correspondeat; sed illi productioni nullum esse productum correspondere: ergo ea productio implicat. Min. prob: non correspondet Verbum necessariorum; nam jam supponitur productum: non Verbum contingentium; nam hoc esset contingens, & defectibile, ut est evidens. Ex Scripturâ autem, & Patribus non agnoscimus Verbum divinum contingens, sed necessarium, non defectibile, sed indefectibile, non per accidens, & ex suppositione æternum, sed æternum per se, & absolutè: ergo &c.

SECTIO VI.

Argumenta contra primam conclusionem solvuntur.

68 ARg. 1: Verbum per se procedit ex cognitione solius objecti primarij divinæ scientiæ; sed sola essentia, sive in aliquo determinato prædicato, sive in complexo omnium absolutorum consistat, est objectum primarium scientiæ Dei: ergo. Maj. prob: quia cognitio objecti primarij intranſitivè

ad

ad alia objecta est simpliciter infinita, & est comprehensiva intensivè; aliud non requiritur, ut sit cognitio, ex qua Verbum per se procedit: ergo. Prior pars maj. prob: ut aliquod sit simpliciter infinitum in aliquo genere, satis est, quòd omnes perfectiones contineat in tali genere, alias formaliter, alias eminenter; cumque objectum primarium divinæ scientię contineat formaliter perfectiones divinæ essentię, & eminenter contineat Relationes divinas, inde est, quòd cognitio essentiæ sit simpliciter infinita in genere cognitionis. Posterior pars ejusdem maj. prob: nam comprehensio intensiva est cognitio adęquãs totam essentiam, & quidditatem rei; sed talis adæquatio est in cognitione divinæ essentiæ: ergo.

69 Nego maj: procedit enim Verbum per se ex cognitione posibilium creaturarum, quę non sunt objectum primarium divinę scientię. Si ab hac cognitione posibilium pręscindas, distinguam maj: illam conc. de objecto primario realiter sumpto, & ut est in se; & illam neg. de objecto primario formaliter, & præcisivè accepto. Ex dictis in 1. disp. c. 2. constat objectum primarium divinę scientiæ esse Deum Unum, & Trinum; Trinitas est extra essentiam Dei tùm physicè, tùm metaphysicè acceptam; sed tamẽ de Fide est essen-

tiam

tiam Dei esse realiter tres divinas Personas. Itaque totus Deus, secundùm quod realiter in se est Trinus, & Unus, est divinę scientię primarium objectum. In hoc objecto præcindimus formalitates; & quæ omnium sit formaliter excellentissima, & nobilissima, ipsa est formaliter, & præcisivè primarium objectum divinæ essentiæ. Hæc procedunt comparatione factà formalitatis ad formalitatem; sed quoniam nulla est objectum melius, quod cogitari potest, reapse objectum primarium divinæ scientiæ est Deus secundùm absoluta necessaria, & Relationes. Constat doctrina in nostris principijs de essentià metaphysica Dei, & de divinis Relationibus.

70 Ad prob.maj. nego utramque maj. partem. Ad prob. 1. dic satis esse ad infinitatem simpliciter in uno genere, quòd contineat eminenter alias, & formaliter alias perfectiones de tali genere. Formaliter quidem perfectiones puras, eminenter perfectiones mixtas imperfectione. Sic vita Dei est simpliciter infinita, quamvis solùm eminenter contineat vitas vegetativam, & sensitivam; sic intellectus divinus est simpliciter infinitus, quamvis solùm eminenter contineat vim discurrendi; & sic Deus est simpliciter infinitus in omni genere entis, quamvis solùm eminenter contineat perfectiones creaturarum non

sim

simplices. At cognitio divinarum Personarum est perfectio pura, & simpliciter simplex: quapropter ut cognitio divina sit simpliciter infinita in genere cognitionis, debet esse formaliter cognitio Personarum. Ad 2. partis prob. dic. cognitionem adæquatam unius formalitatis esse formaliter inadæquatam objecti cognitionem; ac proinde cognitio essentiæ, & quidditatis divinę, ut sit adæquata, & comprehensiva, debet exprimere Personas divinas; nam illa essentia, & quidditas est realiter trina Persona.

71 Arg. 2. In priori *à quo* productionis Verbi nec istius, nec Spiritus S. cognitio præcedit: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione ipsius, & Spiritus S; sed ad summum ex cognitione essentiæ, & Personæ Patris. Ant. prob: in illo priori cognitio earum Personarum non potest esse intuitiva: nam intuitio est objecti existentis, & in illo priori *à quo* non existunt Verbum, & Spiritus S. Rursus: nec potest esse abstractiva eo sensu, quo nos abstractivè cognoscimus Deum non prout in se est; aut eo sensu, quo Deus abstractivè cognoscit creaturas purè possibiles. Ergo in eo priori *à quo* non præcedit cognitio &c.

72 Nego ant. Ad prob. deveniendum non est ad 2. partem: neque enim possibilis in Deo est cognitio divinę Personæ aliter ac in

se

se est, neque divinę Personæ ut posſibilis, aut futuræ. Nego 1. partem prob; & dico cognitionem Personarum procedentium esse intuitivam. Quod dicitur contrà, non urget: nam etsi Pater non cognoscat, quòd aliæ Personæ existant in illo priori *à quo* originis, cognoscit tamen in illo priori *à quo* perfectissimè, & clarissimè illas existentes in posteriori *à quo*, & sibi coexistentes in omni duratione reali. Hoc sufficit, ut aliæ Personæ cognoscantur intuitivè. Multa hìc occurrunt, quę pariunt quęstiones de voce. Firmum sit prioritatem *à quo*, & posterioritatem *à quo* originis in divinis propriſsimè, & strictè consistere in principio *quo* producto, & productione actuali activà, & in termino *quo* producto, & processione actuali passivà. Additur: in tantum prędcedit in priori *à quo* cognitio essentię, & Personarum, in quantum in illo priori principium *quod* debet habere illam cognitionem: neque enim potest loqui, & dicere nisi quæ præintelligat.

73 Instas. Sequitur Verbum esse prius se ipso, & Spiritum S. esse priorem Verbo; quod absurdum est. Conf. prob: nam cognitio Verbi, & Spiritùs S. est in priori *à quo* ad productionem Verbi; hęc autem cognitio prę-supponere debet tùm Verbum, tùm Spiritum S: *scibile* enim *scientiâ prius esse videtur* juxta

Phi-

Philosophum : ergo. Tentant aliqui solutionem per recursum ad mutuam prioritatem,& posterioritatem ; non bene : quoties nimirum prioritas , & posterioritas debeat esse inter existens , & existens , prout talia. Et in hoc genere sunt cognitio, ex qua Verbum procedit, ipsum Verbum , & Spiritus S. Quo enim pacto aliquid intelligatur existens pro priori ad id , quod intelligi debet præexistens , ut ipsum existat ?

74 Nego sequelam inst : nam cognitio intuitiva non requirit , quòd in signo *in quo priori secundùm originem* præsupponatur objectum existens ; satis enim est, quòd in signo *posteriori à quo* objectum illi cognitioni perfectissimè coexistat. Visio ex ratione visionis non petit existere in signo priori , in quo objectum est , sed quòd objectum sibi coexistat in signo posteriori , in quo ipsa est. Patet in visione corporeà. Ergo pariter non petit ex conceptu visionis , quòd objectum existat in signo priori, in quo ipsa sit, sed sufficit,quòd ipsa coexistat objecto in signo posteriori , in quo ipsum objectum est. Hinc ad prob. sequelæ negatę conc. maj, neganda est min. Ad hujus prob.adjunctam dicendum: scibile præsupponitur ad scientiam , quæ à scibili tanquam ab objecto motivo determinanda est; non autem scibile , quod est objectum purè

terminativum, prę ſupponi debet ad ſcientiam aliunde determinatam. Cognitio comprehenſiva Verbi, & Spiritùs S. aliunde determinata eſt, nempe ab infinità vi cognoſcitivà divini intellectùs; & illæ divinę Perſonæ ſunt objectum purè terminativum illius comprehenſionis. Conf. ſolutio: neque enim facilè negabitur poſsibilis cognitio intuitiva, quæ efficiat ſuum objectum cognoſcendo, & clarè affirmando *illud exiſtere*; hæc non præſupponeret ſuum objectum exiſtens: ergo. Accedit: forma conſecrativa Euchariſtiæ ſignificando, & enunciando cauſat præſentiam Chriſti in eodem ipſiſsimo inſtanti, in quo completè prolata eſt; & ideo in toto rigore forma eſt de præſenti vera. Sed ad hoc non requiritur, quòd in eo inſtanti præſupponatur præſentia Chriſti, ſed ſufficit, quòd ponatur in ſigno poſteriori illius inſtantis; aliter forma conſecrationis non eſſet cauſativa, & practica: ergo ſimiliter de cognitione intuitivà ex præciſo conceptu intuitionis diſcurrendum eſt. Sed inſtando adhuc

75 Arg. 3. Verbum procedens ex cognitione ſui ipſius, & Spiritùs S. haberet pro principio mediato ſe ipſum, & Spiritum S. Ratio: quia *ex objecto, & potentiâ paritur notitia*, ut fert proloquium; ſed Verbum, & Spiritum S. eſſe principium Verbi dicendum non

eſt;

est: ergo. Conf. 1: intelligi non potest in priori *à quo* originis cognitio Verbi, quin intelligatur ipsius Verbi cognoscibilitas; idem de Spiritu S. Atqui cognoscibilitas Verbi est ejus existentia: ergo in illo priori originis intelligitur Verbi existentia; quod est clara implicatio. 2: omnia absoluta sunt priora relativis, ut est commune Theologorum effatum: ergo pro priori ad cognitionem relativorum est absolutorum cognitio: ergo per hanc præsupponitur productum Verbum: ergo non producitur per cognitionem ipsius, & Spiritus S.

76 Nego maj, cujus prob. non urget. Illud proloquium accipitur de cognitione determinandà per objectum, aut per speciem sui, aut per se ipsum; cumque cognitio comprehensiva Dei, quę non potest non esse comprehensiva Verbi, & Spiritùs S, non determinetur ab his divinis Personis, sed ab infinità vi divini intellectùs, qui est *ipsa species intelligibilis*, ut docet Angelicus 1. p. q. 14. a. 2, inde est, quòd non oriatur ab ijs divinis Personis cognitio, qua Verbum procedit.

77 Ad 1. conf. nego absolutè maj: cognoscibilitas enim sequitur ad esse; cumque Personæ divinę procedentes non sint in signo priori originis, hinc est, quòd nec sit in illo priori cognoscibilitas ipsarum, Neque aliud re-

requiritur, ut in illo priori cognoscantur, & ex ipsarum cognitione procedat Verbum: nam quòd pro signo posteriori originis sit ipsarum cognoscibilitas, sicut & quòd in eo signo existant, sufficit, ut cognoscantur, & videantur in signo priori. Quod si contentus sis prioritate in subsistendi consequentiâ, non renuam, quòd in signo *à quo* est cognitio, imò in priori ad ipsam sit Personarum cognoscibilitas: bene enim valet, *cognoscitur: ergo est cognoscibile*, non è contrario. Sed in eodem sensu admittes prioritatem cognoscibilitatis ad existentiam Personarum: valet siquidem, *existit: ergo est cognoscibile*, non autem vice versâ.

78 Ad 2.conf. Si pro priori ad relativa sunt absoluta, ergo pro priori ad Verbum est cognitio ipsius, & Spiritûs S: ac proinde ex hac cognitione Verbum procedit. Ratio sequelę: nam cum in Deo nulla sit cognitio, quę non sit absoluta, & communis, sequitur, quòd cognitio Personarum sit pro priori ad productionem Verbi. Admitto prioritatem radicis metaphysicæ, qua absoluta præintelliguntur ad relativa, & etiam prioritatem in subsistendi consequentiâ relativè ad singulas Personas. Valet siquidem, *est Pater: ergo est Deus*, non è contrario. Hinc admisso ant, sub datâ explicatione dist. 1.conf; ergo pro priori for-

formaliter, & penes nostros conceptus est cognitio absolutorum ad cognitionem relativorum, conc; aliter, nego hanc, & subductam 2.conf. Usque dum intelligatur cognitio relativorum, non intelligitur cognitio simpliciter infinitè perfecta, & Dei comprehensiva, ex qua per se Verbum infinitum, & exprimens quidquid mens divina comprehendit, procedit. Præterea: istiusmodi cognitio, quippe quæ est quid absolutum, debet præcedere relativum Verbi, ut notatum est: ergo ex ipsà per se procedit Verbum.

79 Arg.4. Saltem ex cognitione Spiritûs S. Verbum non procedit per se: ergo non procedit per se ex cognitione divinæ essentiæ, & divinarum Personarum. Prob.ant: quòd in priori originis præcedat in Patre virtus spirativa, non est, quòd per se præcedat, sed quòd præcedat per accidens. Sed ex illà præcedentiâ per se virtutis spirativæ probaretur maximè, quòd Verbum procedat per se ex cognitione Spiritûs S: ergo. Prob. maj: nam Verbum procedit per intellectum, non per voluntatem: ergo per accidens est, quòd ex parte Patris præcedat virtus spirativa. Conf: Verbum est pro priori originis ad Spiritum S: ergo per se non pendet ab Spiritu S, atque adeo neque ab hujus cognitione. Hinc fit, quòd si per impossibile non esset Spiritus S,

adhuc Verbum procederet à Patre : ergo &c.

80 Nego ant; & ad prob. posſem omittere maj, & negare min: neque enim meminimus ſpirationis activæ ad probandum noſtrum intentum de cognitione divinarum Perſonarum per ſe requiſitâ ad proceſsionem Verbi. Sed quoniam ejuſmodi virtus reperitur formaliter in Deo, & adæquatè identificatur cum Patre, & Verbo, & hoc procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, nego maj. Verbum procedit ex comprehenſione Patris, & Filij, ut concedunt Vazquez, Alarcòn, & alij, quorum eſt argumentum; comprehenſio autem Patris, & Filij dicit cognitionem ſpirationis activæ, quæ cum ipſis realiter identificatur, & quæ prout in Patre eſt in priori originis ad Verbum: ergo non per accidens, ſed per ſe præcedit virtus ſpirativa ad proceſsionem Verbi. Rurſus: ideo Verbum procedit ex cognitione abſoluta totum, quia Pater intelligendo communicat Verbo omnia abſoluta, ut & ipſi concedunt; ſed etiam Pater intelligendo communicat Verbo virtutem ſpirativam: ergo etiam procedit Verbum ex cognitione hujuſmodi virtutis. Demum: tàm eſſentiale eſt naturę divinę communicabilitas Spiritui S, quàm communicabilitas Filio; ſed neutra comprehendi po-

potest, quin cognoscantur Personæ, quibus natura est communicabilis: ergo sicut Verbum procedit ex cognitione communicabilitatis naturæ Filio, sic ex cognitione communicabilitatis ejusdem naturæ Spiritui S; quæ cognitiones nequeunt non esse ipsarum Personarum.

81 Ad prob. min. negatæ. Quòd Verbum procedat per intellectum, & non per voluntatem, non obest, quominus procedat per cognitionem voluntatis: ergo neque obest, quòd procedat per intellectum, ut procedat ex cognitione virtutis spirativæ. Concess. itaque ant, nego cons, & detego æquivocationem. Aliud est, quòd virtus spirativa, ut est ad terminum, præcedat purè identicè, & in hoc sensu per accidens; aliud est, quòd non præcedat per se, tùm ut objectum cognitionis, tùm ut quid communicabile. 1. est verum; 2. est falsum, ut constat exemplo voluntatis.

82 Ad conf. conc. ant, nego cons. de dependentià latà, & impropriè; & nego subillatam cons. Aliter Verbum dependet ab Spiritu S, aliter ab hujus cognitione. Ab Spiritu S. pendet à posteriori *secundùm originem*; ab hujus autem cognitione pendet à priori: quod discrimen satis constat ex dictis. Ad id, quod additur, quæro: an in illà hypothesi impossibili procederet Verbum ex cognitione com-

prehenſivà Dei? Si neges, negabo, quòd in ea hypotheſi Verbum procederet à Patre. Si affirmes, ſubſumam: ſed in hac hypotheſi poſſibili,& ſummè neceſſarià, *quod Spiritus S. eſt*, procedit Verbum ex cognitione Spiritùs S. quia aliter non procederet ex cognitione comprehenſivà Dei. Si recurras ad noſtras præciſiones, rejectà illà hypotheſi impoſsibili, & dicas, quòd non intellecto Spiritu S, adhuc poſſumus intelligere Verbum procedens à Patre; dicam poſſe hoc intelligi de Verbo inadæquatè ſumpto, & de proceſsione inadæquatà, non de Verbo adæquato, & de adæquatà proceſsione.

83 Arg. 5. Si Verbum procederet ex cognitione Spiritùs S. eſſet hujus imago; atqui Verbum eſt imago ſolius Patris, ut ex Patribus docent communiter Theologi: ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus S. Prœoccupavit retortionem Acutiſ. Vazquez, cujus argumentum eſt. Nam ſi dicas, ſimili modo probari poſſe Verbum eſſe ſui ipſius imaginem, hoc negat; nam Verbum non eſt ſibi ſimile: ad relationem enim ſimilitudinis requiritur diſtinctio; hæc datur inter Verbum, & Spiritum S: ergo hujus eſſet imago, ex hujus cognitione procederet. Si dicas ad rationem imaginis non ſufficere diſtinctionem, & ſimilitudinem, ſed inſuper requiri, quòd ima-

Imago procedat ab altero, cui simile est: aliter Pater esset imago Filij, & unum ovum alterius ovi; hoc planè concedit. Sed instat: si Verbum procederet ex cognitione Spiritùs S, hic esset principium Verbi: nam esset principium illius cognitionis; objectum namque est principium inadęquatum cognitionis: ergo nihil deesset, ut esset Verbum imago Spiritùs S: ergo &c.

84 Nego maj. Audi Anselmum in Monol. c. 60: *Verbum nec imago sui, nec Spiritùs S. congruè dici potest: quia imago illa neque se ipsam imitatur, neque à se trahit existendi similitudinem: & similiter non imitatur Spiritum S, neque ad ejus similitudinem existit: quia non habet esse ab Spiritu S. sed Spiritus S. ab illà imagine.* Ad instantiam, quæ est maj. negatę probatio, nego ant, cujus falsitas constat ex n. 76. Adde; omisso, quòd Spiritus S. in esse objecti, & concursu intentionali esset principium mediatum Verbi, hoc non sufficeret, ut Verbum esset imago naturalis Spiritùs S, in quo sensu dogmatico accipitur, quòd Filius est imago solius Patris. Ratio: quia imago naturalis est expressio verè realiter, & naturaliter producta à suo principio, ut ipsum principiũ repręsentet. Quòd si ad imaginem artificialem sufficit cõcursus objectivus causæ exemplaris, id erit, quatenus exemplar aut per se ip-

ipsum, aut per sui speciem verè influit in cognitionem, qua dirigitur artifex. Hoc non convenit cognitioni Spiritùs S, qua Verbum procedit: non itaque Verbum est Sancti Spiritùs imago.

85 Itaque divinum Verbum solùm est imago Patris; sed in hac imagine exprimuntur quoque, & apparent cætera omnia cognoscibilia, quorum non est imago. Verbum non est imago essentię divinæ, & attributorum: neque enim ipsius proprietas nisi virtualiter distinguitur ab essentiâ, & attributis: imò nec propriè Verbum est simile ex suâ proprietate essentiæ, & attributis ob realis distinctionis defectum. Itaque cum in Scripturâ Verbum dicitur *speculum majestatis Dei, splendor gloriæ Dei*, & *figura substantię ejus*, intelliguntur ista de ratione imaginis relativè ad Deum Patrem, ut optimè expendit Suarez lib.9. c.9. à num. 7. Et observa rationem imaginis in divinis convenire soli Verbo; quamvis Græci Patres, quos inter Athanasius, & Basilius, dixerint Spiritum S. non solùm esse similem, sed & imaginem Filij. Sed hi Patres quoad conceptum imaginis latè intelligendi sunt; quatenus voce imaginis nihil aliud dicant, nisi perfectissimam similitudinem esse inter divinas Personas.

86 Non potes non observasse negatam hu-

hucusque esse inter explicandas processiones divinas prioritatem, & posterioritatem *in quo*, & admissam esse prioritatem, & posterioritatem *à quo*. Sic locuti sumus, ut communem loquendi modum teneremus. In Philosophiâ docui utramque prioritatem *in quo*, & *à quo* esse naturæ; & utramque à divinis excluſi. Ratio: quia divinę Personæ sunt perfectissimè, & summè coęternæ, & coexistentes; atque adeo non est prius, *in quo* una sit, & non sit alia formaliter, ex se, & in suâ intrinsecâ perfectione.

87 Prioritatem *in quo* sic explicui, ut sit propria causæ non connexę cum effectu, ut est voluntas respectu amoris liberi: prioritatem verò *à quo*, ut sit propria causę connexæ cum effectu, ut est Sol respectu illuminationis. Vides prioritatem *in quo* esse causæ potentis esse duratione priorem effectu; hoc non convenit prioritati *à quo*: at non nascitur ex intrinsecâ effectus perfectione. Ratio: quia sicut est per accidens ad effectum, quòd causa præcesserit duratione, ita est ipsi effectui per accidens, quòd duratione causa non præcesserit. Ob oppositam rationem nego prioritatem, & posterioritatem *in quo*, & *à quo* inter divinas Personas. At inquies; nullus ordo secundùm prius, & posterius admittendus est inter Personas divinas? Admittendus ordo *origi-*

ginis, sive *secundùm originem*, ut loquitur D. Thomas. Hoc autem aliud non est, nisi quòd in omni signo una Persona sit producens, & alia sit producta. At saltem non admittentur *prius*, & *posterius* secundùm rationem nostram? Admittitur profectò; sed hoc est, quòd cognoscamus Personas divinas imperfectè, & præscindendo ab infinitè, & summè perfectâ coæternitate, & coexistentiâ ipsarum. Hæc ex perdocto Nicolao Martinez in M.S. de Trinit.

SECTIO VII.

Argumenta contra secundam conclusionem solvuntur.

88 Arg. 1. Deus ex nullo suo prædicato connectitur cum creaturis possibilibus: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum possibilium. Ratio ant. firmissima: Deus est ens magis infinitè necessarium, quàm est creaturarum possibilitas; & harum possibilitas est infinitè minùs necessaria, quàm Deus. Sed ens magis necessarium non connectitur cum minùs necessario, ut est evidens: ergo. Entymematis cons. prob: nam processio Verbi est magis infinitè necessaria, quàm creaturarum possibilitas: ergo & cognitio, ex qua per se procedit; sed hæc ipsa cognitio non potest esse creaturarum possibilium; hæ enim etiam ut possibiles sunt in-

infinitè minùs neceſſariæ: & cum ipſis connecteretur cognitio magis infinitè neceſſaria; quod implicatorium eſt: ergo &c.

89 Nego ant: Deus ſiquidem ex Omnipotentiâ (& ex alijs attributis) connectitur metaphyſicè cum poſsibilitate creaturarum: quod in Philoſophiâ latè docui, & de quo pauca dabo in diſp. 1. de Scientiâ Dei c. 2. ſect. 3. Ad ant. prob, quam firmiſsimam adverſarij vocant, dicendum: poſsibilitas creaturarum eſt ens (nominaliter) minùs neceſſarium, quàm Deus, minoritate non includente contingentiam, & defectibilitatem, ſed minoritate quoad perfectionem, & quoad neceſsitatem ſtatùs. Eſt dicere: Deus eſt ens neceſſarium à ſe, & quoad exiſtentiam; creaturę non ſunt ens neceſſarium quoad ſtatum, & quoad perfectionem: nam ipſarum neceſſaria poſsibilitas eſt ab alio. Ratio hujus: nam ſicut eſt neceſſarium, quòd creatura exiſtens abſolutè ſit abſolutè ab alio, ſic eſt neceſſarium conditionatè, quòd, ſi exiſtat, erit abſolutè ab alio. Sic explicatà majore, qua probatur ant, diſt. min: ens magis neceſſarium non connectitur cum minùs neceſſario minoritate contingentiæ, & defectibilitatis, concedo; minoritate quoad perfectionem, & ſtatum neceſsitatis, nego min, & conſ. Quid hinc? Cum impoſsibile ſit, quòd deficiat poſsibilitas creaturarum,

rum, impossibile est, quòd Deus deficiat, & supra hanc necessitatem addit Deus perfectiones necessitatis, & status. Constat hinc negandam esse entymematis consq.& ejus prob. nihil urgere.

90 Recole nostræ conclusionis probationes datas n. 65, & desumptas ex eo, quòd Verbum procedit *ut ars*, ex cognitione *comprehensivâ* divinæ essentiæ, ut *expressivum simpliciter infinitè* in esse Verbi. Quæro: an hęc salventur sine connexione Omnipotentiæ, alteriusve divini prædicati cum possibilitate creaturarum? Si affirmes; bene res se habet, & sine connexione admittes Verbum procedere per se ex possibilium cognitione. Si neges; admittenda est connexio: illa enim principia desumuntur ex perspicuis Patrum testimonijs, quibus fit innegabilis hæc propositio, *Verbum est adæquatum scientiæ, & toti menti Patris.* Augustinus 15. de Trinit. c.13: *si quid minus esset in Verbo, quàm in scientiâ, non esset Verbum adæquatum.* Cyrillus 1. Thesaur. c.7: *tota mens in suâ naturâ conservata est, & tota sapientia depingitur, & videtur*, nempe in Verbo. Fulgentius ad Monim.c.2: *de totâ mente nascitur Verbum.* Anselmus Monolog.c.23, & deinceps usque ad 44. ostendit per Verbum facta esse omnia *tanquam per exemplar, & ipso Verbo Patrem dixisse omnia*, quę facienda erāt.

Videatur Montoya locis cit. ab Herrera q. 12. n. 67. Ex quibus omnibus sic conficitur: ergo ut Verbum sit adæquatum scientiæ, & toti menti Patris, debet procedere ex totâ scientiâ necessariâ Patris; sed scientia creaturarum possibilium est Patri necessaria: ergo. Retortio, siqua fieri potest in scientiâ visionis, præoccupata est in probationibus nostræ conclusionis: enervabitur in solutione argumentorum.

91 Arg. 2. Priùs ratione nostrâ à Patre producitur Verbum, quàm cognoscantur possibilia: ergo Verbum non procedit per se ex illorum cognitione. Prob. ant: priùs ratione cognoscit Pater objectum primarium, quàm secundarium; sed Verbum producitur ex cognitione objecti primarij: ergo. Prob. major: nam prior est motio ad cognoscendum objectum infinitum, quàm ad finitum: ergo &c.

92 Nego ant, & maj. prob: cum enim cognitio possibilium sit prædicatum entitativè divinum, nullam omnino objectivè, & in se prioritatem ad ipsam habere potest cognitio objecti primarij divinæ scientiæ. Hoc de divinis Personis probatum habes propter coæternitatem, & summè perfectam coexistentiam n. 86, & 87. Atqui æternitas, & summa existentia est prędicatum transcendens (non

(non multiplicabile) omnes omnino perfectiones divinas: ergo inter ipsas nulla est prioritas, & posterioritas. At, inquis, cognitione nostrà datur ejusmodi prioritas, & posterioritas. Si loquaris de cognitione fingente, ad rem non loqueris; si de præscindente cum fundamento in re propter fœcunditatem prædicatorum præscindibilium in divinà scientiâ, nil evinces. Quid enim ad rem est, quòd imperfectè cognoscamus scientiam, ex qua procedit Verbum, scindendo illam in diversas formalitates; aut etiam, quòd in ipso Verbo apprehendamus rationem Verbi eorum, quæ sunt formaliter in Deo priùs, quàm apprehendamus rationem repræsentandi posibilia? Recole dicta n. 82.

93 Ad prob. maj. negatæ eadem est solutio: cum motio est divina, non est ad cognoscendum priùs objectum infinitum, quàm ad finitum; quandoquidem cognitio necessaria objecti finiti pertinet ad summam perfectionem divinæ scientiæ: ad quam utraque motio, & utraque cognitio constitutivè, & formaliter pertinet necessariò ad plenitudinem scientiæ Deo dignæ. Sed instando

94 Arg. 3. Cognitio divina prout præcisè ad Deum terminata est simpliciter infinita, & comprehensiva: ergo est fœcunda; ac proinde non intellectâ cognitione posibi-

lium,

lium, intelligitur Verbum productum: ergo non procedit per se ex cognitione possibilium. Prob. ant: ut cognitio sit comprehensiva, sufficit, quòd videat omnia, quæ formaliter sunt in objecto: nec requiritur, quòd videat, quæ in ipso sunt eminenter: aliter cognitio, qua Deus se comprehendit, deberet esse visio creaturarum existentium; hæ enim eminenter sunt in Deo. Sequela non admittitur: nam comprehensio Dei est necessaria, visio autem creaturarum existentium est contingens: ergo. Conf, & præoccupatur solutio: nam pro disparitate recurrendum non est ad connexionem Omnipotentię cum possibilibus: tùm quia Deus cum nullo extra se connectitur, tùm quia in hac quæstione præscindendum est à connexione. Iterum: sequitur, quòd à possibilibus dependeat processio Verbi; & quòd illa sint principium mediatum, & remotum Verbi: quæ sunt absurda. Demum: docet Anselmus Monolog. c. 30: *sive Pater cogitetur, nullâ aliâ existente essentiâ, sive alijs existentibus, necesse est Verbum coæternum esse cum illo*; & addit c. 31, & 32. *Verbum divinum non esse Verbum creaturarum*: ergo non procedit ex possibilium cognitione.

95 Nego absolutè ant: non est cognitio simpliciter infinita, scilicet in genere cognitionis, quę non exhaurit omnem perfectio-

nem de tali genere; neque est comprehensiva objecti, quę non attingit omnes terminos, qui attingi debent, ut objectum secundùm suam essentiam totà claritate, qua videri potest, videatur. Ad prob.ant. negati dic aliter, & aliter contineri eminenter in Deo possibilia, & existentia ut talia; hæc contingenter, & liberè, illa verò indefectibiliter, & necessariò. Comprehensio Dei non est eorum visio, quæ possunt non videri; debet esse visio eorum, quæ necessariò videntur, & quæ videri necesse est, ut Deus se ipsum videat totà claritate, qua potest videri. Mihi fixum est illud Divi Thomæ hac 1.p.q.14. a.5: *virtus alicujus causæ nequit perfectè cognosci, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit::: cum virtus divina se extendat ad alia eo, quòd ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est, quòd alia à se cognoscat.*

96 Hinc ad conf, qua impugnatur solutio data, nego, quòd Deus non connectatur cum possibilitate creaturarum. Sed hoc omittatur, si non admissà connexione stare possit doctrina Patrum, ex qua efficaciter colligitur Verbum ex possibilium cognitione procedere, ut notavi n.90. Adde negantes connexionem hanc propositionem communiter concedere, *non potest intelligi Omnipotentiam esse virtutem productivam Angeli, quin intelligatur esse*

esse talem virtutem, si Angelus sit possibilis. At qui hæc conditio est simpliciter necessaria: ergo est simpliciter necessarium, quòd Deus cognoscat Angelum esse possibilem: ergo est simpliciter necessarium, quòd Verbum exprimat Angelum esse possibilem: ergo ex hac cognitione Verbum per se procedere necessum est.

97 Ad alteram conf: Verbum procedit ex cognitione Spiritùs S, quin, strictè nimirum, ab ipso dependeat, aut Spiritus S. sit principium etiam mediatum, & remotum Verbi; ut constat ex anteactis: ergo multo minus procedens ex cognitione possibilium, aut pendebit &c. D. Anselmus in priore parte textùs loquitur de essentijs creatis existentibus, non de ipsis ut possibilibus; in posteriore autem docet *Verbum non esse creaturarum*, hoc est, non esse à creaturis, non autem non esse Verbum repręsentativum creaturarum. Expositio est D. Thomæ, cui adhęret Suarius lib.9. cap.6. n.6. Eam esse legitimam constat; nam Anselmus asserit Monolog.c.29. *illas creaturas, quę dicuntur in Verbo, esse ad imitationem ejus.*

SECTIO VIII.

Argumenta contra tertiam conclusionem solvuntur.

98 ARg. 1. Christus Dominus locutus est hominibus, quæ audivit à Patre; sed est Verbum illorum, quę à Patre audivit: ergo est Verbum illorum, quæ locutus est; locutus autem est multa existentia, & contingentia: ergo horum est Verbum: atque adeo per se procedit ex cognitione contingentium, & existentium. Major, ex qua omnia pendent, constat ex multis Scripturæ testimonijs. Clarissimum est illud Joannis 5. v. 20. *Pater....demonstrat ei* (Filio) *omnia, quæ ipse facit*; &, *sicut audio, judico* v. 30. Audi Augustinum in hunc locum tract. 21. *dicendo Filio, quæ facturus erat Pater, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia*: ergo &c.

99 Dist. maj: Christus locutus est hominibus, quæ audivit à Patre, tùm ut Deus, tùm ut homo, concedo; tantùm quæ audivit ut Deus, nego maj. Dist. min: sed est Verbum illorum, quæ ut Deus audivit à Patre, concedo; eorum, quæ audivit ut homo, nego min, & constat ad reliquum. Quæ Christus locutus est de existentibus, audivit ut homo à Patre: & horum non est Verbum. Testimonia adducta, quatenus comprehendunt res exis-

ten-

tentes, accipiuntur de Christo ut homine; ut probat ibi magnus Theologus, & Interpres Maldonado. Sed intelligantur ij textus de Christo ut Deo: dico Filium audivisse à Patre res existentes, non quidem à Patre loquente locutione formali, sed radicali, hoc est, locutione communicante virtutem ad visionem rerum existentium. Ad explicationem desumptam ex D. Augustino dico priùs genitum esse Filium, quàm facturus esset Pater quidquam ad extra, cum per Filium facturus esset omnia. Proinde Pater dicendo Filio factibilia, quæ facturus erat, Filium genuit. Dictio autem factibilium non est visio, sed simplex intelligentia.

100 Arg. 2. Verbum est adæquatum scientiæ, & menti Patris. Constat ex Patribus adductis n. 90; sed in Patre est scientia creaturarum existentium: ergo est expressivum creaturarum existentium: ergo ex harum cognitione per se procedit. Conf: quidquid habet Filius, aut est productum, aut communicatum à Patre; habet scientiam creaturarum existentium: ergo cum non sit producta, quoniam est quid absolutum, est communicata à Patre. Atqui Verbum per se procedit ex scientiâ, quæ ipsi communicatur: ergo. Omnia fluunt ex maj, quę sic prob. 1. ex illo Christi D. Mat. c. 11. v. 27, *omnia mihi tradita sunt à*

Patre meo. 2.ex illo Florentini, *Pater omnia, quæ habet, dedit Filio, præter esse Patrem*: ergo quidquid habet Filius &c.

101 Dist. maj: Verbum est adęquatum scientiæ, & menti Patris ut Patris, concedo; aliter, nego majorem; & cadit reliquum. Scientia Patris ut Patris est scientia, sine qua non esset Deus Pater; esset autem Pater, etsi nihil creatum decrevisset, atque adeo etsi nullius creaturæ existentis visionem habuisset: hæc igitur scientia non est Patris ut Patris. Opponis: similiter dici posset solam scientiam essentię, aut saltem solam scientiam eorum, quæ sunt formaliter in Deo, esse scientiam Patris ut Patris. Nego assumptum; & ne repetam probationes nostrarum conclusionum, solutionesque argumentorum, in eà propositione insisto, quam nuper protuli, *non est scientia Patris ut Patris, sine qua potuit esse Deus Pater.* Talis est visio creaturarum. At cum è contrario sine cognitione posibilium non potuerit esse Deus Pater, inde est, quòd hęc cognitio sit scientia Patris ut Patris. Ergo non est paritas ab una ad aliì cognitionem.

102 Ad conf. dist.maj: quidquid habet Filius, aut est productum, aut communicatum formaliter, aut in radice à Patre, conc; est formaliter communicatum, nego maj. Scientia vi-

visionis creaturarum non communicatur formaliter à Patre, nimirum locutione notionali, sed tantùm in radice; quatenus eà locutione Filius accipiat à Patre vim infinitam cognoscendi, qua creaturas existentes intuetur. Ad min. dicendum, Verbum per se procedere ex scientiâ, quæ ipsi formaliter, & locutione notionali communicatur; non verò ex scientiâ, quę solùm communicatur in radice. Testimonia, quibus prob. maj, evincunt, quod concessimus, non quod negavimus. Locus ex Matthæo accipitur de Christo ut homine habente potestatem guvernandi homines, ipsosque servandi, juxta illud, *data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terrâ.* Sic citatus nuper Maldonado. Intelligatur etiam de Christo ut Deo; nihil contra doctrinam nostram: sicut nec aliquid contra illam eruitur ex testimonio Florentini. Omnia enim habet Filius à Patre, sed aliter necessaria, aliter actus contingentes, ut explicatum est.

103 Arg. 3. Perfectius est Verbum dicens omnia, quæ sunt in mente loquentis, quàm non dicens omnia; sed in mente Patris loquentis sunt creaturæ existentes: ergo Verbum has etiam dicit: ac proinde ex illarum cognitione procedit. Conf. 1: fœcunditas ad productionem Verbi convenit scientiæ necessariorum, quia hæc est infinita in ratione

scientiæ; sed visio futurorum est infinita in ratione visionis: ergo. 2: nihil absurdi in hoc est, quòd in scientiâ Dei distinguatur scientia necessaria, & scientia libera, seu contingens: ergo non est absurdum, quòd in Verbo divino distinguatur Verbum necessarium, & Verbum contingens; sed hinc maximè excluditur, quòd Verbum ex visione creaturarum existentium procedat: ergo.

104 Dist. maj: illam conc. de ijs, quæ sunt in mente loquentis pro priori ad Verbum; & nego de ijs, quę sunt pro posteriori, intellige secundùm ordinem originis. Dist. similiter min, & nego conf. Constat solutio ex dictis; & adde res existentes non esse in mente Patris priùs, quàm à totâ Trinitate decernantur: quapropter non sunt priùs in mente Patris, quàm in mente Filij. Ad 1.conf: omissâ maj, negetur minor. Visio creaturarum, cum sit contingens, & defectibilis (nempe secundùm virtualitatem existendi) non est positivè infinitè perfecta, ut est scientia necessariorum. Deinde distinguatur major: vera est de scientiâ simpliciter infinitâ, & priore secundùm originem; falsa autem de scientiâ posteriore secundùm originem, quamvis esset infinitè perfecta. Distinctâ similiter min, negandâ est conf. Ad 2.conf. Evidentissima argumenta, quibus probatur libertas, domi-

nium

nium, & providentia Dei, cogunt mentem ad admittendam scientiam liberam, seu contingentem distinctam modo aliquo à necessaria. At ubinam sunt æquè convincentes rationes pro Verbo contingente? Concesso itaque ant, nego cons.

105 Arg. 4. Pater loquitur omnia futura: nam loquitur omnia loquibilia; & omnia futura loquibilia sunt. Atqui Verbum procedit à cognitione omnium, quæ Pater loquitur: neque enim Pater loqui potest, nisi quæ præscit; loquitur autem Pater omnia futura: ergo &c.

106 Dist. maj: Pater loquitur omnia futura locutione communi alijs Personis, conc; locutione notionali, qua dicendo producit Verbum, nego maj; & eàdem distinctione eliditur adjuncta prob. Similiter dist. est minor, & neg. cons. Constat solutio ex dictis. Verbum procedit ex cognitione requisità, ut Pater loquatur notionaliter; & hæc cognitio est scientia necessaria, non visio libera, & contingens. Præter hanc locutionem notionalem, qua Verbum divinum producitur, est alia locutio communis divinis Personis: tùm quia loquuntur ad extra, tùm quia ad invicem colloquuntur ad intra. Loquuntur ad extra revelando aut per signum instrumentale, quod est verbum *quod*, aut per sig-

ſignum formale, quod eſt verbum *quo*, hoc eſt, cognitio infuſa. Et hæc locutio ad extra, qualis facta eſt ad Prophetas, eſt vera, & propria locutio, quia producitur verbum, creatum nempe, & extrinſecum Perſonis divinis loquentibus. Colloquuntur ad invicem ad intra tùm actus liberos, tùm creaturas exiſtentes oſtendendo; hęc locutio ſtat in eo, quòd ſingulæ Perſonæ illa objecta cognoſcunt, & quod una cognoſcit, alijs oſtendatur per ipſammet cognitionem. Hæc locutio eſt impropria, quippe quę non eſt productiva verbi; & erga ipſam nil ſpeciale eſt in Patre, niſi in quantum aliæ Perſonę habent ab ipſo virtutem ad illam cognitionem. Vide Montoyam d. 60. Sed inſtando

107 Arg. 5. Data ſolutio vim apertam infert Patribus clamantibus *Patrem loqui contingentia*, *Filium illa audire*, *Filium eſſe Verbum creaturarum*, nullà diſtinctione factà poſſibilium, & exiſtentium. Ergo admittenda non eſt data ſolutio recurrens ad impropriam locutionem, qua Pater Filio dicit res futuras: ergo procedit Verbum ex cognitione contingentium. Totam rem expreſsit D. Thomas q. 34. a. 3, & q. 37. a. 2. ad 3, quibus in locis docet Verbum procedere ex cognitione omnium creaturarum non diſtinguens futuras à poſsibilibus.

Ne-

108 Nego ant. Miror, quòd adversarij id tam confidèter jactent; antiqui enim Scholastici perspectas habuere illas Patrum propositiones, & firmiter negarunt Verbum ex cognitione contingentium procedere. Itaque Scotus subtiliter, ut impugnaret sententiam de processione Verbi ex cognitione possibilium, argumentabatur ab absurdo: quia ex Patrum anthoritatibus crudè acceptis sequeretur processio Verbi ex cognitione futurorum. Concedebant antiqui hoc esse absurdū, & negabant illud sequi. Sic Cajetanus, Ferrara, alijque, ut notat Suarius lib.9. c.7. n.3. Addit Granado tract.9.d.7.n.3. se non noviſſe alium authorem, qui contrà sentiat, prẹter Valentiam nostrum. Ergo tota Scholasticorum antiquitas vim apertam intulit Patribus; quod mihi plus quàm absonum est.

109 Directè: id genus locutionis impropriæ agnoscitur à Patribus. Cyril. Alexand. lib.3. Dialog.ante medium, *venite inquit ad se ipsam tota S. Trinitas.* An tota Trinitas producit Verbum? Anselm.in Monolog. c.60: *Pater, & Filius, & eorum Spiritus se ipsum, & alios ambos dicit.* An dictione propriā productivà Verbi? Dicimus similiter de locutione, qua Pater loquitur res contingentes. At, inquis, Patres, & Angelicus asserentes Verbum procedere ex cognitione creatu-

ra-

tarum non secernunt à possibilibus existentes. Occurro: satis secernunt, loquuntur enim de Verbo, ut est *ars*, *exemplar*, & *imago*, quam imitantur creaturæ faciendæ, & factæ. Ad has objectivas in Verbo rationes requiritur ex parte Patris simplex intelligentia, quæ dirigit ad opus; non autem visio creaturarum, quę ad harum effectionem non dirigit. Expressè D. Thomas citatà q. 34. a. 3. docet Verbum procedere ex scientiâ ut expressivum, & factivum creaturarum; ut factivum solùm respicit creaturas ut possibiles: ergo & ut expressivum.

110 Arg. 6. Verbum se ipso repræsentat creaturas existentes, si existant; sicut intellectus divinus cognoscit creaturas existentes, si existant: ergo positâ hypothesi, quòd creaturæ existant, Verbum procedit ex existentium cognitione. Conf: quia beati res multas existentes vident in Verbo: ergo illarum, & (ab identitate rationis) omnium creaturarum existentium est repræsentatio. Additur: Verbum procedit ex cognitione futurorum conditionatorum, circa quæ versatur scientia media; nam hęc Deus cognoscit in comprehensione suæ essentiæ: ergo & procedit ex visione creaturarum existentium. Patet conf: nam quòd cognitio conditionatorum contingentium sit defectibilis, & contingens,

non

non obeſt, ut ex ipsà procedat Verbum: ergo par defectibilitas, & contingentia viſionis creaturarum exiſtentium non oberit &c.

111 Nego ant: nam tota ratio repręſentationis, & expreſsionis eſt Verbo intrinſeca, & proprietas ipſius; quapropter id, quod pro priori ad exiſtentiam creaturarum non repręſentabat, neque pro poſteriori ad illarum exiſtentiam repręſentat. Nota: concedo hanc propoſitionem, *Verbum repręſentat creaturas, quæ exiſtunt*; ſed nego iſtam, *Verbum repręſentat creaturas exiſtentes.* In ſenſu enim naturali, & obvio ad veritatem primæ ſuffi-cit, quòd Verbum repręſentet creaturas poſſibiles, & quòd hæ exiſtant. Ad veritatem poſterioris requiritur, quòd illas repręſentet ut exiſtentes: hoc eſt falſum, & in hoc ſenſu quæſtio procedit. Paritas à ſcientiâ neceſſariâ, & liberâ ad Verbum neceſſarium, & contingens non ſemel enervata eſt; & nihil addendum occurrit dictis n. 104. Malè itaque eâ paritate probatur ant. negatum.

112 Ad conf. anticipo, quę dicturus ſum in tract. de Beatitudine. Diſt. ant: beati vident in Verbo concretivè cum actibus liberis res multas exiſtentes, conc; in ſolo Verbo ſecundùm intrinſecam ſuam proprietatem, nego ant, & conſ. Decreta libera ſunt veluti caracteres, quibus in Verbo ſcribun-

tur

tur creaturæ quoad ſtatum exiſtentiæ, & ſic in ipſo leguntur creaturæ exiſtentes, ut loquitur Auguſtinus 13.confeſ. c.15. Et hinc confirmatur noſtra doctrina: ſi enim Verbum eſſet omnium creaturarum exiſtentium pro aliquà temporis differentià, beati videndo Verbum res omnes exiſtentes viderent; hoc eſt apertè falſum: ergo.

113 Ad addit.neg.ant, quod concedere videtur noſter Molina, ut notat Granado tr. 9. d.8. Docuit inſignis ille Theologus Deum comprehendendo ſuam eſſentiam ſupercomprehendere voluntatem creatam; & hac ſupercomprehenſione cognoſcere actus liberos conditionatos creatæ voluntatis. Et cum aliunde doceat Verbum procedere ex comprehenſione divinæ eſſentiæ, viſus eſt admittere procedere ex cognitione terminatà ad actus liberos conditionatos. Non curo, an rectè Molinę iſta tribuatur cogitatio; ſatis eſt, ut rejiciatur, quòd eà admittatur Verbum procedere ex ſcientià contingente, & quòd ſit Verbum contingens, & defectibile. Et hinc à fortiori rejicitur, quòd procedat ex viſione creaturarum exiſtentium: nam hęc præſupponit decretum actuale, quod eſt à Verbo; ſcientia conditionata nullum actuale decretum prę ſupponit, quod à Verbo ſit. Ex hac parte certius eſt, quòd viſio non poſſit

eſſe

esse in priori ad Verbum, quàm quòd istam prioritatem non possit habere scientia conditionata.

114 Arg.7. Verum est visionem creaturarum existentium esse contingentem, & liberam; sed verum quoque est, quòd necessum est in Deo esse visionem existentium, aut scientiam non existentium: ergo numquam potest deficere in Deo scientia aliqua contingens, & libera, ex qua Verbum divinum per se procedat. Conf: nam Verbum procedit per se ex cognitione non entium, non quidem ut illorum factivum, sed ut expressivum: ergo & procedit ex cognitione creaturarum existentium, tùm ut ipsarum factivum, tùm ut expressivum. Tota entymematis doctrina desumitur ex Angelico q.34.a.3.ad 5.

115 Conc. ant. nego conf: non quòd necessum sit in Deo esse aliquam scientiam liberam, & contingentem, sed quòd ex ipsà Verbum per se procedat. Tùm quia Verbum est antecedenter, & essentialiter æternum, ac proinde non potest antecedenter esse indifferens, ut in una hypothesi contingente habeat istud principium, & in alià pariter contingente habeat aliud; tùm etiam quia in libertate Patris esset producere Verbum aut determinatè ex visione contingentium existentium, aut ex cognitione non existentium; tùm demùm

mum quia tàm ad scientiam liberam existentium, quàm ad similem scientiam non existentium requiritur libera volitio, quæ debet esse à Verbo.

116 Ad conf. Non entia necessaria, quę sunt impossibilia, sive ipsorum impossibilitas consistat in entitatibus positivis possibilibus, sive in entitatibus objectivis impossibilibus intrinsecè, sunt objectum simplicis intelligentiæ; & ex hac per se procedit Verbum. Non entia contingentia, ut est negatio alterius mundi, sunt objectum scientiæ contingentis, & liberæ; & ex hac per se non procedit Verbum. Quod additur ex D. Thomà, non urget: nam sic accipitur, ut Verbum sit expressivum, & simul factivum creaturarum possibilium; non factivum, sed expressivum impossibilium. At Verbum seorsim ab actibus liberis nec facta contingenter, nec non facta contingenter manifestat, exprimit, aut repræsentat.

SECTIO IX.

De principio quo *productivo ad intra.*

117 PRincipium *quod* productivum ad intra est Persona producens; cumque principium *quod* non possit producere, nisi habeat potentiam, & virtutem proximam, & immediatam ad producendum, quæritur, in quonam formaliter consistat hæc potentia, & vir-

tirtus ad producendum ad intra, sive principium *quo* ad intra productivum?

118 Præmissum. In Deo datur vera potentia productiva ad intra; qua videlicet Pater verè generat Filium, & qua Pater, & Filius verè spirant, & producunt Spiritum S. Est communiter accepta doctrina Theologorum contra Aureolum docentem potentiam ad generandum in Deo esse, sicut est potentia ad essendum Deum; ac proinde esse potentiam purè logicam stantem in actuali connexione terminorum *producit*, & *potest producere*. Rejicitur hæc sententia, quæ malè audit, & probatur præmissum: nam Concilia, & Patres docent Deum Patrem *verè habere potentiam, potestatem, virtutem*, ac *vim* generandi Filium; Patremque, & Filium verè habere potentiam spirandi Spiritum S: ut videre est apud Montoyam hìc d. 99. Atqui hæc stare non possunt, quin Pater sit verum principium potens generare Filium; & similiter de Patre, & Filio relativè ad Spiritum S: ergo. Hinc à ratione: Persona producens verè producit: ergo habet veram rationem, qua verè producit; sed hæc vera ratio ad verè producendum est, quod intelligitur nomine veræ potentiæ productivæ: ergo. Præoccupatur responsio: testimonia Patrum, & Conciliorum sunt expressè de principio, & non solùm de

processionibus activis; ita ut non solùm sint veræ generatio, & spiratio activæ, sed etiam vera principia generativum, & spirativum. Audiatur Lugdunense generale cap. de summâ Trinit. in 6: *fatemur, quòd Spiritus S. æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit.* Audiatur Augustinus 5. de Trinit. c. 14: *Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Ergo in divinis non solùm est vera generatio, & vera processio, sed & verum principium generativum, & verum principium spirativum: ergo &c.

119 Dices. 1: actus perfectè purus excludit potentiam; sed principia productiva ad intra sunt in Deo actus perfectè puri: ergo excludunt potentiam. 2: idem est Deum posse generare, ac posse esse Patrem; sed nulla est potentia nisi logica, ut sit Pater: ergo nulla est potentia nisi logica, qua possit generare. 3: vera potentia productiva est ad actum producendi; sed in Deo non est vera potentia ad actum producendi ad intra: nam iste actus est processio activa identificata realiter cum principio: ergo nec in Deo est potentia vera productiva ad intra. 4: nulla est vera potentia (physica, & realis) in Patre ad constitutivum sui; sed generare est constituti-

vum

vum Patris: ergo nulla est in Patre vera potentia ad generandum.

120 Ad 1: actus perfectè purus excludit potentiam ad intra non identificatam cum actu, aut cui possit actus deficere; neutrum autem convenit potentiæ verè productivæ ad intra: nam cum ipsis principijs identificantur activæ processiones, ut dictum est à num. 12. & potentia ad intra exercetur necessariò simpliciter. Hinc lucem accipit illud D. Cyrilli lib. 2. dialog. de Trinit, *Pater nunquam fuit potentiâ Pater, nec potentia ad generandum Filium*: hoc est, Pater semper fuit Pater, ac semper genuit Filium. Ad 2: non est eadem potentia posse esse Patrem, ac posse generare: posse enim generare est ad terminum generatum; posse autem esse Patrem est ordo logicus ad id, quod dicit ordinem realem ad terminum generatum. Clariùs: esse Patrem est identificari cum Paternitate; generare est producere Filium: ergo potentia ad esse Patrem est logica, & ad terminum indistinctum; potentia autem generandi est physica ad terminum realiter distinctum. Ad 3: vera potentia producendi est ad actum producendi vel formaliter, vel terminativè; proinde licèt in Deo non sit potentia, quæ sit physica respectu actûs notionalis activi, est tamen vera potentia productiva termini: si enim identitas

cum principiatione non obest ad rationem veri principij, neque oberit ad rationem veræ potentiæ productivæ. Nota: licèt potentia non sit physica ad generationem activam ob defectum realis distinctionis, nihilominus dicitur simpliciter *vera potentia generandi*; quia ad rationem veræ potentiæ generandi sufficit, quòd sit ad terminum distinctum ab actu generandi. Ad 4: generare activè sumptum est constitutivum Patris, non tamen passivè, & terminativè acceptum: unde solùm habetur, quòd in Deo non sit vera potentia (physica) ad actum notionalem activum; non autem, quòd non sit ejusmodi potentia ad terminum istiusmodi actùs. Observa: hæc potentia productiva ad intra dicitur *activa*, sed non propriè: nam potentia activa, sicut effectiva, aut causativa connotat essentialiter limitationem in termino: igitur *potentia divina nullo modo passiva est, nec etiam verè activa, sed superactiva*, concludit D. Thomas in 1. dist. 7. q. 1. a. 1. ad 3.

121 Conclusio. Principium *quo* proximum productivum ad intra formaliter adæquatè in solo prædicato relativo consistit: nempe principium *quo* proximum generandi consistit in solà Relatione Paternitatis, & principium *quo* proximum spirandi in solà Relatione Spiratoris. Dictum est *principium*

quo

quo *proximum*; quia natura divina, quatenus est intellectus,& voluntas, est principium *quo* radicale, seu formale remotum. Non equidem quia producat realiter principium *quo* proximum; sed quia essentia divina est prima ratio, quare existat ejusmodi proximum principium: ex infinità namque perfectione, & fœcunditate divinæ naturæ est in Patre virtus generandi, & in Patre, Filioque virtus spirandi. Conclusionem cum D.Bonaventurà tenent multi Theologi, quos citatos sequuntur Platellius, Herrera, & R. P. Thyrsas tom.2. selectar. d.10. Opposita sententia bipartitur: nam Scotistæ, & Thomistæ communiter tenent principium *quo* productivum consistere in absoluto, connotato relativo; at Nostrates communiter docent principium ejusmodi compleri essentialiter per absolutum, & relativum: ut expresse asserunt Suarez, & Vazquez in hoc convenientes, ut potentia generandi non sit communis simpliciter loquendo, ac proinde quòd simpliciter includat relativam proprietatem.

122 Prob. conclusio. Inter principium *quo* proximum, & terminum productum productione reali debet esse realis distinctio; sed in Patre, qui est principium *quod*, nihil distinguitur realiter à Filio producto productione reali, nisi Paternitas: ergo in Patre nihil est prin-

principium *quo* proximum productivum nisi Paternitas : ergo principium *quo* proximum productivum ad intra formaliter adæquatè in solo relativo consistit. Consequentiæ bonæ sunt, minor certa, & major suadetur: quia ratione principij *quo* debet principium *quod* distingui realiter à termino producto. Ratio: quia principium *quo* est virtus producendi, ac potentia productiva, quæ verè, & propriè influit in terminum; ipsum verò principium *quod* non nisi denominativè, & ratione virtutis productivæ est influens, & producens. Rursus : principium *quo* proximum realiter influit per se ipsum, & immediatè in terminum productum; est enim reale principium termini, quia influit in terminum: non denominativè ab alio influente; cum non supponat aliud principium realiter influens, à quo possit denominari: ergo principium *quo* proximum per se ipsum, & immediatè influit realiter. Jam sic: virtus productiva debet esse distincta à termino realiter producto, sive sit adæquata, sive inadæquata; cum nihil possit esse aut totaliter, aut partialiter principium reale sui ipsius productivum. Sed in divinis principium *quo* proximum est virtus ipsa productiva: ergo debet esse realiter distinctum à termino realiter producto : ergo nec adæquatè, nec inadæquatè consistit in absoluto, sed unicè consistit in relativo.

Conf.

123 Conf. probatio. 1: Relatio producentis, & producti immediatè, & per se opponit immediatum, & formale producens immediato, & formali termino producto: ergo distinguit immediatum, & formale producens à termino immediato, & formali producto; sed sola proprietas relativa Personę producentis distinguitur à termino immediato, & formali producto: ergo sola illa proprietas est immediatum, & formale producens. 2: terminus formalis per se, & immediatè productus est sola Relatio Personę productæ, quia productum necessariò distinguitur à producente; sed æquè necessariò distinguitur producens à producto: ergo principium formale per se, & immediatè producens est sola Relatio Personæ producentis. 3: in divinis distinctio fundatur in productione: ergo illud immediatè, & per se producit, quod per se, & immediatè distinguit; est enim principium distinctionis, in quantum est productionis principium. Sed sola proprietas relativa Personæ producentis est, quæ per se, & immediatè distinguit: ergo & quæ per se, & immediatè producit.

124 Respondebis. Nimis probatur: probatur siquidem principium *quo* radicale, seu formale remotum debere distingui à termino producto. Contrà: principium *quo* ra-

dicale ideo non distinguitur à termino, quia per ipsam productionem communicatur termino; quidquid autem communicatur, identificatur realiter. Sed principium *quo* proximum productivum non communicatur termino: alioqui in Filio esset principium *quo* proximum generandi se ipsum; *omnia* autem, *quæ habet Pater. sunt Filij, solà gignendi vi exceptà*, inquit D. Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus inter principium, & medium: ergo. Respondebis iterum: principium *quo* proximum non debet distingui realiter à termino; sufficit enim, quòd generatio activa, hoc est Paternitas, distinguatur à passivâ, hoc est, à Filiatione. Contrà: generatio activa distinguitur realiter à termino; sed major est necessitas distinguendi principium *quo* proximum productivum, quàm productionem activam: nam in creatis productio activa potest identificari cum termino, terminus autem non potest identificari cum principio *quo* proximo productivo: ergo. Respondebis demum: infinitas facit, quòd prædicatum absolutum possit esse principiū *quo* proximum, non obstante identitate reali cum termino; qui quidem realiter distinguitur à productione activâ, quæ est Relatio Personę producentis. Contrà: per infinitatem non impeditur, quod essentiale est productioni reali, ni-

mirum

mirum realiter distinguere producens à producto, quod necessarium est non solùm relativè ad principium *quod*, sed maximè relativè ad principium *quo*, ut probatum est. Rursus: eodem modo dici posset, quòd ratione infinitatis non est necessum, terminum formalem immmediatè productum distingui realiter à principio; hoc admitti non potest: ergo &c.

125 Appendix. Principium *quo* formale, & proximum communicativum ad intra in solo prædicato absoluto consistit. Sic ferè omnes, qui principium *quo* proximum productivum in solo relativo situm esse defendunt, dissentiente Platellio, qui tenet non esse hìc distinguendum principium communicationis essentialium à principio productionis termini notionalis. Doctrina data prob: nam sicut virtus, qua producitur terminus, non potest esse eadem cum termino, sic vice versà virtus, qua communicatur idem, non potest non esse eadem cum communicato; sed solùm quod est absolutum, est idem cum communicato: ergo virtus, seu principium formale *quo* communicativum in solo prædicato absoluto consistit. Necessum est id, quod communicat, distingui ab eo, cui communicatur; sed virtus, *qua* communicat, seu qua est potens communicare, nequit esse aliud, quàm id ipsum, quod communicatur; hoc est, debet esse unum, idem-

idemque in utroque supposito, & in eo, quod communicat, & in eo, cui communicatur. Oritur 1: processio divina non completur adæquatè per productionem, quatenus præcisè productio est. Ratio: quia generatio divina (idem de spiratione) respicit terminum, qui non solùm debet habere esse distinctum, sed etiam idem esse in naturâ generantis; sed productio *qua* præcisè talis tantùm respicit esse distinctum: ergo generatio aliquid addit supra productionem *qua* precisè talem: addit, inquam, communicationem naturæ. Oritur 2: principium *quo* adæquatum processionis divinæ complectitur absolutum, & relativum. Ratio: quia generatio divina ut divina (idem de spiratione) includit productionem termini, & communicationem naturæ: ergo est ab utroque principio & productivo, & communicativo: ergo principium *quo* adæquatum complectitur &c.

126 Dices. 1: in divinis principium productionis est per se productivum termini per se consubstantialis producenti: ergo principium productionis est formaliter principiũ communicationis; hæc enim non est aliud, nisi identificatio termini producti cum producente quoad essentialia. 2: si principium formale *quo* communicativum stat in absoluto, in singulis Personis est tale principium; hoc

dici

dici nequit: aliter Spiritus S. esset formaliter potens proximè communicare naturam divinam: ergo principium formale *quo* communicativum non stat in absoluto. 3: sequitur non distingui principium *quod* processionum divinarum à principio *quo*: nam principium *quo* ut communicativum dicit absolutum, ut productivum dicit relativum; sed principium *quod* includit solùm absolutum, & relativum: ergo.

127 Ad 1. conc. ant. nego cons; cujus adjuncta prob. nulla est. Communicatio est quidem identificatio quoad essentialia; productio deinde termini consubstantialis producenti affert inseparabiliter identificationem, & communicationem: sed sicut productio formaliter quà talis non est identificatio, sed habet pro termino formali solam Relationem, sic principium formale productionis non est formale principium identificationis, seu communicationis. Ad 2. conc. maj. nego min: sicut enim quia essentia est communicabilis, & virtuale principium Paternitatis, in omnibus divinis Personis est ejusmodi terminus communicabilis, & ejusmodi virtuale principium; sic quia principium formale *quo* communicativum situm est in absoluto, in omnibus divinis Personis est tale communicativum principium. Ad prob. min. negatæ nego se-

sequelam : licèt enim in Spiritu S. sit principium formale communicativum *quo*, non ideo Spiritus S. est potens proximè communicare naturam divinam ; nam capax non est hujus denominationis : virtus siquidem communicativa unicè tribuit suam denominationem suppositò potenti producere terminum, cui communicetur natura. Sic eadem essentia in Patre, & Filio est *ulteriùs* communicabilis, in Spiritu S. *non* est *ulteriùs* communicabilis: sic etiam eadem essentia in *Patre radicat* Paternitatem, & illam *non radicat* in alijs Personis: ergo similiter discurrendum de principio formali *quo* communicativo. Ad 3. conc. maj. in sensu reali, illam nego in sensu formali, & cadit prob. adjuncta. Principium *quod* adæquatum divinarum processionum supra relativum addit absolutum, naturam scilicet, ut est adæquatè plenitudo essendi ; principium *quo* supra relativum addit absolutum, sed secundùm inadæquatum ; quia nimirum addit intellectum, & voluntatem ut *principia* communicativa, intellectionemque, & volitionem ut formales *communicationes*.

SECTIO X.

A solutione argumentorum firmatur conclusio.

128 Arg.1. Si principium *quo* proximum productivum ad intra non stat in solo

solo absoluto, potentia generativa non est in Filio (idem de Spiritu S.) Hoc dici non potest; aliter Filius non haberet æqualem potentiam cum Patre, non esset æquè potens, ac proinde non esset æqualis Patri, ut errabant Ariani: ergo. Conf. ex D. Augustino lib. 3. contra Maximin. c. 12: *absit, ut ideo sit potentior Pater Filio, quia genuit Pater, Filius autem non genuit, neque enim non potuit, sed non oportuit*: ergo in Filio est potentia generativa: ergo &c.

129 Resp. conc. maj, neg. min. Dist. 1. prob: Filius non haberet æqualem potentiam absolutam, nego; æqualem potentiam Patris, subdistinguo: non haberet æqualem formaliter potentiam, concedo; æquivalenter, nego: quia potentia Filij, ut generetur, est æqualis perfectionis cum potentia Patris, ut generet. Similiter dist. 2. prob; & nego absolutè sequelam ab Arianis intentam: quia, ut Filius sit æqualis Patri, non requiritur, quòd habeat potentiam generandi, sicut non requiritur, quòd actu generet; sed sufficit, quòd habeat eamdem Omnipotentiam, & quòd quantum ad potentiam propriam Patris illam habeat æquivalenter; quatenus æqualis perfectio est in Patre dare essentiam, atque est in Filio illã accipere. Ad conf. dico ex Augustini verbis non solùm inferri, quòd in Filio sit potentia generativa, sed & quòd *potest generare*, quod

est

est aperte falsum: quare exponendus est ille textus, ut exponitur à D. Thomà quæst.9. de pot. a.9. ad 1: *hoc, quod dicit Augustinus, non quia non potuit, sumatur privativè, non simpliciter negativè*: hoc est, cum dicitur Filium non posse generare, non affirmatur privatio, quę redderet imperfectum Filium; esset enim negatio alicujus perfectionis aliquo titulo ipsi debitæ, aut convenientis: sed tamen est pura negatio, & hanc affirmat Augustinus per illa verba, *sed non oportuit*; *in quo significat, quòd sequitur inconveniens*, prosequitur D. Thomas. Hoc inconveniens est, ait D. Augustinus ibidem, quòd *immoderata esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patris.* Hoc inconveniens est essentialis repugnantia: ergo rectè in sensu simpliciter negativo dicitur, quòd *Filius non potest generare*: ergo ex Augustino non est fundamentum ad admittendam in Filio potentiam generativam.

130 Arg. 2. Quamvis principium *quo* productivum sit ratio formalis distinguendi principium *quod* à termino, non ideo debet ipsa esse distincta à termino; sed hinc maximè probaretur principium *quo* proximum non stare in solo absoluto: ergo. Prob.major: non minùs repugnant duo verè similia sine veri distinctione, quàm producens, & productum sine

ſine verà diſtinctione; ſed tamen poſſunt duo eſſe verè ſimilia, licèt forma aſsimilandi à neutro diſtinguatur; eadem quippè numero divina natura eſt ratio formalis *quę* aſsimilandi Patrem cum Filio: ergo & ſtat ratio formalis *quæ* producendi, quæ à producente, & producto non diſtinguatur; principium autem *quo* proximum productivum eſt forma, ſeu ratio formalis *quæ* producendi: ergo.

131 Reſp.neg.maj.Ad prob.conc.præmiſsis, nego conſ.ob manifeſtam hanc diſparitatem. Similitudo eſt convenientia duorum in formà: unde quò perfectior fuerit convenientia, eò erit perfectior ſimilitudo; & quoniam Perſonę divinę conveniunt per identitatem in eàdem numero naturà, ideo habent ſummam ſimilitudinem. At ſimilitudo non eſt ratio diſtinguendi, ſed potiùs ſupponit diſtinctionem inter ſubjecta ſimilia: ſeu, quod idem eſt, ſimilitudo eſt relatio prædicamentalis afferens convenientiam duorum, quæ aliunde diſtincta ſupponuntur. Ratio conveniendi debet eſſe in utroque extremo; &, ſi ſimilitudo eſt ſumma, ratio conveniendi debet eſſe una numero, & ab utroque extremo habita per identitatem: unde ratio formalis aſsimilandi à neutro extremo debet eſſe diſtincta. E converſo, ratio *quæ* producendi non ſupponit, ſed cauſat diſtinctionem inter prin-

ci-

cipium, & terminum: tùm quia ratio *quæ* producendi verè, & propriè per se ipsam, & immediatè influit in terminum; tùm etiam quia ratio *quæ* producendi est immediatum, & proximum fundamentum relationis realis producentis, & producti, quę immediatè, & per se opponit immediatum, & formale producens termino formali, & immediato producto: unde stare non potest, quòd ratio formalis *quę* producendi sit indistincta realiter ab utroque extremo producente, & producto. Alio modo: quòd ratio conveniendi unum cum alio possit identificari cum utroque, non probat, quòd ratio differendi unum ab alio possit esse indistincta ab utroque; sed ratio *quæ* assimilandi est ratio conveniendi unum cum alio, ratio autem *quę* producendi est ratio differendi unum ab alio: ergo.

132 Arg. 3. Principium *quo* in productione univocà perfectissimà debet identificari cum termino producto; sed in divinis processio est productio univoca perfectissima: ergo principium *quo* debet identificari (& quidem summè per identitatem adæquatam) cum termino producto: ergo. Prob. major: quia producens univocum intendit assimilare sibi terminum in principio *quo*; magis autem assimilabitur, si forma sit eadem in utroque. Additur: quando productio est univoca, &

na-

natura non producitur, sed communicatur, non est, cur principium *quo* debeat distingui à termino; sed productio ad intra est univoca, & natura non producit, sed communicatur: ergo.

133 Resp. neg. maj: quia principium *quo* est ratio distinguendi principium à termino; quòd productio sit univoca, non potest facere, quòd sit ratio identificandi id, quod est ratio distinguendi. Ad prob. nego maj: neque enim principium *quod* intendere potest assimilare sibi terminum per identitatem in illà formà, quæ est ratio distinguendi. Conf. solutio: nam productionem esse perfectissimè univocam in eo stat, quòd eadem sit natura termini, & natura principij; ad hoc autem non requiritur, quòd principium *quo* sit indistinctum à termino. Urgetur in principijs Thomistarum, quorum est argum: juxta ipsos principium, *quo* ignis univocè producit ignem, non est forma, sed calor; productio est substantialiter univoca: ad quod sufficit, quòd ignis intendat assimilare sibi effectum in principio *quo* remoto. Ergo productionem ad intra esse univocam solùm postulat, quòd detur similitudo in principio *quo* remoto; & quòd sit summè univoca, solùm postulat principium *quo* remotum (hoc est naturam) esse idem numero in termino pro-

ducto, & in principio producente. Ad addit. neg. major : nam quòd absoluta non producantur, sed communicentur, non probat principium *quo* productivum posse esse indistinctum à termino; imò oppositum probatur: quia sicut terminus formalis per se productus est sola Relatio, quoniam productum necessariò distinguitur à producente, sic principium formale per se producens debet esse sola Relatio, quoniam æquè necessariò distinguitur producens à producto. Sed instando

134 Arg. 4. Principium, *quo* Pater generat, est communicabile; sed solùm absoluta sunt communicabilia: ergo principium, *quo* Pater generat, stat in solo absoluto. Major prob. ex Joanne Theologo in Concil. Florent. f. 18. non renuentibus Patribus asserente: *principium, quo Persona generat, est id, quod solùm communicabile est.* Conf: non implicat, quòd aliquid se ipsum verè producat, si aliunde supponatur existens; & sic poterit esse principium *quo*, & *quod* sui ipsius: ergo multo minus implicabit, quòd natura divina realiter à termino producto indistincta sit ejus principium *quo*; maximè cum productio, quę est ipsa Paternitas, sit realiter distincta à termino producto.

135 Resp. neg. maj. de principio *quo* proximo quatenus productivo. Ad prob. ac-

ci-

cipio dictum illud de principio *quo* remoto, & radicali, & de principio *quo* formali communicativo. Sed omisso, quòd accipiatur de principio *quo* proximo productivo, notetur discrimen harum propositionum, *principium*, quo *Persona generat, est id, quod solùm communicabile est*, nempe est natura, quæ solùm est communicabilis, & *principium* quo *Persona generat, solùm est id, quod communicabile est*. 1. est illius celebris Theologi; 2. est falsa, & non infertur ex illà: unde non habetur, quòd principium *quo* stet in solo absoluto, & sit simpliciter communicabile. Ad conf. In primis nimis probatur, nimirum ex processione Filij à Patre non inferri infallibiliter distinctionem; nam possibile admittitur, quòd idem possit à se ipso verè, & realiter producere. Jam quomodo convincetur, qui cum Sabellio diceret idem suppositum esse Patrem, & Filium, Patrem quatenus producens, Filium autem quatenus productum? Oppositum docet Fides; sed quatenus ex Scripturis constat in divinis esse veras, & reales processiones: unde de conceptu verę, & proprię processionis est distinctio producentis à producto. Deinde omittatur ant, & negetur conf. Ratio: quia non aliter potest admitti in creatis, quòd idem possit producere se ipsum, nisi per actionem 2. supponentem 1. aliam adæquatam:

& sic actio sui ad se est essentialiter superflua quantum *ad produci* termini, licèt non quantum *ad producere* principij. Sed in divinis implicat actio essentialiter superflua quantum *ad produci* sui termini, ut est evidens: ergo implicat in divinis virtus productiva ad se. Si dicas actionem productivam non fore superfluam quantum *ad produci*, nam terminus supponeretur in divinis existens, non tamen productus; contrà: nam actio, quæ supponit terminum existentem, licèt non sit essentialiter superflua, in quantum nihil per ipsam produceretur, esset tamen absolutè superflua: cum utilitas actionis in eo stet, quòd sit via, ut existat terminus; sed implicat in divinis productio absolutè superflua: ergo. Quod additur in conf. de distinctione productionis à termino, vim non habet: nam major est necessitas distinguendi principium *quo* proximum productivum à termino, quàm distinguendi ipsam productionem, ut notatum fuit num. 124.

136 Arg. 5. Hæc sunt certa ex Patribus, *divinam naturam esse generatricem virtutem, inexhaustam fœcunditatem: Patrem ex sua essentia generare Filium: Patrem, & Filium ex sua essentia emittere Spiritum S.* Audiatur D. Dionys. de divin. nomin. c. 2. post med, ubi asserit *Patrem quidem esse, ut ita dicam, fontanam*

nam divinitatem; Iesum autem, & Spiritum fœcundæ divinitatis, si ita fas est loqui, gemma, seu germina à Deo prodeuntia. Ergo principium *quo* productivum ad intra saltem inadæquatè consistit in absoluto. Conf. ex Joanne Theologo in Concil. Florent. citatà sess. 18. § *Dixi*, ubi hæc asserit: *divina substantia non quidem generat, sed est principium, quo Pater generat*; et: *Patris Persona est generans, divina verò natura principium, quo generatio fit*: ergo &c.

137 Resp. neg. conf: ea omnia, quę dicunt Patres, accipiuntur tùm de principio *quo* remoto, & radicali productivo, tùm de principio *quo* formali, & proximo communicativo: nam sicut principium *quo* formale, & proximum productivum distingui realiter debet à termino formaliter producto; sic vice versà principium *quo* radicale productivum, & principium *quo* formale communicativum debet esse idem & cum producente, & cum producto. Constat hinc ad textum D. Dionysij; ad textus autem desumptos ex Florent, qui non sunt Conciliares decisiones, sed sensus unius Theologi præstantissimi, non dissentientibus Concilij Patribus, eadem est responsio. Hæc firmatur: nam idem Doctor s. 19. asserit: *hæc communis substantia, quam in Patre protulimus esse, causa est, & principium, quod*

per generationem communicatur. Ergo divina ſubſtantia hoc quidem ſenſu eſt principium, *quo* Pater generat, & principium, *quo* generatio fit, in quantum eſt principium, *quod* per generationem communicatur; id autem habet, in quantum eſt principium *quo* radicale productivum, & in quantum eſt principium *quo* formale communicativum. Inſtas: particula *ex* in divinis non ſignificat cauſam materialem, neque efficientem: ergo ſignificat principium productivum; ſed juxta Patres Pater æternus ex ſuâ eſſentiâ generat Filium, Pater, & Filius ex ſuâ eſſentiâ emittunt Spiritum S: ergo. Conc. ant, nego conſ. de principio *quo* proximo productivo: nam Patrum propoſitiones eò reſpiciunt, ut adſtruant conſubſtantialitatem; & hoc ſalvatur, in quantum eſſentia pertinet ad principium *quod*, & eſt principium *quo* radicale productivum, inſuperque eſt principium *quo* formale communicativum. Hoc, et nil aliud aſſeruit Joannes Theologus in Florent. ſeſ. 18. § *Eſſe, & eſſentia* dicens: *qui ex Patre dicit, Patris etiam eſſentiam intelligere debet*: præpoſitio *ex* proceſſionem à principio conſubſtantiali ſignificat.

138 Arg. 6. D. Thomas expreſsè tenet principium *quo* proximum productivum ad intra conſiſtere in abſoluto, & relativo. In diſp.

disp. de pot. q. 2. a. 2. corp. inquit: *potentia generandi simul essentiam, & Notionem significat*; Item opusc. 72. de concord. à n. 80. inquit: *potentia ex æquo significat essentiam, & Relationem.* Sic concordat Angelicus sententias, quas variis in locis tenuerat, docens jam principium *quo* esse solam essentiam, & jam esse solam proprietatem. Urg. à ratione: principium *quo* productivum ad intra dicit & distinctionem à termino formaliter producto, & esse univocum; ad 1. requiritur Relatio, ad 2. requiritur essentia: si ab alterutro præscindatur, aut non intelligetur principium esse productivum, aut non intelligetur esse ad intra.

139 Resp. neg. assumptum. Angelicus in 1. dist. 7. q. 1. a. 2. ait: *essentia secundum quod est ipsa Paternitas, est principium hujus actus, quod est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur: unde principium generationis est essentiale sub ratione Relationis.* Addit in respons. ad 3: *in Patre est principium operationis secundum proprietatem Patris, & in Filio secundum proprietatem Filij.* Ergo juxta Angelicum proprietas, & Relatio est id, *quo agitur*, sive est principium *quo* proximum productivum. At, inquis, potentia generandi *ex æquo*, & *simul significat essentiam.* Verum est; sed sensu, quo se explicat Angelicus citat. opusc. de concord. per hæc verba: *essentia est quasi pri-*

mum principium, Paternitas verò proximum: et *potentia ex æquo significat essentiam, & Relationem; imò principaliter ad essentiam, quia essentia communicatur, & hoc pertinet ad naturam principij generationis.* Hinc evincitur essentiam esse quasi primum principium, hoc est, radicale: & esse principale in potentiâ generativâ, in quantum est principium communicativum: non autem evincitur esse principium *quo* proximum productivum, etiam inadæquatum. Ad urg. concess. 1. parte maj, dist. 2: principium *quo* proximum productivum debet esse univocum formaliter, nego: nam debet esse ratio distinguendi principium à termino; debet esse univocum radicaliter, & per exigentiam principij *quo* proximi communicativi, conc. maj, & cadit reliquum. Dices: si essentia non constituit principium *quo* productivum, non potest explicari, quòd sit principium *quo* communicativum: solùm enim supereſt identitas cum termino formaliter producto, & hoc non sufficit; aliter Omnipotentia se communicaret Immensitati, & reliquis divinis perfectionibus. Occurro; ad rationem principij *quo* communicativi non sufficit identitas; sed insuper requiritur, quòd radicet principium *quo* productivum, & quòd ex parte hujus se teneat ad productionem termini; quod competit essentiæ relativè ad

Pat-

Personas productas, & non convenit prædicato absoluto relativè ad aliud prædicatum absolutum. Sed instando

140 Arg. 7. Filius ex ratione Verbi est operatio intellectùs; Spiritus S, qui est pondus amatorium, est operatio voluntatis: ergo procedere debent à potentijs intellectivà, & volitivà; sed sola Relatio non est ejusmodi potentia: ergo. Conf: ideo visio Dei debet oriri à potentià vitali, quia est vitalis, & à principio supernaturali, quia est supernaturalis; sed Filiatio est terminus productus, & est operatio intellectùs: ergo quia productus, debet procedere à potentià realiter distinctà, & quia operatio intellectùs, debet oriri à potentià intellectivà. Additur. 1: Paternitas erit principium æquivocum Filiationis: sunt enim rationis diversæ; omne autem principium æquivocum, continens adæquatè terminum, ipsum continet eminenter, ac proinde est perfectius ipso termino: quod dici non potest de Paternitate comparatà ad Filiationem. 2: potentia productiva ad extra erit perfectior, quàm productiva ad intra: nam hæc erit sola Relatio; illa autem erit divina essentia simpliciter infinita in totà latitudine entis. Sequela est absurda: ergo &c.

141 Resp. concef. ant, dist. conf: ergo procedere debent à potentijs intellectivà, & vo-

volitivà ut à principio *quo* formali communicativo, concedo; ut à principio *quo* productivo, subdist: ut à principio *quo* radicali, conc; ut à principio *quo* formali, & proximo, nego conf, & cadit reliquum. Constat solutio ex dictis, & confirmanda venit ex notatis à num. 29. ad n.36. Ad conf. concef. maj, & 1. parte min, dist. 2: Filiatio in divinis est operatio intellectùs ab hoc realiter indistincta, conc; ab hoc realiter distincta, nego min. Conc. deinde 1. conf. partem, & 2. dist: ergo debet oriri à potentiâ intellectivà ut à principio *quo* radicali, & formali communicativo, conc; ut à principio *quo* formali, & proximo productivo, nego conf. Ad 1. addit. Ut productio sit univoca, satis est, quòd terminus productus evadat ejusdem essentiæ, ac naturæ cum principio producente; quod salvatur in productionibus divinis ad intra: quamvis principium *quo* proximum, & terminus formalis productus sint ipsę Relationes, diversę quidem rationis individualis, sed habentes eamdem naturam divinam. Paternitas non continet formaliter Filiationem, sed neque eminenter, sed solùm illam continet æquivalenter, seu virtualiter: tantundem enim perfectionis est in Filio *posse generari*, atque in Patre est *posse generare*. Negetur absolutè illa propositio, *omne principium æquivocum, continens adæquati*

ter

terminum, ipsum continet eminenter; vel, si placet, omittatur de principio æquivoco in naturâ, & negetur de principio æquivoco penes individuationem, ut est principium *quo* proximum productivum in divinis. Ad 2. addit. Principium *quo* productivum ad intra est realiter æquè perfectum ac Omnipotentia; in sensu autem formali distinguendum est: vel enim attenditur Omnipotentia secundùm quod est realiter virtualiter tota essentia divina, vel secundùm quod formaliter est tale attributum? In 1. sensu non gravabor concedere principium *quo* productivum ad intra non esse formaliter æquè perfectum ac Omnipotentia; & sic aliud non conceditur, nisi Relationem non esse formaliter æquè perfectam, ac est tota essentia divina. In 2. sensu dico principium *quo* productivum ad intra esse perfectius Omnipotentiâ formaliter ut tali: nam sicut Omnipotentia radicatur in plenitudine essendi, quam ad extra diffundit, sic Paternitas in plenitudine essendi, quam ad intra (quasi efficienter) communicat: & insuper terminus formaliter productus ad intra infinitè excedit terminos producibiles ad extra.

142 Arg. 8. Personalitas non est ratio operandi: ergo principium *quo* productivum ad intra non stat in solo relativo. Ant. constat in creatis, in quibus personalitas est solùm con-

conditio ad operandum, & constitutivum principij *quod*; & à ratione suadetur: nam si Deus produceret alium Deum naturà distinctum, id præstaret per suam naturam, & per Deitatem ut per principium *quo*: ergo Pater generat Filium per suam essentiam ut per principium *quo*. Urg. ab absurdo: nam si in solo relativo stat principium *quo* productivum ad intra, hæc esset vera propositio, *Paternitas generat*: operatio siquidem verè prædicatur de principio *quo*; cõsequẽs est falsum: ergo &c.

143 Resp. neg. ant; cujus falsitas constat ex hucusque dictis, & ostenditur ex Patribus. Athanasius dialog. 1. de Trinit. inquit: *Pater hypostasi gignit, & mandato creat.* Ambrosius 4. de Fide c. 4: *generatio paternæ proprietatis est, non potentiæ.* Si dicas Patrem hypostasi generare, tanquam conditione, & complemento; contrà est manifesta authoritas Epiphanij hæresi 73. prope med. dicentis: *vox* Pater *plus est, quàm nomen ingeniti: in ingenito enim non appàret potentia Patris*; sed Pater supra ingenitum addit solùm hypostasim, & proprietatem: ergo Pater hypostasi non solùm ut conditione, & complemento, sed ut potentiâ, & virtute generat. Insuper: eodem modo dici posset, Pater hypostasi intelligit, vult, & creat: nam ad hæc omnia est hypostasis conditio, & complementum; & si-

mi-

militer dici posset, homo hypostasi generat, intelligit, movetur: quæ sunt impropriſsimæ prædicationes. Ergo illæ propositiones Patrum in sensu proprio intellectę (ut debent intelligi) inferunt hypostasim, & proprietatem Patris esse virtutem, & potentiam ad gignendum. Paritas desumpta ex creatis valet nihil: tùm quia in creatis natura principij producentis est distincta à naturâ termini producti; & ideo natura potest esse virtus agendi, contrarium autem est in divinis: tùm etiam quia eàdem paritate probaretur origines in divinis distingui à Relationibus, sicut in creatis actiones distinguuntur à suppositalitatibus. Ad rationem paritati adjunctam dico hypothesim esse implicatoriam in adjecto; si enim Deus produceret alium Deum naturâ distinctum, nec Deus esset producens, nec Deus esset productus: cum Deus sit essentialiter unus. Omissâ hypothesi, tunc cum distinctione veniret virtus: unde modò non solùm deficit distinctio, sed & virtus; cum sit implicatoria virtus sui ad se producendum.

144 Ad urg. concedunt aliqui sequelam, & negant falsitatem, aut absurditatem: quia, inquiunt, in hac propositione *Paternitas generat* affertur id, quod affertur in recto in istâ aliâ *Pater generat*; actus autem potest verificari de eo, quod principium importat in

rec-

recto. Sed meliùs negatur ſequela : nam generatio & eſt productio termini, & communicatio naturæ : unde ſolùm prędicatur de principio adæquato & formaliter productivo, & formaliter communicativo ; ſubindeque licèt de Paternitate prædicetur, quòd *producit*, non prædicatur, quòd *generat*. Hic nota: iſta propoſitio *Paternitas generat* non habet contra ſe ullam Concilij deciſionem ; per oppoſitum eſt definitum in Later. ſub Innocentio III, & habetur cap. *Damnamus* de ſummà Trinit: *ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina non eſt generans, neque genita, neque producens.* Ex quo ſic : ſed eſſet producens, ſi eſſet principium *quo*, maximè ſi eſſet adæquatum: ergo eſſentia divina non eſt principium *quo* productivum. Ulteriùs : quia eſſentia divina non eſt *genita*, neque inadæquatè eſt terminus formaliter productus : ergo quia non eſt *generans*, neque inadæquatè eſt principium *quo* formaliter productivum: ergo &c.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINIS PERSONIS.

SECTIO I.

Divinarum Personarum constitutivum.

1 SUnt Theologi optimę notę, qui Personas divinas esse in recto hypostases, connotatà essentià, docuere; quos sequitur Granado tract. 4. d. 3. Communissimus tamen sensus est, ut Persona divina accipiatur concretè, prout claudit naturam, & hypostasim, sive subsistentiam incommunicabilem. Hinc admittitur constitutio in Personà divinà ex essentià, & proprietate; quæ constitutio hoc sensu est realis, quatenus Persona divina realiter, & in se est natura divina, & realiter, & in se est hypostasis, & personalitas. Sed tamen ejusmodi constitutio est fundamentaliter secundùm rationem ante operationem intellectùs, & formaliter post hanc operationem: nam solùm fundamentaliter est distinctio inter essentiam, & personalitatem in se ipsis; & post operationem intellectùs est distinctio actualis.

2 Itaque de essentià summà constituente

te divinas Personas nihil hìc occurrit disputandum, & difficultas devolvitur ad constitutivum, quo essentia determinatur ad Personam. Istud constitutivum est proprietas, & distinctivum uniuscujusque divinarum Personarum. Canit Ecclesia: *ut in Personis proprietas, & in essentiâ unitas, & in majestate adoretur æqualitas.* Definit Lateranen, & habetur cap. *Firmiter* de sum. Trinit: *hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam individua, & secundùm personales proprietates discreta.* Malè propterea audiunt Præpositivus, & Gregorius negantes in divinis Personis proprietates, & asserentes divinas Personas se ipsis distingui absque ullis proprietatibus ipsas cum divina naturâ constituentibus. Istorum sensum catholicum esse non dubito; loquendi modum rejicio. Videatur Granado tract. 12. d. 1.

3 Cum igitur divinæ Personę proprietatibus constituantur, & distinguantur, decidendum supereſt, an istę proprietates sint absolutæ, an verò relativæ? Guillielmus Parisiensis, & pauci alij antiqui, quos inter Joannes de Rippis, dixère proprietates divinarum Personarum esse modos quosdam absolutos. Horum sententiam à censuris redemit, & multis argumentis contendit esse probabilem Subtilis Scotus in 1. dist. 26. q. 1. Contraria sen-

sententia est ferè omnium Theologorum cum Angelico, & Discipulis. Sed ne de voce disputemus, diligenter notandum hoc est: Theologi plures, qui constituunt Personas per proprietates relativas, in istis distinguunt duos conceptus: alium, quo proprietas est forma hypostatica complens naturam; alium, quo refert Personam ad Personam. Dicunt proprietatem secundùm conceptum præscindentem à relativo esse constitutivam divinarum Personarum. Alij Theologi docent in proprietate relativà distingui formaliter conceptum originis à conceptu Relationis. Dicunt divinas Personas constitui per proprietates relativas non secundùm conceptum Relationis, sed secundùm conceptum originis. Loquimur de re, hoc est, de proprietate absolutà, quæ realiter virtualiter distinguatur tùm ab essentià, tùm à Relationibus.

4 Conclusio. Divinæ Personæ constituuntur proprietatibus, non absolutis, sed relativis. Prob: omne prædicatum divinum absolutum est commune tribus divinis Personis; sed nulla proprietas est ipsis communis: ergo nulla proprietas est prædicatum absolutum: ergo omnis proprietas est prędicatum relativum: ergo divinæ Personæ constituuntur proprietatibus, non absolutis, sed relativis. Prob. major, quæ sola eget probatione, ex

authoritate. Ex Concilijs sufficiat illud Toletani 11. in profes. Fidei: *in Relatione cernitur numerus, quia in hoc solùm numerum insinuant, quòd ad invicem* (divinæ Personæ) *sunt.* Pro Patribus audiatur Anselmus lib. de proces. Spiritùs S. c. 1: *Relatio sola causa pluralitatis est in Deo.* Ergo quod est absolutum, est pariter commune tribus Personis; aliter non solùm quia ad invicem sunt, nec sola Relatio numerum insinuaret, pluralitatemque causaret.

5 Prob. à ratione, cui innititur commune illud axioma, *in divinis omnia sunt idem, nisi ubi obviat Relationis oppositio.* Multiplicatio oriri non potest, nisi vel ex limitatione, vel ex oppositione; sed in divinis non est limitatio: ergo solùm ex oppositione potest esse multiplicatio in divinis. Atqui inter absoluta non potest esse oppositio contradictoria; hęc enim est inter esse, & non esse ejusdem rei. Rursus, oppositio contraria supponit limitationem in subjecto, ut non possit recipere utrumque extremum; & ideo quia natura divina est illimitata, habet in se per identitatem Paternitatem, & Filiationem distinctas realiter. Denique, absoluta hoc ipso, quòd absoluta sunt, non opponuntur relativè: ergo siquidem proprietates personales multiplicant Personas, ut est certum, eę non consistunt in prædicato absoluto, sed in relativo.

Urg.

6 Urg: distinctio virtualis realis ibi non est agnoscenda, ubi non urget Fides, aut efficax argumentum ex Fidei principijs desumptum. Hanc propositionem nemo cordatus Theologus negabit: nisi enim ea regula statuatur, innumera sequentur absurda, ut constat ex dictis cap. 1. à sect. 4. ubi de distinctione virtuali reali. Atqui nec Fides, nec ex ejus principijs desumptum argumentum cogit pro distinctione reali virtuali proprietatis absolutæ tùm ab essentiâ, tùm à Relatione; hæc verò distinctio vitari non posset, admissâ proprietate absolutâ: ergo hęc admittenda non est. Constabit minor ex solutione argumentorum quoad 1. partem; quoad 2. patet: nam de essentiâ, & proprietate absolutâ verificarentur hęc prędicata oppositа, *essentia communicatur*, *proprietas non communicatur*. Rursus, de proprietate absolutâ, & Relatione verificarētur ista, *proprietas non est realiter respectiva*, *Relatio personalis est realiter respectiva*. Si dicas proprietatem esse realiter respectivam, quoniam identificatur realiter cum Relatione; contrà est: nam essentia realiter identificatur cum Relatione, & tamen non est realiter respectiva; id est, essentia non opponitur relativè ulli divinæ Personæ.

7 Consectarium. Proprietas, constituens divinam Personam, ipsam ab alijs divi-

nis Personis realiter distinguit. Nota sensum consectarij: Paternitas constituit Patrem, ipsumque à Filio distinguit; Filiatio constituit Filium, & est hujus distinctio à Patre: Spiratio activa constituit Patrem, & Filium in ratione unius principij, à quo procedit Spiritus S, & distinguit Patrem, & Filium ab eodem; & per Spirationem passivam distinguitur Spiritus S. à Patre, & Filio. Sensus itaque consectarij est Paternitatem non solùm distinguere Patrem à Filio, sed etiam ab Spiritu S; & similiter Filiationem distinguere Filium ab Spiritu S, & non à solo Patre.

8 Prob. hæc doctrina. Prædicatum realiter intrinsecè per identitatem repertum in uno, & non in alio distinguit unum ab alio. Patet: nam si hoc est realiter, & intrinsecè, & identicè istud; & illud non est istud: ergo hoc non est illud: ergo hoc distinguitur ab illo. Atqui tùm Spiratio activa est in Patre, & Filio, & non in Spiritu S; & insuper in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio, & neutra in Spiritu S: ergo tùm Spiratio activa, tùm Paternitas, & Filiatio distinguunt Patrem, & Filium ab Spiritu S: ergo proprietas constituens divinam Personam, ipsam &c. Sic noster Herrera q.7. sect.3.

9 Objicit Cajetanus. Omne constitutivum distinguit constitutum eà ratione, qua

illud

illud constituit; sed Paternitatis terminus est solus Filius, & Paternitas constituit Patrem in ordine ad solum terminum: ergo solùm distinguit Patrem à Filio: ergo non ab Spiritu S. Similiter probatur Filiationem distinguere Filium non ab Spiritu S, sed à solo Patre. Conf: in divinis non est distinctio, nisi ubi est Relationis oppositio; sed Pater, & Filius opponuntur Spiritui S. per solam Relationem Spirationis activę: solùm enim opponuntur, quatenus producunt Spiritum S, producunt autem per solam Spirationem activam: ergo per hanc solam distinguuntur: ergo non quævis proprietas, constituens Personam, ipsam distinguit ab alijs divinis Personis.

10 Dist. maj: constitutivum distinguit constitutum eà ratione, qua illud constituit, & non est in alio, conc; aliter, nego maj. Atqui Paternitas est in Patre, & Filiatio est in Filio, & neutra est in Spiritu S: ergo utraque constituit, & distinguit Patrem, & Filium à Sancto Spiritu. Ad min. dic. terminum productum à Paternitate esse solum Filium; sed sic Paternitas respicit solum Filium ut productum, ut hæc ipsa Relatio in Spiritu S. non sit; quod sufficit ad nostrum intentum. Discurre similiter de Filiatione. Ad conf. dist. maj: illam conc. de Relatione oppositionis mediatæ, vel immediatæ radicaliter, vel for-

maliter talis; & illam nego determinatè de oppositione immediatà, & formaliter tali: & constat ad reliquum. Sensus est: Paternitas radicat Spirationem activam, quę est immediata Relationis oppositio; unde ipsa Paternitas est mediata, & radicalis oppositio Relationis. Sic autem, ut cum sit formaliter in Patre, non sit formaliter in Spiritu S: ergo est distinctio Patris ab Spiritu S. Quod idem dicendum est de Filiatione.

11 Nota 1. Divinæ Personæ constituuntur Relationibus transcendentalibus de genere productivo, hoc est, Relationibus principij productivi, & termini producibilis. Ratio: nam per id constituuntur, per quod sunt formaliter incommunicabiles ad invicem: est enim ratio Personæ incommunicabilis existentia naturæ rationalis, sive rationalis naturæ individua substantia, ex Boetio, Ricardo, & D. Thomà. Sed divinę Personę sunt invicem incommunicabiles per ejusmodi Relationes *productivi*, & *producibilis*; sunt namque incommunicabiles per id, per quod unaquæque est distincta ab alijs: distinguuntur autem per assignatas Relationes; implicat siquidem Personam esse productivam sui, aut esse producibilem à se ipsa: ergo.

12 Nota 2. Divinę Personæ constituuntur originibus. Ratio: quia id perspicuè docent

cent Patres. Athanasius orat. 5. contra Arian: *ex Patre esse, Filium est esse.* Hilarius 12. de Trinit: *Filius est nativitas.* Damascenus de Nativit. B. Virginis: *gigni est proprietas personalis Filij.* Ergo Personæ divinæ constituuntur originibus. Si dicas: priùs ratione nostrâ intelliguntur Relationes productivi, & producibilis, quàm origines; contrà est: sæpissimè in anteactis probatum est istum ordinem prioris, & posterioris secundùm rationem non obesse, quominus posterius, sicut prius, sit rei constitutivum. In re præsenti loquimur de Personis divinis, prout sunt summè perfectę unaquæque in suâ veluti individuâ specie. Ad hoc nō sufficiunt Relationes assignatæ, sed requiruntur origines: neque enim est Pater summè perfectus, quia potest generare, & quia est determinatus ad generandū, sed quia actu generat. Discurre similiter de Personis producentibus. Egregia est hæc Subtilis Doctoris sententia: *non oportet distinguere, qualiter Relatio consideretur, ut est constitutiva: quomodocumque enim varietur secundùm considerationem, eadem tamen est in re, & secundùm quod est in re, constituit Personam realem.* Sic in 1. dist. 28. q. 3.

SECTIO II.

Objectiones solvuntur.

13 OBj. 1. Nihil est ex Scripturâ, quo rejiciantur proprietates absolutę divinarum Personarum : ergo eę admittendæ sunt. Prob. ant: si quid esset, maximè quòd in Scripturâ semper proponuntur Personę sub nominibus relativis Patris, Filij, & Spiritùs S; hoc non evincit assumptum : ergo. Prob. min : *quod nomen est ejus, & quod nomen Filij ejus, si nosti?* Proverb. c.30 : ergo aliquod est occultum nomen Patris, & Filij, & similiter Spiritùs S ; hoc occultum nomen signare poterit proprietates absolutas: ergo ex eo, quod nominibus Patris, Filij, & Spiritùs S. significentur proprietates relativæ, non est argumentum contra proprietates absolutas. Conf: docet D. Augustinus 7. de Trinit. c.1. propè med: *omnis essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo : sicut homo dominus, homo servus. Homo ad se dicitur, & substantia est, vel essentia ; dominus verò, & servus ad aliquid relativè dicitur. Sed si non esset homo, id est, aliqua substantia, non esset, qui relativè dominus diceretur.* Jam sic: Relatio supponit aliquid aliud, quod denominatur relatum : ergo supponit aliquid absolutum: ergo Relatio Paternitatis in Deo supponit ali-

aliquid absolutum. Hoc absolutum non est essentia communis: neque enim essentia communis refertur ad Filium per Relationem: ergo est proprietas: ergo Persona divina constituitur per proprietatem absolutam.

14 Ad obj. Non est bona conf: dato, quòd nihil sit ex Scripturà contra proprietates absolutas, at multum est ex Patribus, Concilijs, & à ratione. Negatur ant, cujus prob. non urget. Eo Proverbiorum textu solùm evincitur ijs nominibus relativis imperfectè, & obscurè prout in viâ significari Personas divinas, non clarè, & intuitivè prout in patriâ; occultumque esse nomen, quo deduci possimus in claram, & perfectam cognitionem divinarum Personarum; quas verè, & juxta Fidem, Patrem, Filium, & Spiritum S. nominamus

15 Ad conf. Suspicantur aliqui verba illa Augustini non esse ex propriâ sententiâ, sed esse argumentum, quod sibi opposuit. Equidem lib. 6. c. 2. de Patre, & Filio docet: *quidquid dicitur, quod eorum substantiam ostendat, ambo simul dicuntur*; quod stare non potest, quin Personę per Relationes constituantur. Itaque sensus Augustini in loco objecto est de relatione accidentali prædicamentali, quæ totum suppositum præsupponit; ut sunt in homine relationes domini, & servi, quæ

pro

pro exemplo adducuntur. At relatio transcendentalis, & subſtantialis non præſupponit fundamentum relatum conſtitutum adæquatè ſubſtantialiter, ſed illud conſtituit: & ſic ordo, habitudo, ſeu relatio hominis ad ſenſationes, & ratiocinia ipſum conſtituit. In Deo autem Relationes ſunt transcendentales, & ſubſtantiales. Dixit Auguſtinus eodem lib. 7. c. 1: *ſi Pater non eſt aliquid ad ſe ipſum, nihil eſt, quod relativè dicatur.* Sed eſt ſenſus: niſi in Patre ſit natura divina, nihil eſt, quod ſit Perſona, quæ relativè ad alterum dicatur; ſed hæc Perſona relativè dicitur per Relationem ſubſtantialem, & conſtitutivam talis Perſonæ. Ad arg. deſumptum ex verbis Auguſtini diſt. maj: relatio ſupponit aliquid aliud, quod denominetur *relatum* in concreto, conc; quod denominetur *relatum* in abſtracto, nego maj; & conſtat ad reliquum. Eſt dicere: Paternitas ſupponit magnitudinem, virtutem, ſapientiam, totamque eſſentiam. Huic accedit Relatio; eſſentiaque concretivè ſumpta, non autem abſtractè, hoc eſt, tota Perſona ut principium *quod* per Relationem dicitur relativè ad Filium. Nota diligenter: Auguſtinus, ut explicet, quòd Pater eſt aliquid ad ſe ipſum, nec verbum habet de proprietatibus abſolutis, ſed de ſapientiâ, virtute, & alijs attributis communibus, divinis Perſonis. Ergo ex

ipſo

ipso nihil est pro absolutis proprietatibus.

16 Obj. 2. Relationes creatę non ideo quia creatæ, sed quia veræ relationes sunt, supponunt substantiam, quam referunt, constitutam adęquatè; sed divinę Relationes verè sunt Relationes Personarum: ergo supponunt Personas adæquatè constitutas: ergo per absolutas proprietates. Confirm: *ad relationem non est per se motus*, seu ad relationem non terminatur per se actio, juxta Philosophum: ergo terminatur ad aliquid absolutum, unde resultet relatio: ergo quod producitur in Personis procedentibus est aliqua absoluta proprietas.

17 Ad obj. Nego maj. de relationibus transcendentalibus, quę etiam in creatis non supponunt, sed constituunt: quod probatum manet exemplo relationis naturę humanæ ad sensationes, & ratiocinia. Rursus: in Deo relatio Creatoris, & Domini in actu primo (saltem conditionatè, & quidem conditione necessariò possibili) non supponit, sed constituit Deum: est enim formalissimè Omnipotentia: ergo non de ratione relationis, sed de conceptu talis determinatę relationis, nempè accidentalis, erit supponere substantiam, quę refertur.

18 Ad confirm. dist. ant: illud concedo de relatione accidentali, & de transcenden-

tali

tali nego', & subductas consequentias. Si dicas; hìc agimus de relatione producentis, & producti, quæ relatio supponit actionem; ideo enim est relatio, quia præcedit actio, & non è contra: sic occurram. Cum principium est essentialiter tale in actu 2, & terminus essentialiter talis in actu 2, actio non præsupponit principium, neque passio præsupponit terminum constitutum. Suo loco probatum est Patrem essentialiter identificare processionem activam, Filium, & Spiritum S. processiones passivas: quapropter Relationes producentis, & producti in divinis non supponunt, sed constituunt Personas. Habes exemplum in sententiâ probabilissimâ: creaturę productæ se ipsis sunt emanationes, seu actiones, quibus à Deo producuntur, & se ipsis terminant actionem increatam, quę est Dei voluntas. Et productionem passivam creaturæ non terminatam ad aliquid, extra cujus entitatem, & essentiam ipsa productio sit. Sic similiter in divinis Relatio, & origo activa non supponit principium adæquatè constitutum, & Relatio, atque origo passiva non est extra essentiam, & entitatem termini producti. Hìc advertas, velim, relegandam esse omnem relationem, cujus essentia, & entitas sit esse tantùm *relationem*, & nihil aliud præstet, quàm *respicere*. Igitur conceptus relationis debet esse

esse in entitate, quæ aliquid aliud præstet: & sic in Patre Relatio præstat esse principium generationis, & actu generare; qui quidem conceptus impræscindibiles sunt à relatione, & respicentiâ.

19 Obj. 3. Proprietas activa Personę debet esse ex se incommunicabilis; sed Relatio divina non est ex se incommunicabilis alteri: ergo non est proprietas constitutiva Personæ: ergo id generis proprietas est absoluta. Prob. min; & cogita hypothesim imposibilem, in qua Pater priùs produceret per voluntatem Spiritum S, quàm Filium per intellectum. Tunc Paternitas communicaretur Spiritui S, qui tunc esset secunda Persona: ergo Relatio non est ex se incommunicabilis alteri. Addis 1, ut probes, quidquid sit de Personis productis, Patrem constitui per proprietatem absolutam: nam Pater priùs est in se, quàm generet: *priùs* enim *est esse*, *quàm operari*; atqui illud esse, quod in Patre supponitur ante generationem, non potest non esse absolutum: ergo. Addis 2. è contrariò, ut probes, quidquid sit de Patre, Personas procedentes constitui proprietatibus absolutis: nam ratio imaginis in Filio bene explicatur per intellectionem notionalem, & ratio doni, seu donationis in Spiritu S. bene explicatur per amorem notionalem; isti intellectionis,

& amoris actus sunt proprietates absoluta: ergo &c.

20 Ad obj, conc. maj, nego min. Ad prob, data hypothesi, nego, quòd tunc à Patre communicaretur Paternitas Spiritui S: Pater enim essentialiter est unus Pater; communicatà autem Paternitate, jam non esset unus, sed duo Patres. Iterum: in eà hypothesi communicaretur Paternitas, quę per fictionem cogitatur; & hoc omitto: sed non vera Paternitas, quæ ab æterno est necessariò. Denique: ex eo, quòd in eà hypothesi communicaretur Spiritui S. Paternitas, non probatur, quòd hæc non sit ex se incommunicabilis; imò inde ostenditur impossibilitas hypothesis, quòd in ipsà communicaretur Paternitas, quæ ex se est incommunicabilis.

21 Ad 1. addit. Ad summum evincitur Patrem non constitui per originem activam, non verò quòd non constituatur per Relationem transcendentalem de genere productivi. Deinde: cum principium productivum est infinitè perfectum, identificare debet actum producendi; & sic Pater divinus non potest priùs esse, quàm operari ad intra. Tandem: fœcunditas, quæ est Patris proprietas, ipsum distinguit ab alijs Personis; in divinis autem non est distinctio, nisi ubi est Relationis oppositio. Ad 2. addit. Cum ratio imaginis, &

doni distinguat Personas procedentes invicem, & à Patre, non potest prescindere à Relationis oppositione: ut sæpissimè dictum est. Quòd verò non bene recurratur ad actus intellectionis, & amoris notionales, probatum abundè habes hac disp.c.3.à n.45.

SECTIO III.

De Personâ æterni Patris.

22 SErmo est de Patre Deo respectu generationis ad intra, & relativè ad Filium consubstantialem: nam Deus ratione essentiæ communis, ac proinde tota Trinitas, dicitur *Pater creaturarum*, quoniam illas producit. Et quoniam in Filio debet esse similitudo ad Patrem, quo major sit similitudo Dei in creaturis, eò propriùs (seu rectiùs eò minùs impropriè) erit Deus illarum Pater. Sic inter creaturas omnes justus in viâ, & beatus in patriâ propter majorem cum Deo similitudinem speciali ratione dicuntur Filij Dei.

23 Jam verò de Deo Patre relatè ad Unigenitum consubstantialem Filium dicendum est hoc nomen *Pater* significare totam divinam Personam essentiâ, & Relatione constitutam. Notavimus non semel in anteactis hanc propositionem esse veram, *Pater generat Filium*, hanc verò falsam, *Paternitas generat Filium*. Vide caput 1.n.24. Ibi. & cap.3. num.144.notavimus abstinendum esse ab hac propo-

propositione, *Paternitas producit*; etsi enim Paternitas sit principium *quo* productivum, & contra illam propositionem nihil sit ex Concilijs, & Patribus, nihilominus loquemur rectiùs, & cautiùs, si illud sequamur, *actiones sunt suppositorum.*

24 Hoc nomen *Pater* priùs dici de Deo secundùm proprietatem personalem, quàm secundùm essentialia, est communis sensus: priùs enim convenit Patri prout Personæ generanti Filium divinum, quàm conveniat Deo producenti creaturas. Ea prioritas est in triplici sensu. 1: quia generatio ad intra est ab æterno, productio creaturarum est in tempore. 2: quia est prior in dignitate, cum infinità perfectione excedat generatio ad intra productionem ad extra. 3: quia omnia in Deo necessaria sunt priora liberis: productio ad extra est libera, generatio autem ad intra est summè Deo necessaria. Cum hoc stat, quòd priùs cognoscamus Deum producere ad extra, quàm generare ad intra; non tamen stat, quòd cognoscamus Deum priùs producere ad extra, quàm generare ad intra. Sic priùs cognoscimus creaturas, quàm Deum, & non cognoscimus, priùs esse creaturas, quàm sit Deus: & generaliter in omni demonstratione à posteriori priùs cognoscimus effectum, quàm causam; & non cognoscimus effectum esse priùs, quàm sit causa.

25 Dicat aliquis. Priùs sunt absoluta, quàm relativa, ac proinde Omnipotentia est pro priori ad Paternitatem divinam; sed ratione Omnipotentiæ convenit Deo nomen *Pater* relativè ad creaturas: ergo pro priori ad generationem æternam convenit Deo nomen *Pater* in ordine ad creaturas.

26 Conc. maj, min. distinguo: ratione Omnipotentię cum essentiali exigentià, ut priùs sit in Personis, quàm se exerceat ad extra, & quidem per volitionem liberam, conc; aliter, nego min, & conf. Sensus est: natura divina, & Omnipotentia in ipsà, priùs debet esse ultimò completa, & perfecta, quàm se exerceat ad extra: perficitur, & completur ultimò per hypostases, & Relationes; ac propterea priùs est, quòd Deus Pater generet Filium consubstantialem, quàm quòd Deo conveniat nomen *Pater* relativè ad creaturas. Præterea: istud nomen relativè ad creaturas Deo convenire non potest, nisi determinetur Omnipotentia per actum liberum; necessaria autem, ut Paternitas divinæ Personæ, sunt priora liberis: ergo nomen *Pater* non potest Deo convenire relativè ad creaturas, nisi pro posteriori ad Paternitatem, & generationem æternam.

27 Est etiam multorum Theologorum sensus Paternitatem, & similiter alias Rela-

tiones divinarum Personarum emanare ab essentiâ divinâ. Profectò, si nihil aliud intelligatur per hanc emanationem, nisi quòd inter essentiam, & Relationes, quæ fundamentaliter per rationem, & virtualiter realiter distinguuntur, sit penes nostrum concipiendi modum prioritas in essentiâ, posterioritas in Relationibus, & quòd valeat consequentia ab essentiâ ad Relationes, tanquam à radice metaphysicâ ad proprietates; si, inquam, hoc præcisè intelligatur, hanc emanationem, nescio, an aliquis negare possit. Sed aliquid aliud, quod difficilius est, & à non paucis Theologis rejicitur, est, quod intenditur.

28 Istud explicatur paritate desumptâ ex intellectivo divino comparato ad intellectionem; & similiter dicitur de voluntate divinâ respectu volitionis. Est multorum sententia, quam tenebo, cum de Deo sciente disputabo, in Deo esse intellectivum per modum actûs primi, & potentiæ metaphysicè operativæ, & non merè passivè se exercentis erga divinam intellectionem. Hæc operatio excludit actionem, & motum; & est tale exercitium, ut potentia nec merè passivè, nec merè informativè se habeat: hoc est, quòd sit perfectio ejus naturæ, ut ad tribuendam potentiæ suam denominationem non sufficiat nec pura identitas, nec pura unio. Sic autem

se

se habet erga divinum intellectum divina intellectio: itaque perfectio est æquivalens, virtualis, & eminentialis productio divinæ intellectionis. Ad hunc itaque modum essentia divina est virtuale principium Paternitatis, & divinarum Relationum non merè passivè, sed operativè citra omnem actionem, & motum propriè tales: quæ operatio dicitur virtualis productio, & essentia divina principium virtualiter productivum Relationum. Hanc doctrinam tenent N. Antonius Perez, & Borrull apud Munièssam de Essentià Dei d. 7. s. 2. qui contrariam sequitur cum Herize, Martino Perez, Nicolao Martinez, & alijs.

29 Doctrina data, & explicata probatur. Ex sacrà authoritate habetur naturam divinam esse principium *quo* radicale, seu formale remotum divinarum processionum; divinam naturam esse primam radicem, quare existat principium *quo* proximè productivum ad intra, & quare existant formales termini producti: ex naturæ divinæ infinità perfectione, & fœcunditate esse in Patre virtutem generandi, in Patre, & Filio esse virtutem spirandi, & in S. Spiritu spirabilitatem: ergo *ex*, & *a* naturà divinà sunt Relationes. Hoc satis percipi nō potest, quin divina natura se exerceat non merè passivè, sed operativè erga divinas Relationes: ergo hoc modo se exercet;

ac proinde est principium virtualiter productivum &c. Hùc facit dictum illud Athanasij apud Montoyam d. 52. s. 5. n. 2: *natura est domina, & genitrix hypostasum.* Loquitur Athanasius de rebus creatis; sed eo principio utitur ad explicandum modum, & ordinem, quo sunt in Deo natura, & hypostases. Est quidem impropria, & metaphorica locutio; sed ejus verus sensus est, quòd natura divina ex suà infinità perfectione, & fœcunditate contineat hypostases, & erga istas non merè passivè se exerceat.

30 Contra doctrinam datam multa sunt argumenta, quæ desumuntur ex summà simplicitate, quæ est inter essentiam, & Relationes; tùm ex impossibilitate explicandi operationem præscindentem ab actione, motu, & verà productione; tùm etiam quia possemus cum fundamento in re concipere unam divinam perfectionem ut productam ab aliâ, quod esset illas concipere imperfectas verè, realiter, & in se ipsis. Ab his argumentis abstineo, quæ solventur indicato loco de Scientiâ Dei. Et nota, quòd minùs urgent contra virtualem Relationum, quàm contra similem productionem intellectionis, & volitionis necessariarum: hæ enim non distinguuntur virtualiter realiter à suis potentijs, Relationes autem distinguuntur eo modo ab essentiâ. Directè, & immediatè in re præsenti Op-

31 Oppones. 1: sequitur Patrem non esse primum principium cujuscumque realis emanationis, ac proinde non esse ingenitum, nam emanaret ab aliquo principio. 2: sequitur, quòd sint tres processiones in divinis, processionemque Patris ab essentiâ neque esse generationem, neque spirationem, neque per intellectum, aut per voluntatem. 3: sequitur, quòd essentia prout condistincta à Personis contineat aliquid notionale incommunicabile omnibus Personis: continebit siquidem verè, & realiter esse principium, à quo emanat Paternitas; hæc autem formalis realitas nulli trium Personarum convenit, de nullà potest prædicari. 4: sequitur Patrem non esse principium, & fontem totius divinitatis, sed è contrariò, divinitatem esse fontem, & principium Patris. Omnes istæ sequelæ, ut minimùm, sunt dissonę principijs Fidei: ergo admittendum non est id, unde inferuntur.

32 Ad 1. Pater esset principium cujuscumque realis emanationis per realem formalem productionem; ejus tamen Relatio emanaret ab essentiâ per virtualem productionem dumtaxat; hæc autem virtualis productio non obest, ut Pater sit ingenitus; neque enim ab aliquo principio per realem formalem productionem procedit. Ad 2. In divinis duæ sunt tantùm processiones reales: proces-

ſio Paternitatis ab eſſentiâ eſt tantùm virtualis. Hæc neque eſt generatio, neque ſpiratio, & eſt à totâ plenitudine divinæ naturæ. Sed quoniam Pater eſt principium locutivum, & ſpirativum, dicendum eſt, in ſenſu formali Paternitatem emanare ab intellectu, & voluntate.

33 Ad 3. Innegabile eſt eſſentiam eſſe communicabilem, & in omnibus Perſonis eſſe hanc communicabilem eſſentiam; & nihilominus de nullâ Perſonâ prædicari poteſt, aut ipſi convenire *eſſe communicabilem*, quin propterea iſta communicabilitas eſſentiæ ſit prædicatum notionale. Dico ſimiliter: eſſentia eſt principium virtuale Paternitatis; & neque in Patre, neque in alijs Perſonis ita eſt, ut de Patre, aut de aliâ Perſonâ prædicari poſsit eſſe virtuale principium Paternitatis; ac proinde non eſt notionale iſtud prædicatum. Vide, quæ ad ſimile argumentum dixi cap.3.n.127. Ad 4. Hoc ſenſu Pater eſt principium, & fons totius Divinitatis, quatenus producit alias Perſonas, quibus communicatur Divinitas: quod metaphoricè explicuit D. Dionyſius alibi adductus, aſſerendo Patrem eſſe fontanam Divinitatem, alias verò Perſonas eſſe gemmas, & veluti germina à Deo prodeuntia. Huic proprietati Patris non obeſt, quòd Paternitas ab eſſentiâ virtualiter ema-

emanet. Ex dictis ad hanc, & præcedentes objectiones constat ad min. argum. consequentias bene illatas ex nostrà doctrinà cònsonas esse principijs Fidei; quæ autem sint disonæ, eas esse illegitimas.

34 Nota bene. Essentia divina est virtuale immediatum principium Paternitatis, mediatum autem Filiationis, & Spirationis passivæ. Sic Montoya docet citatus nuper suo n. 10. loquendo de emanatione secundùm nostros conceptus. Ratio: quia essentia se ipsà, & absque ullo medio producit virtualiter Paternitatem, & medià Paternitate producit virtualiter Filium, & per Patrem, & Filium tanquam per unum principium producit virtualiter Spiritum S: ergo essentia est virtuale immediatum principium Paternitatis, mediatum autem Filiationis, & Spirationis passivæ.

35 Dicat aliquis. Ergo essentia divina vivit per Paternitatem, quod videtur absurdum. Ratio: quia vita Dei est prædicatum commune omnibus Personis; nulla autem Persona vivit Paternitate. Sequela prob: nam essentia virtualiter esset principium ex propriâ perfectione operativum immanenter Paternitatis; in hac autem operatione consistit vita actualis, & in illo principio consistit conceptus viventis, seu potentis vivere: ergo. Ab-

surditatem sequelæ negant aliqui apud Munieſſam d. 4. de Eſſentiâ Dei n. 6. docentes omne attributum dimanans ab eſſentiâ eſſe formaliter vitale. Quidquid ſit de attributis abſolutis diſtinctis ab intellectione, & volitione, dici poſſet Divinitatem vivere per Paternitatem; indeque non inferri hoc ipſum convenire Perſonis: quod nuper explicatum eſt de communicabilitate eſſentiæ, & de ratione principij virtualiter productivi Paternitatis. Sed nego abſolutè ſequelam; & ad prob. dico principium vivens eſſe ex propria perfectione determinatum ad operandum immanenter terminum ultimum ſuæ virtutis, vitamque actualem eſſe talem ultimum terminum. At Paternitas non eſt talis ultimus terminus divinæ eſſentiæ ut virtualiter productivæ, nam Paternitas ſe ipsà eſt ad Filiationem; & per hanc eſſentia ut reduplicativè in Perſonâ Patris, hoc eſt, Pater ut principium *quod* vivit proceſsione vitali Filij: ergo eſſentia non vivit per Paternitatem. Recole dicta cap. 3. n. 6. Ob rationem datam juxta veriorem Philoſophiam neque Angelus, neque anima rationalis vivit per potentias ſuperadditas, etiam ſi dentur.

SECTIO IV.

Patris Innascibilitas explicatur.

36 MUlta sunt nomina, quæ ex sacrà authoritate Patri attribuuntur, ut sunt *Fons supersubstantialis Deitatis*, *Fons totius Trinitatis*, *Author Filij*, & *Spiritùs S.*, & alia quædam, de quibus videri potest Granado tract. 8. disp. 3.

37 De nomine *innascibilis*, seu *ingeniti*, quod est Notio Patris, agendum in præsenti est. Ex ijs, quæ dedimus varijs in locis, præsertim d. 1. c. 2. à n. 110. constat innascibilitatem esse perfectionem realem objectivè, & in se ipsà positivam, modo tamen negativo explicatam: id quod generaliter de attributis Dei negativis notavimus eàd. d. c. 3. n. 5. Constat etiam ex hac d. 2. c. 2. n. 22. innascibilitatem, prout est Notio Patris, dicere negationem principij, à quo verè, & realiter procedat: nam si solùm excludat principium, à quo per veram nativitatem procedat, hæc innascibilitas convenit Spiritui S; excludere autem principium, à quo verè, & realiter procedat, proprium est Patris: cum istiusmodi processio Filio, & S. Spiritui sit communis. His suppositis, quæritur: quid sit illud verè, & realiter se habens ex parte Patris æterni, quod formaliter est innascibilitas, aut proximum, &

& immediatum ejus fundamentum? Difficultatem sic proposui, ut abstraham à negationibus aut physicè, aut objectivè, aut solùm ex modo cognoscendi existentibus. Verum est illud Augustini 5. de Trinit: *nomine ingeniti, non quid sit, sed quid non sit, dico.* Hoc ita intelligendum est, ut communiter docetur cum Angelico, ut Notio ista prout verbis negativis explicata dicat formaliter negationem productionis, & fundamentaliter aliquid positivum indistinctum à Patre.

38 Assertum nostrum. Patris æterni innascibilitas est ipsa RelatioPaternitatis. Prob. indirectè: ista Notio nec consistit in proprietate absolutà, neque in Relatione virtualiter distinctà à Paternitate: ergo consistit in Relatione Paternitatis. Prob. ant. quoad 1. partem: nihil enim absolutum est in Deo, quod non sit commune omnibus Personis; ut nuper probatum est de proprietatibus constitutivis divinarum Personarum. Prob. quoad 2. partem: nam concedere in divinis Relationem distinctam à Paternitate, Filiatione, Spiratione activà, & passivà est contra communem Theologorum sensum; & ulterior ratio est: quia non est admittenda distinctio virtualis realis in divinis, nisi ubi urgent Fidei principia; hæc non urgent, ut Notio innascibilitatis à Paternitate realiter virtualiter distinguatur; ergo.

Eadem

39 Eadem doctrina prob. directè: nam per id constituitur innascibilitas, per quod constituitur Pater in esse hujus individuæ singularis Personæ distinctę ab alijs: hæc enim Persona Patris se ipsà est innascibilis; sed in esse hujus individuæ, & singularis Personæ constituitur Paternitate; Paternitas namque est hæc singularis individua personalitas: ergo Patris æterni innascibilitas est ipsa Relatio Paternitatis.

40 Rogabis, sub quo formali conceptu? Brevissimè respondeo, sub conceptu habentis plenitudinem, & sufficientiam ex se. Adest præclara D. Hilarij sententia 3.de Trinit.sub principium: *non aliunde, quod est, sumens, sed ad id, quod ita manet, sibi ipsi sufficiens. Hic ergo ingenitus genuit.* Ex qua authoritate optimè infertur illud nomen maximè Dei proprium *qui est* commune tribus divinis Personis, quoniam à Patre duabus alijs communicatur, peculiari ratione illi convenire, quoniam omni modo possibili est à se ipso, *qui est*, quin ab alio accipiat suum esse. Huic conceptui logicè priori accedit conceptus potentis communicare Divinitatem Filio per generationem, & Spiritui S.per Spirationem: unde complentur Notiones Paternitatis, & Spirationis activæ. Sic Montoya d.53. s.5.

41 Dices 1.Evertitur communis Theologo-

logorum sensus asserentium in Deo Notiones quinque, nec plures, nec pauciores; hoc admittendum non est: ergo. Prob.maj: nam si loquamur de innascibilitate positivâ, & fundamentali, si consistat in Paternitate, erunt tantùm quatuor Notiones: nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva. Si autem de innascibilitate negativâ, sive formali, præter quinque communiter concessas erunt aliæ duæ, inspirabilitas Filij, & in Spiritu S. defectus virtutis propagativæ ad intra: ergo Patris innascibilitas non consistit &c.

42 Nego maj, & probationi occurro. Esse improductum dicit ex terminis specialem perfectionem, & excellentiam, quæ notificat Personam Patris, ac proinde ejus est Notio; non procedere per voluntatem, in quo consistit Filij inspirabilitas, eam specialem excellentiam non dicit; & similiter nec dicit specialem excellentiam in Spiritu S. negatio virtutis propagativæ. Hæc supponenda, aut omittenda sunt, ut maneat sensus ille communis Theologorum de quinque Notionibus, nec paucioribus, nec pluribus. Re ipsâ Notiones Personarum procedentium sunt, quas argumentum proponit, ut cum Becano admisi hac d.c.2.n.23. Sed ibi notavi loquendum esse cum pluribus.

Dico

43 Dices 2. Innascibilitas Patris prior est Paternitate: ergo in hac non consistit. Ant. constare debet: nam Pater priùs esse debet, quàm operari; illud autem esse, quod est in Patre, ut est prima Persona Trinitatis, ab innascibilitate non præscindit: nihil enim aliud cogitari potest, quod primam Personam notificet, nisi innascibilitas: ergo hæc Notio est pro priori ad Paternitatem, atque ad generationem, qua hæc Persona divina operatur. Cons. entymematis prob: Deitas, quia est primum esse Dei, pro priori ad omnes alias formalitates est necessaria negatio essendi ab alio: ergo innascibilitas, quæ est Notio Patris, prior est Paternitate.

44 Dist. ant: illud concedo de prioritate fundante respectum rationis secundùm prius, & posterius; & nego de prioritate fundante distinctionem virtualem realem. Hoc est de re: dummodo non probes innascibilitatem esse proprietatem absolutam, aut relationem virtualiter realiter distinctam à Paternitate, nihil probas. Jam dixi innascibilitatem stare formaliter in conceptu Personæ habentis plenitudinem, & sufficientiam ex se; non curo, an Paternitas distinguatur formaliter ab illo conceptu adæquatè, aut inadæquatè; sed contendo, quòd non distinguatur virtualiter realiter. Quod additur in prob.

cons,

conſ, quę neganda eſt, non urget. Deitas includit phyſicè, & metaphyſicè omnem perfectionem neceſſariam abſolutam; unde non eſt ad ullam pro priori. Deinde: comparata ad Paternitatem realiter virtualiter diſtinctam eſt virtuale principium hujus Relationis: unde nulla eſt paritas innaſcibilitatis ad Paternitatem, ut ſe habeant pro priori, & pro poſteriori, ordine fundante diſtinctionem virtualem realem.

45 Dices 3. Auguſtinus 5. de Trinit. c. 6. initio ſic diſſerit: *non eſt hoc dicere ingenitum, quòd Patrem dicere: quia ſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet, illum dici ingenitum. Et ſi gignat quiſque filium .. non eo ipſo ingenitus eſt: quia & geniti homines gignunt, & ipſi alios.* Ex hoc diſcurſu concludit Magnus Doctor: *neque ideo quiſque pater, quia ingenitus; nec ingenitus ideo, quia pater*: ergo Patrem primam Trinitatis Perſonam eſſe ingenitum, non fundatur in Relatione Paternitatis.

46 Nego conſ, quæ ex verbis Auguſtini non deſcendit. N. Herrera judicat illum diſcurſum non eſſe ſententiam propriam Magni Doctoris, ſed eſſe Hæreticorum, quem ſibi objicit, & quo illi utebantur, ut probarent aliquid eſſe eſſentiale, & ſubſtantiale, atque intra naturam in Patre, quod non eſſet in Filio, ac per conſequens non eſſe Perſonas con-

consubstantiales. Conclusio illa, *non ideo quisque pater, quia ingenitus, neque ingenitus ideo, quia pater*, universaliter loquendo est vera; loquendo de Deo, dicendum non ideo formaliter esse ingenitum, quia Pater: quod stat cum eo, quòd ideo sit fundamentaliter ingenitus, quia Pater. Hac de causà, ut notat Montoya, Augustinus circa illam conclusionem universalem usus est exemplo hominum, in quibus verum non est, *ideo quisque pater* &c.

47 Multa hìc ex Theologià dogmaticà supponuntur: hoc prætermittendum non est, argumentum Patrum contra hæreticos istud esse. Cum dicitur *ingenitum*, non quid res sit, sed quid non sit, dicitur. Quæ est itaque natura Patris, quæ dicitur ingenita, & innascibilis? Est sapientia, virtus, & quidquid de Patre dicitur pręter esse Patrem; atqui hæc omnia ex manifestis Scripturis dicuntur de Filio: ergo de Filio dicitur quidquid est de naturà, substantià, & essentià Patris. Quòd autem non dicatur de Filio esse innascibilem, sicut dicitur de naturà, & quòd de naturà negetur esse genitam, quod de Filio affirmatur, hoc explicare ad Theologiam Scholasticam spectat; & explicatum manet suo loco per distinctionem virtualem realem inter essentiam, & divinas Relationes.

SEC.

SECTIO V.

De Relatione Spiratoris in Patre.

48 PRo dicendis revoca in memoriam, quæ de Relatione Spiratoris, seu de Spiratione activà dixi hac d.c.2.n.19. Hic dubium est: quoniam Relatiò Spiratoris est Patri, Filioque communis, an prior sit in Patre, quàm in Filio? Et quoniam in Patre est utraque Relatio Paternitatis, & activæ Spirationis, quæritur, an habeant in ipso ordinem prioris, & posterioris?

49 Dico 1. Relatio Spiratoris priùs est in Patre, quàm in Filio. Prob: Pater communicat Filio Relationem Spiratoris: ergo hæc Relatio priùs est in Patre, quàm in Filio. Constat cons: nam nemo dat, quod non habet, & ideo id ipsum, quod dat, est pro priori in dante, quàm in accipiente. Ant. est communis doctrina ex Florentino, & ex Patribus: nam *Filius recipit à Patre omnia præter esse Patrem*: ergo accipit à Patre Relationem Spiratoris. Si dicas Filium accipere à Patre formaliter essentiam, & in essentiâ accipere radicaliter Spirationem activam; contrà est, quod hæc distinctio est arbitraria, nec habet fundamentum in Concilijs, & Patribus eodem modo loquentibus de omnibus, quæ sunt in Filio acceptis à Patre præter esse Patrem.

Nota:

Nota: Pater, atque adeo Paternitas, est in priori originis ad Filium, non autem Spiratio activa, quæ non est virtus productiva Filij, sed terminus communicatus. Insuper: sicut Paternitas, sic Spiratoris Relatio, est in Patre ex fœcunditate divinæ essentiæ per emanationem, quam esse virtualem productionem, nuper asserui.

50 Objicies. Si Relatio Spiratoris est priùs in Patte, quàm in Filio: ergo Pater priùs, quàm Filius spirat Spiritum S; hoc absurdum est: ergo. Sequela prob: spirare est habere ipsum *actuale spirare*; sed Relatio Spiratoris est ipsum actuale spirare, & priùs dicitur esse in Patre, quàm in Filio: ergo. Nego sequelam maj: etsi enim Relatio Spiratoris priùs sit in Patre, quàm in Filio, ipsum actuale spirare quoad denominationem, supponit jam communicatam Filio ejusmodi Relationem: Spiritus enim S. ex suâ personali proprietate exigit procedere à duobus suppositis per modum unius principij. Ad prob. sequelæ dic: actuale spirare quoad denominationem dicere formaliter, Relationem Spiratoris esse Filio communicatam; & nega priori ad communicationem esse ipsum actuale spirare quoad denominationem.

51 Instas. In illo priori, in quo est in Patre Relatio Spiratoris, hæc est perfectissi-

ma quasi actio; sed de ratione actionis perfectissimæ est, quòd in signo immediato sit terminus; nam aliter non transferret principium de potentià ad actum: terminus autem illius actionis est Spiritus S; ergo. Conc. maj, nego min: solùm est de conceptu actionis perfectissimę, quòd ejus principium, & terminus sint perfectissimè; & quòd sit immunis ab imperfectionibus: ut sunt esse impedibilem, defectibilem, & sic de aliis. Ad prob. min: non est de ratione actionis, quòd pro signo immediato suę existentiæ transferat principium quoad denominationem de potentià ad actum. Unde hoc probatur? Similiter dici posset, quòd de ratione perfectissimæ actionis sit, quòd in signo sive originis, sive rationis, in quo est actio, sit jam terminus: quod falsum est.

52 Dico 2. In Patre Relationes Paternitatis, & Spiratoris se habent concomitanter. Prob: non est fundamentum, ut habeant ordinem illum prioris, & posterioris: ergo istæ Relationes concomitanter se habent in Patre. Equidem divina essentia est principium virtuale harum Relationum, & non est ratio, ut priùs unam, quàm alteram virtualiter producat. Insuper: Pater ut Pater per utramque Relationem constituitur: nam, ut paulò post dicemus, ideo Filius est Filius, quia à Patre

acci-

accipit naturam fœcundam. Ad hoc requiritur utraque Relatio, Paternitas ut virtus productiva, Relatio Spiratoris ut terminus communicandus.

53 Objicies. Relatio Spiratoris, quippe quæ identificatur cum Paternitate, & Filiatione, continet has duas Relationes; neutra autem harum continet Relationem Spiratoris: est enim pluribus identificata: ergo Relatio Spiratoris quodammodo influit in Paternitatem, & Filiationem ut terminos, quos continet in suâ virtute: ergo Relatio Spiratoris est pro priori ad Paternitatem. Nego conſ: ponitur in antecedente continentia solius identitatis; hæc autem non sufficit, ut continens influat aut per productionem formalem (ut est evidens) aut per virtualem in terminum, qui continetur. Continentur itaque Relatio Spiratoris, & Paternitas in divinâ essentiâ, ex qua simul absque ordine prioris, & posterioris emanant.

54 Instas. Omne principium habet priùs perfectiones secum identificatas, quàm producat realiter distinctas: ergo Pater priùs habet Relationem Spiratoris, quàm producat Filium: ergo, siquidem illa Relatio antecedit Filiationem, præcedit similiter Paternitatem. Negant ant, qui dicunt Relationem Spiratoris resultare indivisibiliter ex Patre, &

Filio constitutis in esse talium Personarum: quapropter illa Relatio non erit priùs in Patre, quàm in Filio: quia, inquiunt, non est perfectio solius Patris secundùm se, sed in simul cum Filio. Componunt autem identitatem Spirationis activę cum Patre, & quòd ipsa Relatio non sit pro priori ad Filiationem, per distinctionem virtualem realem, aut aliâ, quam sufficientem esse credunt, ad hæc contradictoria sine contradictione exercità: *Paternitas antecedit Filiationem*; et *Spiratio activa non præcedit Filiationem.* Nostra solutio est: transmisso, aut concesso entymemate, negatur subducta cons. Est ratio, ut Spiratio activa præcedat Filiationem: quia nempe Filius illam habet à Patre; cum autem Pater non habeat Paternitatem ab Spiratione activâ, inde est, quòd non sit ratio, ut ista Relatio Paternitatem antecedat.

SECTIO VI.

De Deo Filio.

55 HUic Sanctissimæ Trinitatis Personæ tria ex Scripturis, Patribus, & Concilijs propria tribuuntur nomina, nempe *Verbum*, *Imago*, & *Filius*. De ratione Verbi, & imaginis dicta sunt, quæ scire oportet, hac d.c.3. à n.55. Rationem imaginis unicè convenire Filio respectu Patris, & non respectu S. Spiritùs, istamque imaginis rationem non con-

convenire Spiritui S, constat ex dictis eodem cap. à n. 83. Rationem Verbi cogitare sic debes, ut solus Pater loquatur per Verbum, & sibi, Verbo, & Spiritui S. loquatur. Ratio prioris partis: nam loqui est intelligendo producere imaginem repræsentativam eorum, quæ sunt in mente; solus autem Pater intelligendo producit ad intra imaginem perfectissimam, & comprehensivam eorum, quæ sunt in mente ipsius Patris: ergo solus Pater loquitur per Verbum. Ratio posterioris partis: nam ut rectè expendit Montoya d. 60. s. 4. Pater æterno suo Verbo ad se loquitur, & similiter ad Filium, & ad Spiritum S. Notum est illud Psal. 109. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: ergo Pater loquitur ad Filium. Ad Spiritum S. quoque: nam simul cum Filio communicat Spiritui S. scientiam, ex qua procedit Verbum, & quæ habetur in ipso Verbo, tanquam in imagine exprimente omnia, quæ sunt in mente Patris: ergo Pater æterno suo Verbo loquitur ad Spiritum S. Quòd autem loquatur Pater ad se ipsum, constat: nam omnis, qui cogitat, & producit Verbum mentale, loquitur sibi, secum, sive ad se ipsum: ergo &c.

56 Dictum est, quòd solus Pater loquitur per Verbum: nam *interna ista locutio agitur, authore Patre solo*, inquit Ricard. Victo-

torin. 6. de Trinit. c. 12, prope finem. Nihilominus impropriè, seu minus propriè dicitur, quòd omnes Personæ divinæ loquantur ad intra, unaquæque ad se ipsam, & ad alias, juxta illud, *faciamus hominem*, & juxta illud, *venite, & descendamus* Genes. c. 1. & c. 11. Recole dicta hac d. c. 3. à n. 83: & consule Montoyam, eàdem d. 60. s. 6.

57 Supereſt, ut de nomine, & realitate Filij, prout Verbo conveniunt, pauca dicamus. Verbum divinum esse propriſsimè Filium æterni Dei Patris, ab isto propriè genitum, de Fide est; credimus enim *in Jesum Christum, Filium ejus* (Dei Patris Omnipotentis) *unicum Dominum nostrum*: & in symbolo Athanasij: *Filius à solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Antiqui aliqui Patres dixere Filium Dei esse *ingenitum*; sed hoc nempe sensu, quòd non sit factus, quòd sit æternus: ut rectè expendit Montoya d. 52. s. 7. Spiritum S. non esse genitum, atque adeo non esse Filium, est etiam de Fide, juxta illud symboli Athanasij, *Spiritus S. à Patre, & Filio, non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens.* Dogmatibus suppositis, hæc sunt certa: tàm Spiritui S, quàm Filio convenit, quòd sit vivens à vivente; Filius à Patre, Spiritus S. à Patre, & Filio. Insuper: origo utriusque est à principio conjuncto in similitudi-

nem

nem naturę: communicat enim Pater Filio individuam divinam naturam, & hanc eamdem Pater, & Filius communicant Spiritui S.

58 En jam difficultatem: cum Filiatio sit origo viventis à vivente à principio conjuncto in similitudinem naturę, & tota hæc definitio apud Philosophos, & Theologos recepta utrique Personæ procedenti videatur convenire: cur Verbum divinum est Filius; non autem Spiritus S? Audi Augustinum 7. contra Maximum cap. 14: *de Patre est Filius, de Patre Spiritus S: sed ille genitus, iste procedens. Quid autem inter procedere, & nasci interſit, explicare quis poterit?* Hæc Augustinus, & aliqui alij Patres; non quia impossibile sit probabiles discriminis rationes producere, nec quia temerarium sit quæstionis solutionem tentare; sed quoniam difficultas est maxima, & nulla solutio excogitari potest, quæ multis objectionibus non det latus.

59 Dicunt communiter Thomistæ ideò Verbum esse Filium, quia ex vi suæ processionis oritur similis Patri in naturâ, quod non convenit Spiritui S: nam quòd sit similis Patri in naturâ, habet materialiter, & identicè, non ex vi suæ processionis. Ratio hujus discriminis est: quia Filius procedit per intellectum, qui est assimilativus cognoscentis ad objectum cognitum: unde Filius ex vi suæ proces-

sionis evadit similis Patri, quem ut Verbum repręsentat. Deinde: cum Verbum divinum sit opus (ad intra) intellectus perfectissimi, ex suà ratione trahet summam similitudinem; summa autem similitudo est in eàdem individuà naturà: Filius itaque ex suà processione evadit Patri similis in naturà eàdem individuà. Hæc non conveniunt Spiritui S, cujus processio est per voluntatem, hujus autem non est proprium assimilare cum amante objectum amatum, sed impellere amantem ad amatum: non itaque Spiritus S. ex vi suę processionis est similis Patri, sed quia in divinis omnia sunt idem, ubi non est Relationis oppositio.

6o Rejicitur hæc sententia. Intellectus non majorem similitudinem intendit inter principium loquens, & verbum, quàm inter objectum, & cognitionem. Ratio: nam verbum intellectuale non magis connotat intellectum ut assimilativum, quàm illum sub eàdem ratione connotat intellectio: non enim intellectus magis exprimit objectum per verbum, quo alteri loquitur, quàm illud exprimit sibi per intellectionem, quæ ex se est repręsentatio objecti. Atqui intellectus divinus ut talis, & ut summè perfectus, non postulat similitudinem naturalem inter suam cognitionem, & objectum cognitum, sed solùm simi-

lis

litudinem intentionalem, & repræsentativam: ut patet in cognitione, qua intellectus divinus supercomprehendit creaturas: ergo quòd processio Verbi divini sit per intellectum perfectissimum, non probat, quòd evadat simile in naturâ nisi similitudine intentionali, & repręsentativâ; non autem quòd ex vi suæ processionis habeat eamdem individuam naturam, imò nec quòd habeat eamdem specificè naturam.

61 Rejicitur sententia eadem. Si Filius ex vi suæ processionis evadit similis in naturâ, id ipsum convenit Spiritui S: ergo nullum est datum discrimen. Prob. ant: non communicatur Filio natura divina, quia præcisè procedit per intellectum, sed quia procedit per intellectum perfectissimum: ergo pariter quia Spiritus S. procedit per voluntatem perfectissimam, ipsi communicabitur natura divina. Ratio cons, & paritatis: nam sicut intellectus quia perfectissimus est assimilativus summâ similitudine possibili, nempe per communicationem ejusdem naturæ; ita voluntas perfectissima est communicativa bonitatis summâ communicatione possibili; sed summa communicatio possibilis est communicatio totius bonitatis, atque adeo ejusdem naturæ: ergo sicut Filius ex vi suæ processionis evadit similis &c.

Præoc-

62 Præoccupatur reſponſio, quæ dari ſolet utrique argumento. Dicitur intellectum ſimilitudinem intendere; cumque intra latiſſimam lineam ſimilitudinis contineatur ſimilitudo in habendo eamdem individuam naturam, inde eſt, quòd intellectus divinus ſummè perfectus intendat aſſimilare Verbum, non ſolùm ſimilitudine intentionali, ſed etiam naturali. Contrà, & infero: ergo ſiquidem voluntatis eſt propria conjunctio affectiva, & hæc pertinet ad latiſsimam lineam conjūctionis, & in hac lineà eſt conjunctio in unitate naturæ, ſequitur, quòd voluntas divina ſummè perfecta intendit in Spiritu S. non ſolam conjunctionem affectivam, ſed etiam conjunctionem in unitate naturæ: ergo nulla eſt diſparitas.

63 Dicunt communiter Jeſuitæ, ideo proceſsionem Verbi eſſe generationem, quia ex vi ipſius communicatur Filio eſſentia: & hæc ex vi ſuæ proceſsionis non communicatur Spiritui S; unde hujus proceſsio non eſt generatio. Ponit hæc ſententia eſſentiam Dei formaliter conſiſtere in intellectione, volitionem autem eſſe attributum extraeſſentiale. Communicatur itaque Filio ex vi proceſsionis ſuæ, quæ eſt per intellectum, eſſentia, quæ eſt intellectio, eaque non communicatur Spiritui S, cujus proceſsio eſt per voluntatem, & in vi hujus communicatur amor. Reſ-

64 Rejicitur hæc ſententia : ſupponit enim falsò eſſentiam Dei in ſolà intellectione conſiſtere ; cum tùm phyſicè , tùm metaphyſicè conſiderata omnes omnino abſolutas neceſſarias divinas perfectiones formaliter complectatur. Inſuper : ſimilitudo , quę in definitione viventis ad rationem Filij poſtulatur, eſt ſimilitudo *in naturà*, quæ eſt principium operationum immanentium. In Deo non ſolùm intellectivum , ſed & volitivum eſt tale principium , volitio enim , ſicut intellectio , eſt Dei operatio immanens. Additur in eà definitione *primò* , *& per ſe* , *& non ſecundùm accidens*; ſed per hoc poſtulatur, quòd tale principium ſit ſubſtantiale ; hoc autem tàm convenit volitivo divino , quàm intellectivo. Si dicas excludi per illa verba accidens metaphyſicum, quale eſt in Deo volitivum, & volitio, contrà eſt : gratis hoc poſtulas, deinde: falsò ſupponis volitivum eſſe accidens metaphyſicum Dei.

65 Urgentiùs impugnatur eadem ſententia. Quid habet Filius ex vi ſuæ proceſsionis , ut Filius ſit , quod non habeat Spiritus S? Utrique convenit ratio originis viventis à vivente, uterque habet ſimilitudinem naturę, qualem requirit ſententia , quam rejicimus, aliam enim ſimilitudinem non ponit, niſi naturæ divinę identitatem: ergo Spiritus S, quā-

vis

vis non ex vi suæ processionis, erit Filius, sicut Verbum est Filius ex vi suę processionis. Cogita ignem productum ab alio igne, & quòd ex vi suę productionis habeat virtutem ignitivam, calefactivam autem non ex vi suę productionis, sed identicè, concomitanter, aut aliunde. Iste ignis productus erit calefactivus, sicut ignis producens: ergo similiter, si Spiritus S. habet, quidquid Filius habet ex vi suę processionis, & pertinet ad rationem Filij, erit Filius.

66 Sed evertendum est discrimen, quod ista sententia libenter assumit, nempe quòd Personis divinis alia communicentur ex vi processionis, alia non ex vi processionis. Itaque processio divina non solùm est productio, sed & generatio Filij, & non solùm productio, sed & Spiratio: unde principium *quo* adęquatum divinarum processionum complectitur principium *quo* productivum, & principium *quo* communicativum, ut explicatum est cap. 3. à n. 125. Tunc sic: principium communicativum est natura divina, ut est adæquatè plenitudo essendi, ideoque *Filius est Deus de Deo, plenus de pleno, perfectus de perfecto*: ut habemus ex Concilijs, & Patribus: ergo ex vi suæ processionis habet totam Deitatem secundùm illam plenitudinem, qua est infinitum essendi pelagus; ergo ex vi suæ pro-

processionis habet non solam intellectionem, sed & volitionem, omnesque perfectiones absolutas necessarias. Iste loquendi modus *Deus de Deo, perfectus de perfecto, plenus de pleno* apertissimè significat processionem: ergo Filius ex suâ processione habet omnem divinam perfectionem. Eodem modo discurrendum est de Spiritu S.

67 Conf. 1: principium simpliciter infinitum productivum ad intra tendit per se ad producendum terminum simpliciter infinitum; at Pater æternus est principium simpliciter infinitum productivum ad intra: ergo tendit per se ad producendum ad intra terminum simpliciter infinitum: ergo tendit per se ad communicandam termino omnem omnino perfectionem, sine qua terminus non esset simpliciter infinitus, ut non esset, si non ipsi communicaretur volitio, aut aliqua alia divina perfectio; terminus autem habet ex vi suæ processionis, quod principium intendit per se: ergo. 2: actio generativa Patris est per se generativa: ergo actio generativa Patris æterni tendit per se ad similitudinem perfectissimè consubstantialem; actio enim generativa ex suo conceptu tendit ad similitudinem substantialem. Atqui ut similitudo Filij divini sit perfectissimè consubstantialis, requiritur per se identitas cum omnibus perfectio-

fectionibus absolutis, quæ sunt in Patre: ergo actio generativa tendit per se ad Filium habentem eam identitatem: ergo Filius ex vi suę processionis habet &c.

68 Dicunt communiter Scotistę, ideò processionem Verbi esse generationem, quia est productio naturalis; ideoque esse naturalem, quia est à principio naturaliter inclinato ad agendum; cumque hę notæ non conveniant processioni Spiritùs S, inde est, quòd ista processio non sit generatio. Ratio discriminis est: quia productio Verbi est per intellectum, qui est potentia naturalis, & determinata ad unum; processio autem Spiritùs S. est per voluntatem, quę est potentia libera, & non determinata ad unum.

69 Rejicitur hæc sententia ex dictis cap. 3. à n. 7. ubi probatum est utriusque Personæ processionem esse simpliciter necessariam, & utramque esse liberam à coactione. Supereſt discrimen, quòd processio Verbi est per intellectum, & processio Spiritùs S. est per voluntatem, de cujus conceptu est esse potentiam liberam. Hoc autem non sufficit, nam processio Spiritùs S. est per voluntatem, se exercentem per amorem simpliciter necessarium: ergo ejusmodi processio est simpliciter naturalis, & à potentiâ simpliciter determinatâ ad illud unum; nempe ad amorem ne-

ces-

cessarium, & ad productionem Spiritus S. Quòd autem voluntas de se sit potentia libera, non urget: nam sicut non reddit productionem Spiritus S. liberam à necessitate, ita non obest, quominus processio Filij sit libera à coactione: ergo vel utraque processio est naturalis, vel neutra.

70 Additur factæ impugnationi. Quid est, quòd processio per intellectum sit naturalis? Non est, quòd sit immediatè ab essentiâ, sive à naturâ; nam contraria sententia supponit, intellectum esse attributum distinctum à naturâ, & essentiâ. Præterea, tàm voluntas, quàm intellectus includuntur formaliter in essentiâ tùm physicè, tùm metaphysicè acceptâ; & si natura contradistinguatur ab essentiâ, & accipiatur pro principio operationis immanentis, hoc convenit voluntati non minùs, ac intellectui: ut nuper notabam. Rursus: neque est, quòd potentia aut necessariò conveniat principio, aut quòd actus sit necessarius. Ratio: quia tàm voluntas, quàm intellectus Deo convenit necessariò; & tàm necessarius est actus voluntatis, à quo est processio Spiritus S, quàm intellectio, à qua est Verbi processio, est actus simpliciter necessarius excludens omnem contingentiam. Demum: processionem per intellectum esse naturalem non consistit in eo, quòd non

se

se exerceat voluntariè. Prob. hoc: nam ad generationem similitudo, quę requiritur, est similitudo naturalis; sed in hoc sensu accipitur natura pro verà, & reali naturà, subsantiâ, & essentiâ principij operantis, & ad hoc impertinens est, quòd principium non se exerceat voluntariè: ergo.

71 Respondebis. Principium, quod est determinatum ad unum, operatur naturaliter, seu per modum naturæ; quia nempe inclinatur ad unum, quod est sibi simile; & tota ratio producendi sibi simile est, quia naturaliter est inclinatum, & determinatum ad unum. Hinc tota ratio, ut processio Verbi sit generatio, est, quia procedit per intellectum, & hujus ratio est, quia intellectus est assimilativus: ultima autem ratio, quare est intellectus assimilativus, est, quia intellectus est potentia determinata ad unum.

72 Contrà: nam redeunt impugnationes factæ contra sententiam Thomistarum; cùm ratio discriminis ad hoc deveniat, ut processio Verbi sit per intellectum, & processio Spiritùs S. sit per voluntatem. Contrà est insuper: nam quòd sit per voluntatem processio Spiritùs S, non est, quòd ista determinata processio non sit à potentiâ determinatà ad hoc unum, quamvis non sit determinata ad alia plura contingentia; ergo si ratio

assi-

assimilandi est, quia terminus est à potentiâ determinatâ ad unum, Spiritus S. procedit similis Patri, & Filio. Præterea: quæ est similitudo, quam intendit potentia determinata ad unum? Non est universaliter similitudo intentionalis, ut patet in agentibus naturalibus producentibus univocè, ut ignis ignem, & homo hominem. Neque est determinatè similitudo physica, ut patet in intellectu, est enim potentia determinata ad unum, & tamen illi sufficit similitudo intentionalis, ut est in intellectione, qua Deus se ipsum cognoscit. Neque est similitudo prout præscindens à physicâ, & intentionali, quia ad generationem determinatè requiritur similitudo physica, ut tenet sententia ista: ergo de primo ad ultimum, quòd processio Verbi sit à potentiâ determinatâ ad unum, non sufficit, ut sit generatio. Si dicas intellectum divinum, quia simpliciter, & summè perfectum, intendere similitudinem perfectissimam, & infinitam, ac proinde intendere similitudinem physicam, contrà est: quia redit argumentum, quod contra similem responsionem pro sententiâ Thomistarum datum est n. 62.

73 Conclusio nostra. Ideo Verbum divinum est Filius, quia ex vi suæ processionis accipit naturam fœcundam, sive cum virtute communicandi illam alteri suppositò. Hanc

sententiam docuere Richardus, & D. Bonaventura, alijque antiquiores, illamque illustrarunt ex Recentioribus Zuñiga, Martinonus, Munieſſa diſp.8. de Eſſent. Dei ſect.3. & Viva de Trin.diſp.5.q.4.

74 Prob. concluſio jacta. Inde origini convenit formaliter eſſe generationem, & termino eſſe filium, unde deſumitur prædicatum, quod omni, & ſoli filio convenit; ſed accipere naturam fœcundam omni, & ſoli filio convenit: ergo hinc origini convenit formaliter eſſe generationem, & termino eſſe filium: ergo ideo Verbum divinum eſt Filius, quia ex vi ſuę proceſsionis accipit naturam fœcundam. Dices ſtatim: accipere naturam fœcundam convenit omni filio, nempe increato, & creato; & habere iſtam fœcunditatem per originem viventis à vivente ſoli Filio convenit. At hinc probabitur, quòd aſsignatum prædicatum eſt proprium quarto modo; non autem quòd ſit prædicatum eſſentiale. Contra hanc reſponſionem

75 Inſtauratur probatio: non eſt aliud prædicatum, quod omni, & ſoli filio conveniat, ut conſtat ex præmiſsâ impugnatione aliarum ſententiarum, & ampliùs conſtabit ex dicendis: ergo non ſolùm eſt proprium, ſed etiam eſſentiale Filio accipere naturam fœcundam. Conſ; nam eſſentia generationis

vi-

viventium est *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ*, hoc est, *in ulteriorem propagationem naturæ*. Prob. hæc explicatio. Docet Philosophus 2. de animâ c. 4. *perpetuitatem esse finem quo viventium*; & Angelicus ibi docet *generationem esse, qua perpetuitatem adipiscuntur viventia*. Hanc explicationem amplectuntur egregii commentatores Conimbricenses, Cardinalis Toletus, & Rubius apud citatum Munieſſam. Hic finis perpetuandi naturam indicat in Filio, qui est terminus generationis, debere continuari virtutem naturæ propagativam, ut verè sit filius, & ejus productio sit vera generatio: ergo hæc similitudo non solùm est propria, sed & essentialis, & constitutiva &c.

76 Prob. nostra conclusio ex sacrâ authoritate. Totus ad rem nostram est D. Basilius lib. 5. contra Eunom. ante medium. *Si Dei est imago Filius, Filij vero Spiritus, cur non filius Filij Spiritus dictus est?* Quæstioni respondet, *facile namque suspicari erat, quòd si filius ex Filio natus est, ex hoc utique alius natus esset, ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem processu facto.* Hæc responsio apertè supponit de ratione filij esse virtutem propagativam naturæ, sive in alio filio, ut in creatis, sive in alio supposito, ut in divinis: ergo Verbum divinum ideo est Filius, quia illam virtutem accipit.

77 Ad hanc eamdem rationem recurrit Concilium Florent. seſſ.25. in declaratione C. Beſſarionis arguentis contra Græcos ex ſenſu Latinorum Patrum : *credentes Spiritum S. à Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, ut intelligant Spiritum à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium* : hoc eſt, Verbum non eſſe Filium, & in Trinitate Filium non dari, quòd enim Pater non ſit Filius, neque Spiritus S. Filius ſit, hoc ex Fide ſupponitur. Nunc ſic : non deficit formaliter Filius, niſi per defectum illius, quod eſt de ratione Filij; ſed deficeret formaliter Filius, ſi non haberet virtutem, à qua Spiritus S. procederet : ergo hæc virtus eſt de ratione Filij. Alio modo: apud Patres Latinos in Florent. contra Græcos hæc eſt bona illatio, *ſi Verbum non ſpiraret, non eſſet Filius* : ergo de ratione Filij eſt fœcunditas ad ſpirandum, & ad propagandam naturam.

78 Nota opportunè : natura in acceptione ſtrictiſsimà eſt principium motùs, & quietis ejus, in quo eſt; quod ſic accipitur, ut limitetur ad operationes immanentes principio: unde ignis producens ignem non exercetur ut natura per motum producendi ignem extra ſe. Inſuper : natura ex conceptu talis non poſtulat, quòd poſsit ſe communicare alteri ſuppoſito, ut conſtat in ſubſtantijs non ope-

operativis per generationem. Denique : nec ipsum vivens generans filium se exercet in ratione talis ut natura, ut constat in vivente creato non se exercente immanenter in productione alterius viventis. Quænam igitur est natura, in cujus similitudinem filius est à patre ut à principio conjuncto? Est essentia physica, est principium operationum immanentium, est quidquid determinatur ad suppositum per subsistentiam. In naturà sic acceptà venit ex parte patris virtus ad propagandam naturam, ut probatum manet: ergo &c.

SECTIO VII.

Argumenta contraria solvuntur.

79 ARg. 1. Verbum divinum per id est Filius, per quod convenit cum filio creato, & ab omni non Filio differt: proindeque per id Spiritus S. non est Filius, per quod convenit cum non Filio, & differt ab omni filio. Atqui Filius divinus non convenit cum filio creato per vim ad spirandum, & Spiritus S. non differt ab omni filio per infœcunditatem ad spirandum: ergo. Minor quoad 1. partem constat: quia in filio creato non est virtus ad spirandum; quoad 2. etiam: nam hæc virtus filio creato deest: ergo Verbum non ideo est Filius, quia habet fœcunditatem naturæ; hæc enim est ipsa virtus spirandi, quæ esse non potest Id, per quod Filius est Filius.

80 Dist. maj: illam conc. de convenientiâ Filij divini cum filio creato in ratione abstractâ, & communi filij; & nego de convenientiâ in ratione talis Filij: & constat ad reliquum argumenti. Ratio abstracta, & communissima filij est virtus propagativa naturę, & hæc ratio propriè, & univocè convenit Filio divino, & filio creato; ratio autem talis filij creati est virtus non spirativa, sed generativa, ratio autem talis Filij divini est ratio spirativa, non generativa. Adde, quòd eodem argumento universaliter probabitur non solùm non esse convenientiam univocam, sed nec propriam in aliquâ ratione prędicabili de Deo, & de creaturis, ut est ratio viventis, multæque alię. Nota, ut instantias præoccupes, 1: semotâ, aut præcisâ virtute propagativâ naturæ hac, nihil est, quod possit explere in Verbo rationem Filij: solùm namque supereſt, quòd ejus processio sit origo viventis à vivente in similitudinem naturę, nempe in identitate naturæ, & hoc convenit Spiritui S, qui Filius non est. 2: sicut ex ratione præcisâ filij non requiritur in filio creato, quòd sit similis patri in naturâ realiter distinctâ; ita neque ex ratione formali filij, sed ex ratione Filij increati requiritur similitudo in eâdem individuâ naturâ immultiplicabili realiter.

Arg.

81 Arg. 2. Fœcunditas ad propagationem naturæ propria est naturæ imperfectæ, & corruptibilis in quolibet individuo, & ideo multiplicatur, ut in specie permaneat; sed natura divina est perfectissima: ergo hæc fœcunditas naturæ divinæ repugnat: ergo non ideo Verbū est Filius, quia accipit naturā fœcundā.

82 Dist. maj: illam conc. de proprio, quod omni, & non soli convenit; & nego de proprio, quod omni, & soli convenit; conc. deinde min, & nego cons. de fœcunditate, quæ omni, & soli naturæ communicabili, sive propagabili convenit. Sensus est: natura creata in agente univoco, maximè in vivente habet fœcunditatem, seu virtutem propagativam imperfectioni adjunctam: nempe ex fine ut natura, quæ alioqui periret, in specie permaneat, est enim natura creata corruptibilis, ac proinde permanere non potest, nisi multiplicetur in individuis. Hæc fœcunditas assignatis imperfectionibus admixta convenit omni, & soli naturę imperfectæ propagabili. At fœcunditas propagativa naturæ ex suo conceptu convenit quidem omni, sed non soli naturæ imperfectæ; convenit siquidem naturę divinæ, ut negari non potest: quidquid sit, an requiratur, & sufficiat, ut Pater sit Pater, & Filius sit Filius. Non itaque Filius divinus accipit fœcunditatem, ut perennet natura Pa-

tris: etsi enim iste sit finis generationis creatæ, hoc ita est, non ex ratione generationis, sed ex generatione communicante naturam corruptibilem.

83 Arg.3. Da, quòd ab homine procedat vitaliter alter homo ejusdem specificę naturæ absque virtute propagativà; iste homo procedens esset filius, ejusque processio esset generatio, esset enim origo viventis à vivente à principio conjuncto in similitudinem naturæ: ergo ad rationem filij non requiritur fœcunditas propagativa naturæ; ac proinde non ideo Verbum divinum est Filius, quia &c. Conf: sunt viventia, quibus convenit ratio filij, quin habeant virtutem propagativam naturæ, ut Leopardus ex Pardo, & Legnæ, & alia, quę ex duobus principijs non ejusdem speciei procedunt: ergo non est de ratione filij, quòd accipiat naturam fœcundam.

84 Transmitto, quod postulatur, & nego assumptum, cujus adjuncta probatio non urget: ea enim tota processioni Spiritùs S. convenit, quin sit Filius. Quid itaque esset homo ille productus infœcundus, quo appellaretur nomine ejus processio? Scio, quid non esset, nempe quòd non esset filius; scio, quòd ejus processio non esset generatio, de qua agimus, scilicet sufficiente ad rationem filij: excogitandum esset nomen, quo illa proces-

sio

sio significaretur. Dixi *de generatione sufficiente ad rationem filij*: nam non agimus de generatione substantiali acceptà in totà suà latitudine, nam alia est æquivoca, alia univoca, alia non viventium, alia viventis à vivente, & in hac ultimà divisione processio viventis à vivente non sufficit ad rationem filij, non communicatà virtute propagativà naturæ.

85 Ad conf. nego antecedens: Leopardus, viventiaque id generis, de quibus dicitur, quòd non habent fœcunditatem, si sunt filij, habeant, necessum est, virtutem propagativam quamvis non proximè expeditam, modo quo Psitaci in Europà non propagant, propagant autem in Americà. Quòd si ejusmodi viventibus deneges non solùm expeditionem, sed etiam virtutem propagativam, nego, quòd sint filij, & quòd illorum procreatio sit generatio. Hìc adverte, quòd generatio viventium ex intentione naturæ est in creatis ad perfectam specificam similitudinem, & quòd si ex accidentibus, aut ex combinatione principiorum ea perfecta similitudo non obtineatur, satis est, quòd obtineatur similitudo, quę proximiùs accedat ad specificam, & perfectam.

86 Arg. 4. Ut filius evadat similis in naturà, non requiritur, quòd accipiat fœcunditatem; ergo hæc fœcunditas non pertinet ad

ad rationem filij. Prob. ant: per hoc præcisè, quòd accipiat virtutem ad actus immanentes, est filius perfectè similis patri in naturâ, quę est principium motùs, & quietis ejus, in quo est: ergo. Conf. 1: Filius divinus est perfectè similis Patri, quin accipiat virtutem generativam per hoc præscisse, quòd naturam divinam accipiat: ergo ut sit similis perfectissimè, sufficit, quòd accipiat naturam divinam, quin ad hanc similitudinem requiratur formaliter, quòd accipiat ullam fœcunditatem. Constare debet conf: nam neque Paternitas, neque Spiratio pertinet constitutivè ad essentiam, substantiam, & naturam divinam tùm physicè, tùm metaphysicè acceptam. 2: sequitur tres divinas Personas non esse ejusdem unius naturæ: nam Patris natura dicet fœcunditatem ad generandum, & ad spirandum, natura Filij dicet fœcunditatem ad spirandum, natura Spiritùs S. nullam fœcunditatem dicit; consequens est erroneum: ergo.

87 Dist. ant: conc. de similitudine in naturâ in usurpatione strictissimâ, & nego de similitudine in naturâ, prout accipitur in definitione generationis vitalis. Prob. ant. non evincit, quod negavimus, sed quod concessimus. Relege dicta sect. precedente n. 78. Spiritus S. procedit perfectè similis Patri, & Filio in naturâ strictissimè sumptâ; nempe in intel-

lectu,

lectu, & voluntate, imò & in omnibus perfectionibus absolutis necessarijs, ejus processio est origo viventis à vivente. Quid itaque deest, ut sit Filius, & ejus processio sit generatio? Ergo ut Filius evadat similis Patri in naturà, *similitudine in natura* prout accipitur in definitione generationis vitalis, requiritur fœcunditas, nihil enim est aliud, quod aut requiratur, aut sufficiat. Hæc doctrina alio modo explicatur ab alijs. Natura divina prout communis omnibus, & singulis Personis non dicit fœcunditatem, prout in Patre fœcunditatem dicit: unde ut Filius divinus procedat perfectè similis Patri in naturà divinà prout contractà ad Patrem, debet accipere fœcunditatem.

88 Ad 1. conf. conc. ant. nego conf. Hujus prob. non urget: nam tametsi ad naturam divinam, prout communis est tribus, & singulis Personis, non pertineat virtus propagativa, sicut non pertinet generativa, non ista, sed illa pertinet ad naturam prout in Patre. Ratio discriminis est, quia natura accipitur pro substantià determinabili per hypostasim, sive subsistentiam, quam doctrinam ex revelatis per fidem habemus. At virtus generativa est hypostasis, sive subsistentia Patris: ergo non pertinet ad naturam Patris. Vice versà: fœcunditas contracta ad virtutem spirativam

vam est determinabilis ad Personam Patris per ipsius hypostasim, quæ est Paternitas: ergo ea fœcunditas pertinet ad naturam prout contractam ad Patrem. Hinc etsi quasi specificè differant Pater, & Filius, nihilominus est Filius perfectissimè similis Patri in naturâ, prout ad Patrem contractâ.

89 Ad 2. conf. nego sequelam majoris absolutè, & prout jacet. Ratio: quia simpliciter, & absolutè natura divina est communis tribus divinis Personis; quapropter tantùm constitutivè dicit perfectiones absolutas necessarias, & non relativas, ut probatum est disp.1.cap.2.sect.1. per totam. Si addas hanc limitationem, *non sunt ejusdem unius naturæ notionaliter sumptę*, sequela absurdo, & errore caret: nam natura notionaliter sumpta reduplicat proprietates Personarum. Sic cum subintellectâ explicatione bona est hæc propositio, *Filius est sapientia genita*, alięque similes, quæ Patribus, & Concilijs familiares sunt. Datam solutionem respuere non possunt Theologi illi, quibus placet essentiam, sive naturam divinam physicè acceptam constitui per Relationes, qui proinde concedunt divinas Personas non esse ejusdem naturæ physicè sumptæ. Hanc mihi falsam sententiam tenent Aureolus, Cajetanus, Valencia, alijque apud Municssam de Essentiâ Dei disp.

5.

5.n.51. Istam quidem sententiam rejeci ex eo, quòd sequetur nullam divinam Personam esse physicè adæquatè Deum, quod falsum, & absonum est. Hoc autem ex nostrà hìc datà solutione non sequitur: nam stat, quòd unaquæque Persona habeat perfectam, plenam, & totam Deitatem physicè constitutam.

90 Vides in præsenti multas difficultates oriri ex notione naturæ, quibus ut occurras, in promptu habeas, oportet, notationes datas citato nostro n.78.sect.præced. Et quoniam diximus hìc naturam accipi pro essentià physicè acceptà pro principio operationum immanentium, scilicet in omni principio, in quo ipsa natura est; atque etiam pro essentià, & quidditate, nempe tàm absolutà, quam relativà, determinabili ad suppositum per subsistentiam, hoc supereſt advertendum: in Patre increato est Paternitas, & Spiratio activa: hæc determinatur ad Personam per hypostasim; illa est ipsa hypostasis, sive subsistentia, & in hoc sensu non est natura. At præcisè acceptà naturà pro principio operationis immanentis, Paternitati divinæ esse naturam convenit: nam Pater immanenter, & vitaliter operatur per generationem. Similiter Spirationi activę convenit esse naturam; tùm quia per hypostases ad Personas determinatur; tùm quia Pater, & Filius spirando ope-

operantur immanenter, & vitaliter. Relege dicta cap.3.n.6.

91 Arg.5. Ex D. Basilio non probatur ad rationem filij constitutivè requiri fœcunditatem propagativam naturæ: ergo non consistit ratio filij in ejusmodi fœcunditate. Constat consequentia: quia ex ejus Patris authoritate, & ratiocinio ut ex firmo antecedente probaretur maximè ista sententia; nec aliunde appàret aliquod urgentius fundamentum. Prob.ant: D.Basilius non arguit infinitatem filiorum ex eo, quòd de ratione filij sit fœcunditas, sed solùm ex eo, quòd tunc accideret, si Spiritus S.esset filius Filij. Tunc non esset ratio, quare si filius primus produceret secundum, iste non produceret tertium; & sic esset progressio ad multitudinem filiorum in infinitum. Da, quòd Spiritus S. esset filius Filij. Quid sequeretur? Quòd à Filio communicaretur natura fœcunda ad illam communicandam alteri supposito; non quòd communicaretur virtus generativa: ergo in secundo filio sisteret filiorum series; ac proinde non progrederetur in infinitum: ergo siquidem istum infinitum progressum arguit D. Basilius contra Eunomium, non ponit rationem filij in naturâ fœcundà: ex hoc enim deduci non potest progressus filiorum in infinitum.

Ne-

92 Nego ant; & ad prob. dico, D. Basilium apertè supponere de ratione filij esse fœcunditatem; & quia ista est in Verbo, non in Spiritu S, concludit, non Spiritum S. esse Filium, Verbum autem esse Filium. Non postulat fœcunditatem ad generandum: ideoque tota fœcunditas sistit in processione Spiritus S. At (repetis) in hypothesi, in qua Spiritus S. esset filius Filij non sequeretur multitudo filiorum in infinitum: ut probatum in argumento est. Occurro: difficultas, quam solvit Basilius erat hęc: *si Dei est imago Filius, Filij verò Spiritus; cur non filius Filij Spiritus dictus est?* Solvitur; quia sequeretur series sine fine filiorum. Hinc instauratur argumentum: nè sequatur ista in infinitum progressio, necessum est, quòd deveniatur ad suppositum, cui communicetur natura, & non propagativa fœcunditas. Id quod de fide est in processione Spiritus; & quod dicendum esset in illà impossibili hypothesi, in qua Spiritus S. esset filius Filij, ut negari non potest ad evitandam progressionem infinitam. Sed hoc evidenter supponit, de ratione essentiali filij esse fœcunditatem: ergo stare non potest filiatio, quin Filio communicetur fœcunditas. Sed instando

93 Arg. 6. Ex allatà Basilij authoritate ad summum probatur fœcunditatem esse pro-

propriam Filij, non quòd sit essentialis, & constitutiva essentia Filij. Hoc ipsum dicendum est de authoritate Concilij Florent. Ergo non bene probatur tanquam à ratione formali primariâ, Filium ideo esse Filium, quia accipit naturam fœcundam. Additur: immò nihil probatur ex Florent. nam in posterioribus editionibus non legitur textus, ut datus est n. 77. sed hoc modo: *qui negant Spiritum S. etiam ex filio procedere, profectò manifestè declarant, quòd ex solo Patre: si verò ex solo Patre, fuit ergo, quando non erat Filius.*

94 Nego ant: probatum est suprà n. 75. fœcunditatem non esse meram proprietatem, sed rationem Filij essentialem; nunc probatur ex Basilio. Quærit: cur Spiritus S. non sit filius Filij? Ipsò interrogandi modo perspicuè intendit dare pro responsione rationem constitutivam; sicut nos id intendimus, cùm rogamus, cur Angelus non sit homo? At non dicit Spiritum S. non esse filium, quia procedit per voluntatem, quæ de se non est assimilativa, aut quia non procedit modo naturali, aut quia non illi communicatur ex vi processionis natura divina; nec quidpiam aliud respondet, nisi quòd ex suâ ratiocinatione supponitur, nempe fœcunditatem esse rationem, quare Spiritus S. non est filius: ergo

go fœcunditas ista ex mente Basilij est de constitutivo Filij. Quoniam autem in hoc dogmate de processione Spiritùs S. Basilij authoritatem sæpissimè laudat Florentinum, dicendum est, eamdem esse Concilij, & illius Patris sententiam de constitutivo Filij in fœcunditate explicatà.

95 Ad additamentum. Lectio, qua usi sumus, perspicua est, & multis placuit olim, modòque placet; novissima autem ut concinna, & non obscura sit, in antiquam incidere debet hoc modo: si Spiritus est à solo Patre; fuit ergo Spiritus, quando non erat Filius. Ratio: quia non daretur Filius, quoniam de ratione Filij est, quòd suam, & Patris naturam in Spiritum S. propaget. Sic utramque lectionem conciliat citatus Muniessa suo n. 43. Nota: Patres Latini non poterant supponere contra Græcos Schismaticos in Filio esse fœcunditatem, ut inde inferrent Spiritum à Filio procedere; sed probando hoc dogma, probabant simul fœcunditatem Filij; & quidem argumento à priori, & viâ constitutionis: neque enim aliam reddunt rationem, cur non esset Filius, si Spiritus S. ab ipso non procederet?

96 Arg. 7. Activa Spiratio præsupponit Paternitatem, & Filiationem: ergo in illo priori, in quo Pater generat Filium, iste non

est illi similis in fœcunditate; hæc enim est activa Spiratio, quę præsupponit Filiationem: ergo non ideo est Filias, quia habet naturam fœcundam. Urg: nam Pater in esse Patris est prior origine Filio: ergo Pater in esse Patris non constituitur per Spirationem activam; ac proinde per hanc non constituitur Filius in esse Filij, quod est, non constitui per fœcunditatem. Prob.cons: in illo priori originis non præcedit Spiratio activa; sed in illo eodem priori Pater constitutus est in esse Patris: ergo.

97 Nego utramque partem ant. Ex dictis hoc cap.sec.5.per totam constat 1:quòd Relatio Spiratoris, & Paternitas non habent ordinem prioris, & posterioris. 2: quòd Relatio Spiratoris priùs est in Patre, quàm in Filio. Nego deinde cons, & ad adjunctam prob; conc. virtutem spirativam esse Filij fœcunditatem, sed nego, quòd prę supponat Filiationem. Probatum citato loco manet, Spirationem activam, utpote quæ à Patre communicatur (producendo) Filio, non esse pro posteriori ad Filiationem, sed pro priori ad istam debere esse in Patre. Nec obest, quòd Spiratio activa distinguatur virtualiter realiter à Filiatione; non, inquam, obest: nam similiter distinguitur à Paternitate, & non est posterior Paternitate. Et ratio est: nam distinc-

tinctio virtualis realis est solùm ad prędicata, quæ necessariò admittenda sunt. Admittere necessum est ista : *Pater , & Filius distinguuntur per Paternitatem , & Filiationem* ; et, *non distinguuntur per Relationem Spiratoris.* Nulla est necessitas , ut hęc Relatio sit pro posteriori ad Filiationem: ergo &c.

98 Ad urg. conc.ant, & nego cons. Ad prob,rogo: an in priori originis præcedat non sola Paternitas, quæ est principium *quo* , sed etiam Persona Patris , prout est principium *quod* ? Si hoc posterius ; negare non poteris, quòd in illo priori præcedat natura divina, prout complectitur omnia absoluta necessaria ; sed similiter dicam præcedere in priori originis Relatio Spiratoris , quæ communis est Patri, & Filio. Si illud prius; ideo sola Paternitas præcedet in priori originis, quia sola ipsa , & non quod est absolutum , est principium *quo* , & virtus productiva : cumque Relatio Spiratoris non sit virtus, qua Filius producitur, dicam similiter,quòd non est in priori originis ad Filium , & Filiationem. Quid ergo ? Sicut natura, ut communicabilis , modo aliquo se tenet ex parte Patris ad Filij generationem , sic eodem tenore discurram de Relatione Spiratoris ; sive modus ille sit denominativè , sive sit reductivè pertinens ad prioritatem originis. Quomodocumque loqui

qui velis, Pater in nullo priori constitutus est in esse Patris, non intellectà Relatione Spiratoris.

SECTIO VIII.

Solvitur potissimum contra conclusionem argumentum.

99 DEsumitur ex D. Augustino lib. 7. de Trinit. cap. 2: *eo Verbum, quo Filius*: ergo idem est constitutivum Filij, & Verbi; sed de constitutivo Verbi non est virtus propagativa naturæ ad alterum suppositum: ergo neque hæc virtus est de constitutivo Filij. Ex hac authoritate, & ex ratione adjunctà recurrunt omnes, qui fœcunditatem à constitutivo Filij excludunt, ad rationem imaginis, quę est characteristica Verbi proprietas; ut probatum est c. 3. à n. 55. Hanc rationem imaginis, quæ eadem formaliter sit cum Filio, alij uno, alij alio modo explicant.

100 Ante omnia notandum est pro solutione argumenti, non potuisse Augustinum cogitare de ratione formalissimà, & abstractà filij esse rationem verbi; aut è contrario; seorsim siquidem à ratione verbi in creatis est filius, & est verbum tùm mentale, tùm vocale seorsim à ratione filij. Supereſt, ut Augustinus loquatur de Verbo, & Filio in divinis; & sic rationes istæ sunt connexæ. Ratio: quia duæ sunt operationes ad intra, alia per in-

intellectum, alia per voluntatem: illa prior arguit posteriorem, qua sistit tota fœcunditas divinæ naturę. Hinc productio Verbi, quæ est per intellectum, arguit productionem aliam per voluntatem; hæc autem productio consubstantialis, & divina essentialiter debet esse à Patre, & Filio: non autem potest esse à Filio, quin communicatam à Patre habeat fœcunditatem. Sequitur, quòd ratio Verbi connexa est in divinis cum ratione Filij; sic tamen ut ratio Verbi consistat in ratione imaginis, in qua appàrent omnia cognoscibilia quasi depicta intentionaliter, ratio autem Filij in similitudine naturæ ulteriùs propagandę.

101 Fallor vehementer, si sensus Augustini iste non sit; nempe secunda Trinitatis Persona *eo est Verbum, quo Filius*; hoc est: sicut relativè est Verbum, ita relativè est Filius. Moveor: quia totus est Magnus Doctor, ut hoc statuat: *Pater, & Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia. Non ambo unum Verbum; sicut non unus Filius, quia hoc est esse, quod sapere; quia non hoc est esse, quod Verbum, aut Filium esse.* Ad hoc statuendum facit omninò, quòd tàm Verbum, quàm Filius relativè dicantur; nihil autem facit, quòd ratio formalis, & constitutiva Verbi sit formalis ratio constitutiva Filij:

ergo non hoc posterius, sed prius illud ex Augustino evincitur; ac proinde conc.ant, nego cons.

102 Instas. D.Athanasius epist. de decretis Nicenæ Synodi sic differit: *si eum imaginem nomines, Filium eo ipso esse judicaveris. Quid est simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Ergo Verbum ideo est Filius, quia ex suâ characteristicà proprietate est imago Patris. E contrario: Spiritus S. non habet aliam similitudinem cum Patre, & cum Filio, nisi identitatem naturę divinæ; ratione autem suę proprietatis non habet similitudinem, atque adeo non est imago Dei, proindeque non est Filius: ergo ratio differentialis, & constitutiva Filij consistit in ratione imaginis.

103 Suppono in divinis solum Filium esse notionaliter, & characteristicè imaginem Patris, à quo procedit, ut ipsum intentionaliter repræsentet; ac proinde Filius non est imago Spiritùs S; neque Spiritus S. est imago aut Patris, aut Filij. Recole dicta c.3. à n.83. Jam verò ad 1.authoritatis partem dico, rectè in divinis argui rationem Filij ex ratione imaginis, sicut ratio Filij ex ratione Verbi; ut constat ex nuper dictis ad authoritatem Augustini n.98. Sed nego, quòd ratio Filij consistat in ratione imaginis, nempe intentionalis, & repræsentativæ. Hoc de ratione filij abs-

abſtractà, & communi certum eſt; cum in creatis filio non conveniat eſſe talem imaginem, ſed tantùm eſſe patri ſimilem in naturâ. Inſuper: amotà per intellectum, aut per impoſsibilem hypotheſim à Verbo ſimilitudine (ſeu proprià, ſeu improprià) naturali per idẽtitatem ejuſdem naturę, eſſet ne Filius, quia ex ſuà characteriſticà proprietate eſſet imago intentionalis? Minimè prorſus. Ad 2. authoritatis partem dico, Spiritum S. eſſe perfectiſsimè ſimilem, ſicut & coæternum, & coæquàlem Patri, Filioque: nam juxta Athanaſium in ſymbolo, *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S*: et, *totæ tres Perſonę coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*: ergo non potuit Magnus iſte Pater aſſerere, ſolùm eſſe ſimilem Deo ſuam progeniem, quin aliquid ſubintelligatur de ſpeciali modo ſimilitudinis. Dices: ſubintelligitur ſimilitudo imaginis intentionalis. Dico: ſi velis argumentum procedere in ſenſu connexionis, admitto; ſi coneris procedere in ſenſu formali, dicam ſubintelligi ſimilitudinem in fœcunditate.

104 Inſtas iterum. Deveniendum tandem eſt ad ſimilitudinem, quæ ſit ex eo, quòd Filius procedat per intellectum, quę eſt potentia aſsimilativa; ſive quia ex vi formalis productionis communicatur ipſi natura, ſive eſſentia, quæ in intellectione conſiſtat; ſive

quia Filius ex suâ proprietate est repręsentatio intentionalis: ergo, cum hęc omnia salventur, non intellectâ fœcunditate, in hac non consistit ratio Filij. Ant.prob.ex D.Thomâ multis in locis, sed prępcipuè hìc q.27.a.4. corp: *processio igitur, quæ attenditur secundùm rationem intellectùs, est secundùm rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile; processio autem, quæ attenditur secundùm rationem voluntatis, non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis, & moventis in aliquid; & ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, sed magis procedit ut Spiritus; quo nomine quædam vitalis motio, & impulsio designatur, prout aliquid ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum:* ergo ex mente D. Thomæ deveniendum est ad similitudinem, quæ &c.

105 Fateor ęgrè commodam explicationem his Angelici D. verbis posse dari, hęc tamen mihi arridet: loquitur de similitudine secundùm rationem intellectùs, ut sit Filius; sicut Augustinus, et Athanasius de conceptu Verbi, & de ratione imaginis. Dictum est in divinis istas rationes esse connexas, quia processio per intellectum affert processionem per voluntatem, quę in divinis non potest

stare,

ſtare, niſi in virtute ſpirativà, quæ communicata Verbo addit rationem Filij. Quapropter in ſenſu formali conſtitutionis non ideo præcisè Verbum eſt Filius, quia ejus proceſsio eſt per intellectum ſecundùm rationem ſimilitudinis.

106 Hanc expoſitionem non eſſe prorſus arbitrariam mihi videtur: nam addit Angelicus eam rationem, quæ eſt ſecundùm rationem intellectùs in tantum poſſe habere rationem generationis, *in quantum omne generans generat ſibi ſimile*: in quo, & qua ſimilitudine? Similitudine profectò phyſicà, & naturali, non præcisè intentionali, & repræſentativà, & in omni prædicato, quod genitor genito communicare poteſt. Atqui patet poteſt communicare filio virtutem propagativam, & in hac filius eſt phyſicè, & naturaliter ſimilis patri: in divinis quidem per identitatem cum illà virtute; in creatis autem per convenientiam in illo prædicato: ergo ex mente Angelici, ut proceſsio per intellectum, quæ attenditur ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſit generatio, requiritur, quòd genito communicetur virtus propagativa naturæ. Inſuper: in reſponſ. ad 2. ſic concludit: *non ſequitur, quòd amor ſit genitus, ſed quòd genitum ſit principium amoris*: quo principij genere? Principij videlicet productivi; quod (loquendo

do de genito increato, ac de amore notionali, hoc est, de Spiritu S.) reduplicat virtutem propagativam naturę: ergo de ratione geniti est ejusmodi virtus. Si dicas istud argumentum valere in vi connexionis, non in vi constitutionis; dicam hoc ipsum de tuo argumento desumpto ex similitudine secundùm rationem intellectùs ad inferendam rationem generationis.

107 Replicabis. Secunda Persona procedit ut verè, & realiter similis primæ: ita ut prædicatum, in quo est illi similis, sit realiter distinctum à primâ: prætereà hæc similitudo, quamvis consistat formaliter in prædicato realiter distincto à primâ Personâ, est similitudo substantialis, & ejusdem naturæ cum suo principio; sed ratio filij nihil aliud postulat, nisi quòd sit similitudo distincta à patre ipsum repręsentans in ratione similis, & quòd sit ejusdem substantiæ: ergo per hæc pręcisè Filius est Filius: ergo non requiritur fœcunditas communicata.

108 Conc. absolutè 1. maj. partem; sed adjunctam illi explicationem sic admitto, ut prædicatum formaliter productum, in quo est similitudo, sit realiter distinctum à primâ Personâ, non autem prædicatum communicatum. Est dicere: secunda Persona ratione suæ proprietatis personalis est similis suo principio;

pio ; at etiam est similis ratione naturę communicatæ , quæ omnibus divinis Personis est communis; & ratione fœcunditatis,quæ communis est Patri,Filioque. Adverte: natura Filij non est similis naturę Patris ; at Pater , & Filius sunt similes in naturà , & ratione naturæ. Jam ad 2.maj. partem conc. illam similitudinem , intentionalem videlicet , & repręsentativam , quæ consistit in proprietate distinctà à primà Personà, esse substantialem, & ejusdem , & quidem individuę substantiæ:est enim summè perfecta, & comprehensiva Dei. His notatis circa maj,nego min. inst. de similitudine intentionali , & repræsentante suum principium in eodem genere intentionali;hoc enim non est de essentià Filij , cum non reperiatur in filio creato ; requiritur autem in Filio increato, & sufficit, ut sit Verbum. Quòd autem sit ejusdem individuæ substantię , requiritur , & sufficit , ut sit perfectissimè Verbum consubstantiale Personę loquenti: qualiter non est verbum creatum tùm internum, tùm externum ; nec quidem per communicationem ejusdem specificè naturæ realiter in individuo multiplicatæ. Paucis : similitudo, quæ est de ratione filij , est , quæ petitur in communi, & receptà definitione: *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ* ; hæc est similitudo naturalis , & ad hanc extrahenter se habet similitudo intentionalis. Re-

109 Replicabis adhuc, conditionibus cæteris ſuppoſitis, quæ ad generationem requiruntur. Ideo Spiritus S. non eſt Filius, quia ipſi deeſt ſimilitudo requiſita; ſed non alia, quæ requiratur, deeſt, niſi ſimilitudo imaginis intentionalis: ergo ob hujus defectum Spiritus S. non eſt Filius: ergo ideo Verbum eſt Filius, quia ex ſuâ proprietate eſt intentionalis imago Patris. Oſtenditur min: in primis: Spiritus S. ſecundùm prædicata communia non eſt ſimilis Patri, ſed idem cum Patre: neque enim eſt ſimilis Deus, aut ſimilis Creator Patri, ſed idem Deus, idemque Creator cum Patre. Deinde: neque ſecundùm notionalia eſt ſimilis Patri; iſta enim ſimilitudo ſtaret in convenientiâ prædicatorum, quæ convenientia non datur; nam Spiritus S. ſecundùm notionale eſt productus, & Pater eſt improductus. Duę iſtæ ſimilitudines, quippe quæ non dantur inter Perſonas divinas, non requiruntur ad generationem: ſupereſt ſimilitudo intentionalis, quę ad generationem requiratur: ergo &c.

110 Conc. maj. nego min; deeſt ſiquidem Spiritui S. ſimilitudo in fœcunditate: & hęc eſt, quæ requiritur, ut ejus proceſsio ſit generatio. Quoniam autem quę congeruntur in prob. min. æquè militant contra ſimilitudinem in fœcunditate, ſive in Relatione Spi-

ra-

rationis activæ, ad ea respondendum est.

111 Igitur aliud est, quòd communia divinis Personis sint similia; aliud, quòd sint ipsa similitudo Personarum. 1. apertissimè est falsum; secundum est verum. Modò advertebam naturam Patris non esse similem naturæ Filij, sed summè eamdem; Personas autem esse perfectissimè, & summè similes in naturâ. Rationem hujus doctrinæ dedimus cap. 3. n. 131. At hæc propositio *Filius est Deus, & Creator similis Patri*, ut ortodoxè loquamur, non sine explicatione admittenda est: nempe *est similis Deus, & Creator eàdem individuâ Deitate, & Omnipotentiâ.* Et hoc sensu dicitur rectè, *Deus Filius, & Creator est similis Deo Patri, & Creatori.* Hinc Pater, & Filius sunt similes in virtute spirativà; quæ cum sit una, eademque, utrique est communis. Addebatur contra nostram doctrinam Spiritum S. non esse similem Patri secundùm notionalia; quia non est convenientia in prędicatis. Universaliter de omnibus prædicatis verum est; & id generis sunt *productum*, & *improductum*; falsum autem de prædicatis transcendentibus: ut sunt *divinum, increatum*, & alia. Hinc Pater, & Filius sunt similes secundùm proprietates notionales, per convenientiam in prędicatis, non quidem in ijs, quibus distinguuntur formaliter ad invicem, sed in ijs,

quæ

quæ de ipsorum proprietatibus univocè dicuntur. Ut viam præcludas alijs oppositionibus,

112 Nota 1. Firmiter tenendum est Spiritum S. esse perfectè similem Patri, & Filio. Constat ex Patribus, & Concilijs videndis apud Montoyam d. 103. s. 2. Hoc adeo certum est, ut aliqui Patres dixerint Spiritum S. esse imaginem Filij: in hoc excesserunt, sed non in ratione perfectissimæ similitudinis, quam supponebant. Audi Angelicum q. 35. a. 2. ad 1: *dicendum, quòd Damascenus, & alij Doctores Græcorum utuntur nomine imaginis pro perfectâ similitudine.* Hinc maximè displicet mihi sententia constituens rationem Filij in ratione imaginis, quia concedit, aut tenetur concedere Spiritum S. non esse perfectè similem alijs divinis Personis.

113 Nota 2. Dissimilia ut talia non solùm important distinctionem subjectorum, sed formas distinctas dissimiles. Ratio: quia dissimilia sunt, *quorum qualitas non est una*, sed alia, & alia non solùm numericè, sed & specificè. E contrario: similia sunt subjecta distincta, *quorum una est qualitas*, magis autem erit una, si sit una, eademque numericè. Stat itaque, quòd divinę Personæ per eamdem individuam naturam, qua sunt unus, idemque Deus, sint perfectissimè similes: ergo

go non ideo Spiritus S. non est filius, quia non sit perfectissimè similis suo principio; hoc siquidem falsum est.

114 Nota 3. Non consistit ratio filij in ratione imaginis intentionalis, & similitudinis repręsentativæ ob hoc, quòd reperiatur in Filio, & non in Spiritu S. Ostenditur: nam in Filio reperitur, quòd sit productum ab una tantum Personà divinà improductà; S. Spiritui hoc non convenit, sed quòd sit à duabus Personis, tanquam ab uno Spiratore. Rursus: Filio convenit, quòd à Patre procedat tantùm immediatè; hoc non convenit Spiritui S, qui à Patre tàm immediatè, quàm mediatè procedit. Nihilominus ratio Filij non convenit secundæ Personę, aut ex eo, quòd ab una tantùm Personà procedat; aut ex eo, quòd tantùm immediatè procedat à suo principio: ut contra aliquos ex antiquis bene probat Montoya d. 8. s. 1. Discurre similiter de ratione imaginis intentionalis, quæ repetitur in Filio, & non in Spiritu S.

SECTIO IX.

De Spiritu Sancto.

115 PAuca diximus de hujus divinę Personæ proprietate notionali c. 3. à n. 58: multa attigimus totà hac de Trinit. d. tùm circa ea, quæ illi cum alijs Personis sunt communia, tùm circa ea, in quibus ab istis illa

illa differt. Nonnulla superſunt, quę breviter explicanda ſunt.

116 Multa ſunt nomina, quę ex ſacrà eruditione Spiritui divino tribuuntur; præcipua colligit Eccleſia in Hymno *Veni Creator Spiritus*. Ex his nominibus non pauca ſunt metaphorica: ut *digitus Dei*, *ignis*, *fons vivus*, aliaque ſimilia. De his nominibus mirà eruditione differit Montoya explicans quid reale, ac proprium illis ſignificetur totà d.76. De duobus tantùm nominibus hujus divinæ Perſonæ agendum nobis eſt, ſcilicet *donum Dei*, & *Spiritus Sanctus*.

117 Quod attinet ad 1. nomen, uno excepto Durando, docent Theologi, Spiritum Sanctum non metaphoricè, aut impropriè, ſed verè, & propriè eſſe donum ex ſuà perſonali Relatione. Unum ſupponendum eſt, rationem doni non eſſe contrariam infinitæ Dei perfectioni; ut egregiè probarunt Patres contra Hæreticos negãtes Spiritum S. eſſe Deum, quia *donum eſt*. Aliud eſt probandum, nempe quòd ratio *doni* non ſit communis duabus alijs divinis Perſonis. Ex Philoſopho, quem omnes ſequuntur, donum dicit duos reſpectus, alterum ad dantem, alterum ad accipientem; & addit, quòd liberali, & gratuità voluntate conferatur. Hinc prima radix gratuitę donationis eſt amor, quo donans dat, quia

vult,

vult, bonum personæ accipienti. Subsume; sed solus Spiritus S. ex suà characteristicà proprietate, & Relatione est amor; amor autem est præcipuum, quod attenditur in dono: ergo solus Spiritus S. ex suà personali proprietate est donum. Minor quoad 1. partem est indubitata; tametsi non omnes conveniunt in modo explicandi, quòd Spiritus S. sit amor ex suà proprietate. Quoad 2. partem minor est certa apud omnes & Philosophos, & Jurisconsultos, & Theologos.

118 Filius quidem appellatur *donum*; illum enim dedit nobis Pater. Sed tamen non propriè est donum; quia ex suà proprietate non est amor, sicut Spiritus S, & amor est quasi anima doni. Hinc Filius productus prior ad Spiritum S. denominatur *donum* ab amore, qui est Spiritus S, cujus proprietas est, esse vitalem motionem, & impulsionem, prout aliquis ex amore movetur, vel impellitur ad faciendum aliquid: ut ex Angelico dicebamus nostro n. 103. Id satis evincitur scitissimo illo Joann. c.3: *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Argumentum Patrum asserentium contra Hæreticos nil evinci contra divinitatem S. Spiritùs ex eo, quòd sit donum, quia Deus Filius est etiam donum, non debilitatur nostrà doctrinà: nam Patres id docent, quod luculenter, &

breviter dixit Basilius lib. de Spiritu S. c. 14. circa finem, nempe esse *donum vitæ, & potentiæ*; & quia eodem sensu Filius est donum, ideo sicut ratio doni non obest divinitati Filij, sic nec divinitati S. Spiritus. Ad hanc responsionem nihil facit, quòd Spiritus S. propriè sit donum, Filius autem non nisi latè, & denominativè.

119 Nec Deus Pater est propriè donum, sed latè, & impropriè, in quantum se ipsum creaturis communicat, & in hoc sensu accipiendi sunt Patres, & præcipuè Athanasius. Ratio nostri dicti: quia donum debet esse donantis, sive per dominium, ut dona creata, sive per originem, ut dona increata, Filius nempe, & Spiritus S: & de his increatis donis dixit Angelicus *respicere authoritatem dantis per originem*. Hoc non convenit Deo Patri communicanti se creaturis rationalibus: ergo neque est propriè donum, ut Spiritus S, & est minùs propriè donum, quàm Filius. Quid de divinà essentiâ? Dicendum esse donum lato modo, & quatenus à Patre communicatur Filio, juxta illud Joann. 10. *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est*; & quatenus à Patre, & Filio communicatur Spiritui S; & quatenus per participationem communicatur rationalibus creaturis. At divina essentia non est donum propriè, & simpliciter: non respec-

tu

tu communicationis ad intra ; quia abest, quòd gratuitò, & liberaliter communicetur: non respectu creaturarum ; quia amor, quo gratuitò ipsis communicatur, solùm à proprietate Spiritùs S. habet esse motionem, & impulsionem ad hujusmodi communicationem.

120 Spiritus S. ipse, qui propriè est donum Patris, & Filij, non se ipsum propriè donat, nec propriè est donum sui ipsius. Constat ex immediatè dictis: nam divinus Spiritus non est donũ sui ipsius aut per dominium erga se, aut per originem à se ipso. Dicunt Patres, & præsertim Augustinus, Spiritum S. ita dari, *sicut donum Dei, ut etiam se ipsum det, sicut Deus.* Sed est sensus, quòd datur (scilicet creaturis rationalibus) per voluntatem ipsi, & Personis dantibus communem, & ipsi esse æquale dominium in creaturas: & quòd sic ipsi convenit ratio dati, ut non sit dantium dominium, sed concordia dati, & dantium. Præterea: inter personam dantem, & donum interesse debet distinctio, ut constat ex Philosopho: ergo Spiritus S. non potest esse donans, & ipsum donum. Si dicas, homo liber, & sui juris potest se ipsum alteri donare, sicut & vendere: ergo non requiritur distinctio inter donum, & donantem; negabo ant. ex præcit. Philosopho Topicor. l. 4. c. 4. post medium:

donum alicujus, & alicui dicitur; *& datio alicujus, & alicui dicitur*: ergo tàm requiritur distinctio doni à donante, quàm ab accipiente. Homo se alteri donat impropriè, & impropriè se vendit; quatenus alteri omnes suas operas aut donat, aut vendit.

121 Diximus de relatione doni ad donantem; progredimur ad relationem doni ad accipientem. Spiritus S. non donatur à Patre Filio, neque à Filio Patri donatur. Ratio: quia ubi non est voluntas gratuita, & liberalis, non est ratio doni; hæc voluntas non potest esse inter Patrem, & Filium: quidquid enim alter alteri dat, omninò, necessariò, & naturaliter dat; divinæ namque processiones sunt necessariæ, & non liberæ: ergo. Insuper: in Patre non est relatio ad Filium, ut à quo accipiat, neque ad Spiritum S, ut ad donum accipiendum; & similiter in Filio non est relatio ad Patrem, ut dantem Spiritum S, neque ad istum ut accipiendum. Perspicuum est testimonium Augustini 15. de Trinit. c. 19. *Spiritus S. in tantum Dei donum est, in quantum datur eis, quibus datur. Apud se autem Deus est, quia Deus erat Patri, & Filio coæternus, antequam cuiquam daretur*: ergo Spiritus S. ab æterno non dabatur cuiquam; ac proinde nec dabatur Filio à Patre, nec Patri à Filio. In tempore autem nihil potest Persona divina donare Personæ divinæ. Su-

122 Supereſt, ut S. Spiritus habeat rationem doni per relationem ad creaturas, & quidem ad rationales capaces beatitudinis, Angelum ſcilicet, & hominem. Ex præcit. Auguſtino Spiritus S. non eſt donum, niſi quatenus datum. Infer, ab æterno fuiſſe donum, hoc eſt, donabile, & in actu 1. ex ſuâ intrinſecâ proprietate. Infer, in tempore eſſe donum actuale, & in actu 2. Infer, iſtud donum non fuiſſe noſtrum ab æterno, ſed eſſe noſtrum in tempore. Eſt itaque Spiritus S. donum noſtrum, & nobis datum per gratias, quas nobis elargitur; ſed præcipuè per gratias ſupernas, & antonomaſticè per gratiam ſanctificantem, & per ſupernaturalem beatitudinem. Si plura velis de hoc nomine *donum Dei* proprio Spiritûs S, conſule Eruditiſsimum Montoyam d. 75. per totam.

123 Jam verò de hoc alio 2. nomine Spiritûs S, quo divina Perſona à Patre, & Filio procedens per voluntatem deſignatur characteriſticè, non nihil dicamus. Ex humanâ, & ſacrâ eruditione nomen *Spiritus* variæ, & multiplicis ſignificationis eſt. Primæva ſignificatio appropriatur aeri, ſive auræ, aut vento; ideoque ut primum reperitur in Scripturâ Geneſ. 1. v. 2: *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; accipitur pro vento, ſive pro aere cum motu, & agitatione. Ita Tertullia-

nus, & Theodoretus, multique alij, quos sequitur N. Pererius. Patres communissimè illum locum de Spiritu S. exponunt; sed supponunt analogiam hujus divinæ Personæ ad ventū. Hanc verò interpretationem de Spiritu S. esse mysticam dici posset; dicerem utramque esse litteralem, primam in sensu naturali secundam in sensu topico.

124 Quia aer, aura, & ventus, cui primò accommodata vox *spiritus* est, inter materiales est res subtilis, hac de causà ad res alias subtiles significandas translata est: sed præcipuè ad significandum animam, & magis strictè ad significandum animum rationalem, & strictissimè ad significandum Deum ipsum. Notum est illud Trimegisti, quem laudat N. Cornelius in cit. Scripturę locum: *materiâ subtilior est aer, aere anima, animâ mens, mente ipse Deus.*

125 Est itaque Deus Spiritus, substantia scilicet spiritualis, completa, & omninò simplex. Cumque Deitas sit perfectissimè communis Personis divinis, constat, omnibus convenire esse spiritum. Deinde: sanctitas est attributum tribus Personis perfectissimè communis, & unaquęque personalitas est sanctitas, cum sit perfectissima, & summa participatio divinæ naturæ. Nomen itaque *Spiritus Sanctus* omnibus, & singulis divinis Per-

Personis perfectissimè convenit. Quo igitur sensu istud nomen spiratæ divinæ Personæ convenit specialiter, & characteristicè? Dico: in sensu Theologico, & dogmatico convenit specialiter, & characteristicè convenit; nempe ex usu Scripturæ, & Patrum illud nomen ex se commune restringitur ad tertiam divinam Personam. Audi Theodoretum dialog. *Immutabilis* 1. colum. 3: *Scriptura Spiritum vocavit & Patrem, & Filium; id, quod est divinæ naturæ incorporeum, & quod circumscribi non potest, per hoc significans: Spiritum autem Sanctum solam Spiritûs hypostasim nominat.*

126 Reservatum ergo est illud nomen de se commune divinis Personis ad significandum determinatè tertiam: quoniam in creatis sunt suppositа viventia, quę verè sunt pater, & filius per veram generationem; at nullum est suppositum vivens in creatis, quod procedat ab alio, & non per generationem. Hinc in creatis est nomen patris, quod primæ Personę convenit propriè; similiter est nomen filij, quod propriè convenit secundæ; nulla tamen processio est in creatis viventis à vivente, ex qua desumatur nomen, quod propriè tertię conveniat. Ex defectu hujus nominis proprij factum est, ut nomen *Spiritus S.* restringatur ad significandum determinatè tertiam Personam.

127 Dixit Angelicus q. 36. a. 1. illud nomen *Spiritus S.* per modum duarum vocum esse commune; efficiendo autem quasi unam simplicem vocem, ad tertiam Personam restringi. Docuit insuper ex Augustino 5. de Trinit. cap. 11. eo nomine non denotari, nempe explicitè, Relationem Spiritùs S, quia non ita expressè, ac nomen Patris, & Filij explicat habitudinem tertiæ Personæ ad suum principium. Sed tamen rectissimè nomen *Spiritus* cum analogià ad ventum significat tertiæ Personæ Relationem, & proprietatem, quà est impulsio, & quædam vitalis motio orta per voluntatem; quo sensu nomen *Spiritus* alijs divinis Personis non convenit. Hanc ad aerem, seu ventum analogiam, ut explicetur proprietas Spiritùs S, ad halitum respirationis determinat Montoya d. 65. s. 3. optimis argumentis, & simul ostendit nomen etiam *Sanctus* adjectum voci *Spiritus* esse proprium tertiæ Personæ, quatenus est amor spiratus, in quo Pater, & Filius seipsos, & omnia diligunt. Sanctitas autem, quæ sit actus, potissimùm in amore consistit; quapropter tertia divina Persona cum respectu ad suam propriam processionem ad se restringit non solùm nomen *Spiritus*, sed & nomen *Sanctus*: in quantum est amor, dilectio, & charitas.

128 Ista hæc divina Persona est Patris,

Filijque Spiritus, quod apertissimè ex Scripturà constat: ideoque ferè semper, ac in eà dicitur *Spiritus Dei*, *Spiritus Patris*, *Spiritus Filij*, tertia Persona denotatur, ut ex Athanasio ostendit citatus Montoya s.2. n. 11. Est quidem Spiritus Patris, & Filij, quia est terminus, & fructus amoris, quo Pater, & Filius se mutuò diligunt; & procedit *tanquam ineffabilis Patris, Filijque communio*, ut serm. 38. de temp. & ubique loquitur Augustinus.

129 Igitur Spiritus S. procedit à Patre, & Filio: quod est dogma de Fide definitum in Lugdunensi sub Greg. X, & in Florentino sub Eugen. IV. Quòd Pater, & Filius sint unum principium Spiritùs S. est certum, & censetur definitum in eodem Lugdunensi, habeturque cap. de summ. Trinit. in 6. per hæc verba: *damnamus omnes, qui temerario ausu asserere præsumpserint, quòd Spiritus S. ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex uno procedat.* Accedit ratio: nam concreta substantiva non multiplicantur nisi multiplicatà formà, quę per nomen significatur; sed forma significata per nomen *principium Spiritùs S.* non multiplicatur in Patre, & Filio: est enim in utroque eadem unà virtus spirativa: ergo.

130 Sic tamen Spiritus à Patre, Filioque tanquam ab uno principio procedit, ut

per

per se procedat ab ipsis, tanquàm à duobus suppositis distinctis: hoc est, S. Spiritus ex suâ proprietate sicut petit essentialiter unum principium, ita & essentialiter petit duo suppositа, à quibus procedat. Probatur ex Florent. sess. 15. §. *Ab ineunte* ibi. *Spiritus S. per se se neque ad Patrem, neque ad Filium refertur, quatenus Pater, & Filius sunt, ratione verò, qua Spiritus est, ad Spirantes refertur.* Tunc sic: Spiritus S. per se se ad Spirantes refertur; sed Spirantes sunt duo suppositа, & non unum: ergo per se refertur ad duo suppositа. Accedit ratio: Spiritus S. procedit per se à principio ut exercito per amorem mutuum. Constat ex Patribus, & Concilijs, pro quibus sufficiat Toletanum XI. in profess. Fidei: *nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, sed Patris, & Filij Spiritus dicitur ... ab utrisque processisse monstratur, quia charitas ... amborum agnoscitur.* Atqui nequit intelligi principium exerceri per amorem mutuum, nisi intelligantur duo suppositа, quæ se invicem ament: ergo Spiritus S. per se procedit à duobus suppositis. Videatur Vazquez hic disp. 150.

131 Consectarium ex hucusquè dictis. Unica, formalis, & immediata ratio distinguendi Spiritum S. à Filio, sicut & à Patre, est, quia à Filio procedit. Probatur ex Toletano eodem XI. in eàdem Fidei profess: *credi-*

dimus Spiritum Paraclitum, qui nec Pater sit, nec Filius, eo quòd sit à Patre, Filioque procedens. Hæc autem propositio est de unicà ratione formali, & immediatà distinguendi; nam addit Toletanum: *hoc enim solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt.* Huc facit axioma illud, quod Conciliorum, & Patrum authoritate, & ratione efficaci probatum est hoc cap. n. 4. & 5: *in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat Relationis oppositio.* Si dicas Filiationem, & Spirationem passivam distingui, quin inter se relativè opponantur; occurram: Filiatio (idem de Paternitate) opponitur Spirationi passivæ oppositione relativà mediatà sufficiente ad fundandam distinctionem. Ratio: quia Filiatio ex suà ratione individuali exigit essentialiter Spirationem activam sibi realiter identificatam, ita ut in nullo supposito possit esse sine Spiratione activà. Repugnat autem Spirationem passivam reperiri in supposito, in quo ex necessitate est Spiratio activa: ergo. Recole dicta hoc cap. à n. 7. ad 11.

SECTIO X.

An, si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur à Filio?

132 VIdes propositionem esse de hypothesi impossibili. Docui latè in Philosophiâ argumentationes ab hypothesi im-

impoſsibili eſſe prorſus inutiles ad examinandas rerum eſſentias, & ipſarum cum terminis connexiones; id, quod inſinuavi in hoc tract. d. 1. c. 2. n. 11. Hanc tamen doctrinam ſic admiſi, & nunc admitto, ut ejuſmodi argumentationes deſerviant ad deducendum ad impoſsibile, hoc eſt, ad admittenda duo contradictoria. Do exemplum. Quæratur, an ſit poſsibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata? Admittis ejus poſsibilitatem; illam nego, & arguo ſic: iſta ſubſtantia ſupernaturalis eſſet creata, & non eſſet creata. Concedis unum contradictorium ex his, alterum probare debeo: quod ſi fecero, ad impoſsibile te deducam, & ejus ſubſtantiæ impoſsibilitatem evincam.

133 Appàret jam ſenſus quæſtionis propoſitæ per illam propoſitionem de hypotheſi impoſsibili: an, ſi Spiritus S. non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio. In Florentino Joann. Theologus, Patreſque Latini contra Græcos Schiſmaticos hac propoſitione de hypotheſi impoſsibili utebantur. *Si Spiritus S. non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio.* Utiliter quidem ad intentum, ad deducendnm ſcilicet ad impoſsibile: nempe ad hæc duo contradictoria *diſtingueretur*, & *non diſtingueretur*. Horum primum admittebant Græci, alterum contra ipſos probabant Latini. Sub-

134 Subtilis Doctor, quem fui sequūtus in 1. dist. 11. q. 2. sic se explicat: *movetur quæstio, ut inquiratur, quod sit principium distinctivum reale Filij, an Filiatio, an sola Spiratio activa? Quia si Filiatio: ergo circumscriptâ activâ Spiratione per quodcumque impossibile, adhuc remanebit ratio distinguendi.* Hinc sententia Scoti, & suorum est, quòd etiamsi Spiritus S. non procederet à Filio, adhuc distingueretur à Filio. Contraria sententia est communissima inter Thomistas, & Jesuitas, & sequuntur Angelicum hìc q. 36. art. 2.

135 Assertum nostrum. Si Spiritus S. non procederet à Filio Deo, non distingueretur ab ipso. Expendamus hypothesim. Si attendas solùm ad illius formale prædicatum, non nuncupato subjecto, nec distinctio, nec indistinctio infertur. Ratio: prædicatum formale hypothesis est *non productio*; sed ex non productione non infertur distinctio, neque indistinctio: nam Deitas non procedit à Filio, & non ideo distinguitur à Filio; & Pater non procedit à Filio, & non ideo non distinguitur ab ipso: ergo. Si verò attendas ad solum subjectum materiale hypothesis, distinctio infertur tantùm. Ratio: subjectum materiale hypothesis est Filius divinus; sed Filius divinus ex se, & ex suâ proprietate est distinctio realis ab Spiritu S: generatio namque passiva est rea-

realitas, quæ identificatur cum Filio, & non cum Spiritu S: ergo. Igitur attendimus ad totam hypothesim, quin abstrahamus à ratione entis divini in utroque termino, quorum distinctio, aut realis identitas illà hypothetica propositione quæritur, & in hoc sensu

136 Probatur nostra doctrina. Ens divinum excludens omnem relativam oppositionem cum alio ad intra dicit necessariò identitatem, & unitatem cum illo. Stabilita nuper est propositio n. 131. & locis ibi citatis; & conf. efficaciter. Ideo docet Fides, & ex dogmate probat Theologia attributa divina inter se, & cum essentiâ identificari, quia hìc nulla est oppositio relativa producentis, & producti: ergo hoc prædicatum *ens divinum* nullam oppositionem relativam dicens cum alio intra Deum, dicit necessariò unitatem identitatis inter illa. Deus itaque ex summâ unitate, & simplicitate petit, ut quæcumque sunt intra ipsum absque relativâ oppositione, sint unum per identitatem. Assumo: sed Spiritus S. est ens divinum, &, si non procederet à Filio, excluderet omnem relativam oppositionem cum Filio: neque enim produceret, neque produceretur à Filio; & in divinis non est alia Relationis oppositio, nisi producentis, & producti: ergo si Spiritus S. non procederet à Filio, diceret necessariò unitatem, & identitatem cum Filio. Rel-

137 Respondent Scotistę. Et si in eà hypothesi non esset Relatio oppositа, esset tamen Relatio disparata; Theologicum illud *in divinis omnia sunt idem, ubi non est Relatio* accipitur de Relatione vel oppositа, vel disparatà. In eà hypothesi in Filio non esset Relatio oppositа, nempe Spiratio activa; esset autem Relatio disparata, scilicet Filiatio: unde in eà hypothesi Spiritus S. adhuc distingueretur à Filio.

138 Contrà: quia illud axioma est expresse ex doctrinà Patrum, & Conciliorum de *Relationis oppositione*, de relatione *producentis*, & *producti*: ergo perperam pro distinctione Personarum recurritur ad Relationes disparatas. Ant. constat ex ijs testimonijs, quæ multis in locis dedimus; & ex multò pluribus, quæ videri possunt apud Montoyam d. 68. sect. 4, & disp. 9. sect. 2, & 3. Egregium est illud D. Nizeni, quo usus fuit C. Bessario in Florentino orat. pro Unione c. 6. his verbis: *eo distinguitur*, inquit Nizenus, *Spiritus à Filio, quia per ipsum est, quasi diceret, quòd cum ambo à primo sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset.* Notat ibi Bessario hanc expresionem *alter per alterum esset* idem valere, ac si diceretur, Spiritus S. est *à Patre*, & *Filio*. Igitur non Relatio disparata, sed Relationis oppositio est, quæ suffi-

cien-

cienter distinguit alteram ab alterà divinà Personà. Insuper: Græci admittebant Relationes disparatas, idque notum erat Patribus Latinis; & isti intorquebant contra illos hoc telum, *si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur à Filio.* Denique, Florentinum de eà Relatione loquitur, ex qua deducebat dogma de processione Spiritùs S. à Filio; sed hęc Relatio non est disparata, sed est Relatio Spiratoris: ergo.

139 Oppones 1. Filius procedit per intellectum, Spiritus S. per voluntatem; sed ideo distinguuntur realiter processiones passivæ, quia altera est per intellectum, altera per voluntatem: ergo præcisè stante, quod Filius procedat per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem, stat, quòd Spiritus S. distinguatur à Filio, quamvis ab isto non procederet. Ex dictis cap. 3. à n. 2. ad 6. respondeo non aliunde probari duas esse processiones passivas realiter distinctas nisi ex eo, quod duæ sint Personę procedentes, quarum una alteram producat. Imò etiam suppositâ reali Personarum distinctione, & earum differentiâ quasi specificâ, non facto recursu ad Relationem producentis, & producti, non probatur duas esse passivas processiones realiter distinctas. Ergo à fortiori, negatâ eà Relatione inter Personas procedentes, negatur realis dis-

distinctio alterius ab alterà. Ne eadem repetamus, relege dicta cit.loco: & conc.maj.arg, nega min,prout jacet.

140 Oppones 2. Si Pater non produceret Spiritum S,quem produceret Filius, adhuc Spiritus S. distingueretur à Patre, & tamen non esset inter has Personas Relationis oppositio: ergo etsi Spiritus S. non procederet à Filio,adhuc distingueretur à Filio,quamvis inter has Personas abesset realis oppositio. Major constat: nam si in eà hypothesi Pater identificaretur cum Spiritu S, hic produceret Filium, & rursus produceretur à Filio; hoc, ut supponitur: illud, quia Spiritus S. esset idem cum Patre, à quo producitur Filius. Omittatur major, & distinguatur minor: non esset in eà hypothesi Relationis oppositio immediata, conc; mediata, nego min:nam Pater mediatè produceret Spiritum S. per Filium. At cum in hypothesi quæstionis Filius neque mediatè, neque immediatè produceret Spiritum S,sequitur,quòd una ex his Personis ab alterà non distingueretur. Hinc neganda est argumenti cons.

141 Oppones 3. In hypothesi, qua Spiritus S. non procederet à Filio, Spiratio activa esset in solo Patre, & non in Filio: ergo Filius ab Spiratione activà realiter distingueretur absque relativà oppositione. Ratio

conſ: quia Filius non procedit à Patre ut ſpirante, ſed ut generante: ergo ſimiliter, quamvis per hypotheſim ſemoveatur ab Spiritu S. Relationis oppoſitio, adhuc diſtingueretur à Filio. Conſtat hæc conſ. à paritate. Dato ant. nego conſ: dici enim poſſet, quòd in eà hypotheſi eſſet in Patre eadem Relatio realiter virtualiter generatio, & Spiratio activa; & quòd per eamdem realiter, & virtualiter Relationem generaret Filium, & emitteret Spiritum S; ad modum, quo idem realiter, & virtualiter actus eſt amor Dei, odium peccati. Eſſet itaque in illà hypotheſi oppoſitionis Relatio inter Filium, & Spirationem activam, quæ eſt realiter, & virtualiter generatio activa. Ad prob. conſ. negatæ dicendum, quòd in illà hypotheſi tantùm in ſenſu formali eſſet verum, Filium non procedere à Patre ut ſpirante, ſed ut generante: eſſet enim à Patre ut ſpirante Spiritum S. per eamdem realiter, & virtualiter Relationem, qua Filium generaret.

142 Quid ſi hypotheſis ita conſtruatur, ut Spiratio activa non ſolùm ſit in Patre, ſed in Filio ſine munere ſpirandi, quo caſu Spiritus S. non procederet à Filio? Dico: in eà hypotheſi Spiritus S. diſtingueretur ab Spiratione activà, quæ eſt ejus principium in Patre; non tamen diſtingueretur à Filio, à quo

non

non procederet. Sic Filius non distinguitur ab essentiâ, quæ est Paternitas, à qua distinguitur: & similiter in eâ hypothesi Spiritus S. distingueretur ab Spiratione activâ, non tamen distingueretur à Filio, à quo in vi Spirationis activæ non procederet, sicut procedit à Patre.

143 Quid deinde, si formetur hypothesis, in quâ Spiritus S. sic procederet à Filio, ut à Patre non procederet? Dico: si perstet, quòd procedat mediatè à Patre, ab hoc distingueretur propter mediatam Relationem oppositionis; si autem nec mediatè à Patre procederet, non distingueretur, sed cum Patre identificaretur. Et tunc esset egregia in terminis implicatio, quòd Pater Filium produceret, & Filius solus Spiritum S, & quòd inter Patrem, & Spiritum S. non esset mediata Relatio producentis, & producti. Superaddatur alia implicatio, nempe quòd Pater identificetur cum Spiritu S, & quòd generet Filium. Dicam: non propterea Spiritus S. generabit Filium, ut arguentibus ab absurdo objiciebatur suprà ab adversarijs. Ratio: quia tunc dicendum esset inter Patrem, & Spiritum S. esse distinctionem virtualem realem, & hujus beneficio, quamvis Pater, & Spiritus S. essent idem realiter, Pater, & non Spiritus S, produceret Filium. Hinc nec se-

queretur in eà hypotheſi mutua prioritas originis inter Filium, & Spiritum S.

144 Vides in præſenti unam quęſtionis hypotheſim impoſsibilem aliam, & aliam trahere; à quibus omnibus uno, eodemque modo te expedies: nam in ſingulis hoc ponitur ut principium, in hypotheſi maneret proprium conſtitutivum, & diſtinctivum Filij ab Spiritu S, & hujus ab illo. Diſtingue propoſitionem: maneret, & non maneret, conc; maneret pręcisè, negabis. Alio modo: maneret diſtinctivum conjunctum cum identificativo, conc; ab identificativo ſejunctum, nego. Quid inde? Quòd utrumque contradictorium ſequitur; quòd propoſitio illa, & argumentatio Patrum Latinorum contra Græcos in Florentino dirigebatur ad deducendum ad impoſsibile. Ex dictis concludes utramque ſententiam eſſe veram, niſi altera, quod altera infert, neget; nempe niſi Scotiſtæ ponentes diſtinctionem negent negationem diſtinctionis, aut Thomiſtæ, & Jeſuitæ inferentes hanc negationem excludant diſtinctionem. Sic ſtatuit, & bene probat Auguſtinus Herrera hic q. 7. ſ. 5. per totam.

145 Argumentis ab authoritate Nazianzeni, Athanaſij, Auguſtini, & Damaſceni contra noſtrum aſſertum petitis ſuperſedeo; quibus id unum probatur ſufficienter

diſ-

distingui Filium, & Spiritum S. ex diverso modo, quo à Patre procedunt. Generalis responsio est, quòd negatà processione Spiritùs S. à Filio, neque illam realem distinctionem ex eo desumptam, quòd Filius à Patre est *natus*, & Spiritus S. *non natus*, sed *spiratus*, neque ullam aliam realem distinctionem concedere possemus. Maximè fidunt adversarij testimonijs Anselmi epist. de proces. Spiritùs S. docentis, quòd etiam si per *aliud non essent plures Spiritus Sanctus, & Filius, per hoc solùm essent diversi, quòd pluralitas, ex nativitate, & processione* (hoc est, ex Spiratione) *nascitur*. Dicendum est Anselmum ponere principium à Græcis concessum, ut ex propriâ sententiâ inde colligat processionem Sancti Spiritùs à Patre, & Filio: neque enim Anselmus Personarum distinctionem colligit nisi ex Relatione producentis, & producti; & ipsum Scholastici faciunt illius axiomatis præcipuum auctorem, *in divinis omnia sunt idem, ubi non obviat Relationis oppositio*. Consule Montoyam d. 9. s. 5. à n. 16. & d. 68. sec. 6. à n. 8: & lege Angelicum hac q. 36. a. 2. fine.

SECTIO XI.

Similitudo, æqualitas, & circuminsessio divinarum Personarum.

146 Divinæ Personæ sunt verè, propriè, & perfectissimè similes in naturâ,

sive ratione ejusdem individuæ naturę. Hęc propositio ab authoritate, & ratione manet probata multis in locis hujus disp. præsertim hoc cap.à n.106. ad 113. Propositio est contra Augustinum Herrera docentem, omnes tres divinas Personas esse similes inter se similitudine latè acceptà, solumque Filium esse similem alijs Personis similitudine strictà. Sic q. 15. s. 1. quod etiam docuit perdoctus Nicolaus Martinez in M.S.de Trinit.

147 Pro hoc discurrendi modo adducitur authoritas Conciliorum, & Patrum stabilientium *Omousion*, & rejicientium hanc vocem *Omiusion*, quæ significat rem similis naturę cum aliâ. Hoc tamen argumentum est nullum: nam divinæ Personę non sunt similis naturę; *Omiusion* siquidem significat similitudinem naturarum, ac proinde ipsarum distinctionem. At similitudo in naturâ, & ratione naturæ supponit distinctionem subjectorum, & significat convenientiam in formâ, substantiâ, sive essentiâ. Quòd si convenientia sit perfectissima, ut est in divinis Personis, affert eamdem, atque individuam naturam; quod significatur per vocem *Omousion*.

148 Dices. Identitas, & similitudo opponuntur; sed divinę Personæ sunt idem, & unum in naturâ, & ratione naturę juxta illud Christi Domini, *ego, & Pater unum sumus*: ergo

go divinæ Personæ non sunt similes, nempe strictè in naturâ, & ratione naturę. Retorque: identitas, & similitudo lata opponuntur: nam similitudo lata affert distinctionem; sed divinæ Personę non distinguuntur in naturâ, & ratione naturæ: ergo non sunt similes, etiam latè in naturâ, & ratione naturæ. Directè: identitas subjectiva, & formalis, & similitudo opponuntur, conc; identitas secundùm formam cum subjectivâ distinctione, & similitudo opponuntur, nego: & cadit reliquum. Nota: docuit Philosophus 5. Metaph. cap. 15, *quòd eadem sunt, quorum una est substantia; similia, quorum una est qualitas; æqualia, quorum una quantitas.* Hæc in rigore Personis divinis non adaptantur: ubi enim est in ipsis una qualitas, ut sint similes, aut una quantitas, ut sint æquales? Præterea, Philosophus loquitur de unitate in substantiâ, acceptâ unitate pro naturâ specificè eâdem, quæ quidem unitas affert distinctionem, & pluralitatem realem naturarum; & ab hoc infinitè distat unitas, & identitas divinarum Personarum in naturâ, & ratione naturæ. Fides nos fecit Philosophos; & similitudinem strictam agnoscimus per hoc, quòd verificat istud dogma, *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S.* &c.

149 Divinæ Personæ sunt verè, propriè, & perfectissimè æquales ad invicem com-

comparatę. Hæc quoque propoſitio authoritate, & ratione manet ſtabilita varijs in locis hujus diſp. præſertim cap. 2. à n. 86. ad 96. Imò unamquamque Perſonam æquare in perfectione totam Trinitatem probatum eſt citat. cap. à n. 77. ad 84. Hanc veram, & propriam æqualitatem divinarum Perſonarum negare, & latam, ſed perfectiſsimam concedere videntur aliqui Philoſophi, qui docent unum infinitum non poſſe eſſe majus, aut minus, etiam materialiter alio; nec ęquale, aut inęquale alteri. Huic cogitationi ſubſcripſi in Philoſophiâ, concedens Perſonas divinas eſſe æquales in ſenſu theologico, & dogmatico: addo modò, quidquid ſit de ſenſu philoſophico, eas eſſe verè, & propriè æquales. Ratio: quia corrigenda eſt uſurpatio philoſophica ad normam, quam Theologia deſcribit ex principijs Fidei, ut nuper notabamus.

150 Dices. Sicut majus, & minus, ita & æquale, & inæquale ſupponit in uno comparationis extremo terminum, ultra quem alterum extremum non progrediatur, aut quem non attingat, aut ultra, & citra quem non excurrat. Atqui in comparatione infiniti ad infinitum in neutro eſt aſsignabilis terminus: ergo nec eſt in ipſis majoritas, minoritas, ęqualitas, aut inæqualitas: ergo divinę Perſonæ non ſunt verè, & propriè æquales. Solvi-

tur

tur argumentum. Supposità quantitate perfectionis in utroque extremo infinito, hoc ipso, quòd neutrum habeat terminum, alterum alteri est æquale; utrumque enim ad invicem sunt mensura, & mensuratum. Sic suo loco docuimus æternitatem divinam esse mensuram divini esse actualis: quia infinitum infinito mensurari potest; quia sicut infinitum mensuratum termino caret, ita & infinita mensura.

151 Expende discursum Athanasij in Symbolo: ponit perfectissimam convenientiam divinarum Personarum in essentià, & attributis: *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S*; infert: *in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ergo sicut sunt verè, & propriè coæternæ, quia in Trinitate non est prius, nec posterius; ita sunt propriè, & verè coæquales, quia neque est in Trinitate majus, aut minus. Notanter supposui, quòd, ut detur æqualitas, debet dari quantitas perfectionis: mera enim duorum convenientia in aliquà perfectione est mera similitudo; convenientia autem in quantitate perfectionis est æqualitas. Et quia quantitas uniuscujusque Personæ est infinita, & non datur majus, & minus, ideo divinæ Personæ sunt non solùm verè, & propriè, sed & perfectissimè, & infinitè æquales. Di-

152 Divinę Perſonæ reciprocè per circuminſeſsionem inexiſtunt titulo etiam operationis ad intra. Hanc etiam propoſitionem probatam dedimus, & quidquid ad circuminſeſsionem attinet, explicuimus ratione, & authoritate hujus diſp. cap. 1. à n. 5. ad finem uſque ſect. Omnia complexus eſt Auguſtinus 6. de Trinit. cap. ult. docens *in ſummâ Trinitate ſingula eſſe in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & unum omnia.* En in omnibus, & ſingulis Perſonis non ſolùm eſt eſſentia, quod eſt de Fide; ſed in omnibus, & ſingulis ſunt omnes Relationes; quæ conſtituit unam ſingularem Perſonam, eſt per identitatem in ipsâ, quæ verò diſtinguuntur, ſunt per circuminſeſsionem. Pulcherrimum eſt illud, quod canit Eccleſia in hymno feriæ ſecundę ad laudes: *in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Hoc ipſum de Spiritu S. relativè ad Patrem, & Filium, & de his relativè ad illum dicendum eſt. En quam poſuimus divinarum Perſonarum ſecundùm eſſentiam, & Relationes mutuam circuminſeſsionem.

153 Nunc addidimus iſtam circuminſeſsionem eſſe etiam titulo operationis immanentis: eſt quidem fundamentaliter primariò ex identitate divinæ naturæ unius, & individuæ in Perſonis; formaliter autem conſiſtit

sistit in immensitate, quæ Personis est communis, & unaquæque est relativè immensa: nam hoc prædicatum *immensum* est multiplicabile. Vide dicta cap. 2. hujus disp. n. 105. Jam verò quòd ista circuminsessio sit etiam titulo operationis ad intra, constat de Personis procedentibus, quę immanenter, & vitaliter à principio activo producuntur. De Personis autem producentibus, ut maneant in Personis productis, probatur: implicat unum esse intrinsecè præsens alicui termino, & quòd huic non sit intimè præsens illud aliud. Sed ratione operationis ad intra Personę productæ sunt intimè præsentes Personis producentibus: ergo & ratione ejusdem operationis Personę producentes sunt intimè præsentes Personis productis; hæc autem intima præsentia est circuminsessio: ergo.

154 Dices: Patres unicè recurrunt pro asserendà circuminsessione ad unitatem naturæ; & dum insinuant consistere in immensitate, loquuntur de ipsà, ut est quid absolutum: ergo non bene fundatur circuminsessio in operatione immanente. Respondetur: Patres non excludunt, quòd circuminsessio consistat in relativà immensitate proprià singularum Personarum. Nec excludunt, quòd fundetur in operatione immanente. Quoniam autem rationes efficaciter probant id, quod Pa-

Patres non excludunt, rectè admittitur, & quòd circuminsessio consistat sufficienter in relativà immensitate, & quòd etiam fundetur in operatione ad intra.

SECTIO XII.

Explicatur missio divinarum Personarum.

155 MUlta huc vocari possent ex dogmaticà, & positivà Theologiâ; pauca dabimus, quæ propria sunt speculativæ. Deum Patrem misisse Filium unigenitum suum constat ex illo Joann. 3. *non misit Deus Filium suum in mundo, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Spiritum S. mitti à Patre constat ex illo Joann. 14. *Spiritus Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo* Mitti etiam à Filio constat ex cap. 15. ejusdem Joann. *cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Patrem non mitti ab aliâ divinâ Personâ certum est, id concorditer asserentibus Patribus, & Doctoribus ductu Sacræ Scripturæ, in qua non legitur missio Patris. Filium mitti à Patre, & simul cum Patre mittere Spiritum S. evidens est ex testimonijs allatis. Spiritum S. Personam aliam divinam non mittere constat eodem argumento, quo probatum est Patrem non mitti.

156 Objicis illud Isaiæ 61. *Spiritus Domi-*

mini ſuper me, eo quòd unxerit me, ad evangelizandum pauperibus miſit me; quod de ſe ipſo pronunciatũ fuiſſe explicat Chriſtus D. Luc. 4. Reſpondetur: accipitur de Chriſto D. non ſecundùm Perſonam aſſumentem, ſed ſecundùm humanitatem aſſumptam; ſecundùm quam Chriſtus eſt unctus oleo divinitatis, gratiâ unionis hypoſthaticæ, & donis ſupernis. Sic Filius dicitur miſſus ſecundùm humanitatem ab Spiritu S, *& à ſe ipſo*, ut teſtatur Toletanum 11. in profeſ. Fidei: ac proinde ſecundùm effectum externum productionis humanitatis, & unionis hypoſthaticę miſſus eſt à totâ Trinitate, cujus indiviſa ſunt opera ad extra. Et quoniam miſsio Spiritûs S. ſecundùm operationem externam eſt pariter à totâ Trinitate, dicendum eſt Spiritum S. mitti à ſe ipſo eodem prorſus ſenſu, quo Filium mitti à ſe ipſo ſecundùm humanitatem docuit Toletanum.

157 Quamvis autem non omnes divinæ Perſonæ mittantur, omnes tamen veniunt ad animam juſti, cum ad ipſam mittitur Spiritus S. juxta illud Joann. 14: *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & illud ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S, qui datus eſt nobis*. Perſonæ venientes ſe ipſas donant, & ſunt donum noſtrum; ſed tamen propriè ſolus Spiritus eſt cha-

characteristicè donum, quod propriè nobis datur à Patre, & Filio; non autem propriè à se ipso datur. Relege dicta hoc capite à n. 116. ad 122.

158 Cur igitur cum omnes Personæ veniant ad animam justi per gratiam sanctificantem, non omnes mittuntur? Dicendum, quia missio divinę Personæ requirit, quòd hæc procedat à Personâ mittente. Hęc assertio probatur ex eo, quòd nullibi in Scripturâ dicitur Patrem esse missum: ut nuper notabamus, dicitur autem esse mittentem Filium, dicitur deinde Patrem, & Filium mittere S. Spiritum, non dicitur Spiritum S. mittere aliam divinam Personam, ut etiam notabamus. Horum ratio esse non potest alia, nisi quia missio divinæ Personæ requirit, quòd hęc à Personâ mittente procedat: ergo. Hinc constat ex missione Spiritûs S. nihil esse contra ipsius divinitatem, ut volebant hæretici: nam Filius mittitur à Patre, cui consubstantialis est. Constat etiam rectè probari processionem Spiritûs S. à Filio per Patres Latinos contra Græcos Schismaticos ex eo, quòd mittatur à Filio: sicut probatur, quòd procedit à Patre, ex eo, quòd à Patre mittitur.

159 Ad missionem divinæ Personæ requiritur præter processionem ad intra effectus ad extra productus. Iste effectus est in du-

plici

plici genere: alius invisibilis ; visibilis , seu sensu perceptibilis alius. Invisibilis est donum aliquod supernum infusum. Hoc donum debere esse gratiam sanctificantem, est communis sensus cum D. Thomà. Ratio : nam missio affert divinæ Personæ inhabitationem,& mansionem in subjecto , cui mittitur. Constat de Spiritu S,de quo Christus ad Apostolos: *alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum,& apud vos manebit, & in vobis erit.* Hìc non est sermo de præsentià divinæ Personæ per essentiam, præsentiam, & potentiam, sed de modo præsentiæ, qua Deus animam consecrat, ut sit ipsius velut templum, & thronus. Hoc autem non fit nisi per gratiam sanctificantem. Insuper: ad eum, cui mittitur Persona divina, veniunt omnes divinæ Personæ; non veniunt nisi ad eum, qui diligit, & servat mandata juxta illud Christi Domini , *siquis diligit me , sermonem meum servabit,...& ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus.* Hęc dilectio,& mandatorum observatio non separatur à gratià sanctificante : ergo gratia sanctificans est donum illud invisibile, quo Persona divina mittitur.

160 Jam verò de effectu visibili statuit communis sensus , Personæ divinæ visibilem missionem afferre signum sensibile, atque externum de novo productum ad repræsentandum

dum id, quod divina Persona operatur interiùs, & ad repræsentandam Personam missam potiùs, quàm aliam. Constat in missione Unigeniti Filij Dei: missio est Incarnatio, signum visibile est humanitas de novo assumpta; hæc verbis vitę æternæ, & factis miraculosis ostendit hominem Christum esse Unigenitum Dei, esse missum à Patre, & ad Patrem ascendere. Constat idem in missione Spiritùs S. tùm in Jordane in specie columbæ super Christum, tùm in Cœnaculo in specie ignis super Apostolos.

161 Sed circa hunc modum explicandi visibilem missionem Personę divinæ superest difficultas: quid est, quòd signum externum repræsentet potiùs Personam, quæ mittitur, quàm aliam? Communissimè docetur, id stare in eo, quòd signa externa repræsentent dona interna, quæ per missionem visibilem tribuuntur, cui Personæ speciali titulo adscribuntur: ut ignis significat fervorem charitatis, & columba cordis puritatem, quę intern dona speciali titulo S. Spiritui adscribuntur propter ipsius proprietatem, quà est charitas, & sanctitas specialis.

162 In missione Filij per Incarnationem humanitas, quæ est signum externum, non solùm est repręsentativa Personæ, sed est hypostaticè illi unita. Hunc in modum Spiritum

titum S. missum esse super Christum in specie columbę dixit Tertullianus censens per errorem, fuisse veram Columbam, illique Spiritum S. fuisse hypostathicè unitum. Hoc sepositio errore, admirtendus est modus explicandi misionem visibilem per signum repræsentativum illius potiùs Personæ, quàm alterius, etsi enim illud signum in essendo sit ab omnibus Personis, in repręsentando determinatum est ad eam tantùm Personam, quæ mittitur. Exemplum est in unione hypostathicà, quæ est à totà Trinitate, & tamen sola Persona Filij est unita humanitati.

163 Datæ explicationi non acquiescit noster Herrera usus non malis argumentis, & aliam ex doctrinà Patris Suarij meditatus est. Supponit, quòd dum infunditur gratia sanctificans, nobis donatur non solùm ipsa gratia, sed etiam Spiritus S: juxta illud, *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S, qui datus est nobis*; idque eousque certum est, ut Angelicus errorem appellet oppositum, nempe per infusionem gratię non nobis donari Spiritum S, sed dona creata. Consistit autem hæc donatio Spiritùs S. in hoc, quòd gratia sanctificans non solùm ex ratione operationis, aut ex alio titulo communi cęteris creaturis, sed ex suà excellentissimà dignitate postulet intimam Spiritùs S. præsentiam in

ipsà entitate gratię sanctificantis, quæ donatur. Explicant citati Doctores hanc præsentiam per hanc propositionem hypotheticam de impossibili: *si Spiritus S. ratione immensitatis non esset in animâ, esset per donum gratiæ sanctificantis, quæ animę intrinsecè inhæret.* Concludunt, quòd prętentia S. Spiritùs in animâ non solùm est repręsentativa, & intentionalis, hoc est, per gratiam Spiritum S. repræsentantem specialiter; sed est præsentia vera, & realis, & in genere physico, citra unionem physicam intrinsecam divinæ Personæ aut cum gratiâ, aut cum animâ.

164 Ex his principijs descendit idem Herrera ad explicandam missionem visibilem Spiritùs S. Quod facit excellentia gratiæ sanctificantis, ut S. Spiritùs Persona sit intimè in animâ, præstat voluntas, qua Deus vult uti hoc signo (columbâ, & linguis igneis) ad visibilem missionem Spiritùs S. potiùs, quàm alterius Personæ: ergo ratione hujus voluntatis Spiritus S. est intimè præsens illi signo, ita ut illi esset præsens, etiam si per impossibile non esset præsens per immensitatem. Hinc viso illo signo, & attentâ illâ divinâ voluntate (de qua constat propter promissionem Patris, & Filij) fas erat dicere: *ecce S. Spiritus adest*; ecce Spiritus S. descendit, venit, donatur &c. Itaque in illo signo erant quoque intimè

timè præsentes Pater, & Filius, sed per immensitatem, sed per unitatem essentiæ, sed per circuminsessionem secundùm personalitates proprias in personalitate Spiritùs S. At non erant præsentes ex vi divinæ voluntatis formaliter, qua tantùm singularis S. Spiritùs Persona missa visibiliter fuit.

165 Hæc, ut ipse fatetur cum aliquâ formidine dixit citatus Herrera q. 15. sect. 2. Cum eâdem formidine prędictæ explicationi subscribo. Moveor; quia missio visibilis Personæ divinæ conjuncta inseparabiliter est cum invisibili per gratiam sanctificantem, ut est communis sententia apud Granado tract. 15. disp. 3. Si ergo per invisibilem missionem Spiritus S. est specialiter præsens animæ; cur dici non possit in missione visibili esse intimè præsentem ex vi formali voluntatis divinæ signo, quo mittitur? Adde: hic explicandi modus consonat modo, quo explicabimus, Deo dante, quę ponuntur formaliter in Eucharistiâ, & quæ ponuntur per concomitantiam immediatam, & quæ sunt per concomitantiam mediatam: dicemusque omnes Personas in eâ esse per immensitatem, Filium per immediatam concomitantiam, & cæteras Personas per concomitantiam mediatam fundatam in circuminsessione. Qui plura velit de missione Personarum divinarum, adeat Eximium integro lib. 12. de Trinit. Sf2 POST-

POSTLOQUUTIO.

HAbetis, O. A, de Deo Uno, & Trino tractatum absolutum quidem, sed tamen imperfectum. Imperfectum dicam, an omnibus numeris absolutum? Imperfectum dixerim, si elucubrationis exilitatem attenderim; perfectum, atque absolutum, si argumenti sublimitatem. Deus Unus, & Trinus (quem hucusque cæcutientibus oculis contemplati sumus) Unitate principium, Trinitate perfectionem omnium numerorum absolutissimè continet; ut hìc maximè dicere cum Philosopho possimus: *tria sunt omnia; & ipsum ter omniquaque; ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt.* (lib. 1. de Cœlo c. 1.)

***

IN-

INDEX

CAPITUM, ET SECTIONUM, QUÆ IN HAC DE DEO SECUNDA Disputatione continentur.

Numerus unicus marginalem designat.

DISPUTATIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, & cognoscibilitate Mysterij.

SECT. I. *Præluditur præcipuæ difficultati.* n. 1
SECT. II. *Prosequitur materiam præcedentis.* num. 9.
SECT. III. *Mysterij difficultas capitalis exponitur.* num. 30.
SECT. IV. *Resolvitur difficultas.* num. 57.
SECT. V. *Objectionibus respondetur.* num. 69.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINIS RELATIONIBUS.

SECT. I. *Aliquarum quæstionum compendiariæ resolutiones.* num. 1.
SECT. II. *Agitur de perfectione divinarum Relationum.* num. 24.

SEC-

SECT.III. *Resolvitur potissima quæstionis difficultas.* num.39.
SECT.IV. *De quantitate, & qualitate perfectionis Relationum divinarum.* num.54.
SECT. V. *Conclusio potissima ab objectionibus defenditur.* num.67.
SECT.VI. *Objectiones, quę restant, dissolvuntur.* num.86.
SECT.VII. *De prædicatis transcendentibus divinas Relationes.* num.101.

CAPUT TERTIUM.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

SECT. I. *Breviter enodantur aliquot quæstiones.* num.1.
SECT.II. *An activę processiones distinguantur à passivis?* num.11.
SECT.III. *An divinæ processiones sint formaliter per intellectum, & per voluntatem; & per quos actus?* num.27.
SECT.IV. *Doctrinæ datæ elucidatio per notationes.* num.42.
SECT. V. *Ex quorum objectorum cognitione Verbum divinum, & ex quorum amore Spiritus S. procedat?* num.61.
SECT.VI. *Argumenta contra primam conclusionem solvuntur.* num.68.

SEC-

SECT. VII. *Argumenta contra ſecundam concluſionem ſolvuntur.* num. 88.
SECT. VIII. *Argumenta contra tertiam concluſionem ſolvuntur.* num. 98.
SECT. IX. *De principio* quo *productivo ad intra.* num. 117.
SECT. X. *A ſolutione argumentorum firmatur concluſio.* num. 128.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINIS PERSONIS.

SECT. I. *Divinarum Perſonarum conſtitutivum.* num. 1.
SECT. II. *Objectiones ſolvuntur.* num. 13.
SECT. III. *De Perſonâ æterni Patris.* num. 22.
SECT. IV. *Patris innaſcibilitas explicatur.* num. 36.
SECT. V. *De Relatione Spiratoris in Patre.* num. 48.
SECT. VI. *De Deo Filio.* num. 55.
SECT. VII. *Argumenta contraria ſolvuntur.* num. 79.
SECT. VIII. *Solvitur potiſſimum contra concluſionem argumentum.* num. 99.
SECT. IX. *De Spiritu Sancto.* num. 115.
SECT. X. *An, ſi Spiritus S. non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio?* num. 132.

SEC-

SECT. XI. *Similitudo, æqualitas, & circuminsessio divinarum Personarum.* num. 146.
SECT. XII. *Explicatur Missio divinarum Personarum.* num. 155.